
NILI MYSTICI EX PARADISO VOLUPTATIS, SIVE VERBI DIVINI SEPTEMPLICI ALVEO...

Philipp Kilian

Digitized by Google

Philippi Kiely
Nili Mystici
Auctarius 2us




Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NILI MYSTICI
EX PARADISO VOLUPTATIS,
SIVE
VERBI DIVINI SEPTEMPLICI ALVEO DEFLUENTIS,
ET
TOTIDEM EFFUSIONIBUS PRETIOSI SANGUINIS



D.N. JESU CHRISTI
SACRI
AUCTARIUM
PRIMUM,


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SIVE
ANNUS OCTAVUS,
Concionum in omnes Dominicas & Festa per Annum, additis duodecim Favis, de dulci memoria
JESU CRUCIFIXI,
Sive totidem Exhortationibus ad Sodales Christi in Cruce Agonizantis.

AUCTORE
R.P. PHILIPPO KISELIO
Fuldensi, è Societate JESU.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ ac Regiæ Majestatis.

BAMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

Anno MDC LXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



REVERENDISSIMO, ET PERILLUSTRI
DOMINO,

D. GEORGIO HENRICO à KINSPERG,

ECCLESIARUM IMPERIALIS BAMBERGENSIS, ET HERBIPOLENSIS, RESPECTIVE DECANO ET CAPITULARI; NEC NON COLLEGIARUM SS. STEPHANI ET JACOBI PROPE BAMBERGAM PRÆPOSITO; DOMINO MEO PERQUAM GRATIOSO.



Sub tuis auſpiciis, *Reverendiſſime & Perilluſtris Domine*, prodit in lucem Concionum mearum Annus octavus, ſive Primum Auctarium & Incrementum Nili mei myſtici, qui hactenus ex Verbi Divini Paradiſo, Septemplici Alveo, per Germaniæ campos defluxit. Quam merito, & rectè hoc fiat, quantumquè mihi de tali

Digitized by Google

tali & tanto Patrono gratuler, dicerem multis, nisi & Tibi laudes tuas audire, molestum esset, & ego coram, laudare eum, etiam qui dignissimus sit, possem sine rubore. Hactenus dum quadraginta & amplius annorum spatio, diversissimos inspexi libros, adverti illum morem invaluisse, ut scriptores lucubrationes suas dedicent Mecœnatibus, vel generis Nobilitate, vel doctrina & sapientia; vel virtute & pietate maxime conspicuis & eximiis; Mecœnatum enim *auctoritas*, inquit Ausonius, *ex generis nobilitate*, *ex majorum gloria*, *ex propria sapientia*, *præclarisque gestis* & virtutem gloria, *assolet comprobari.* Quæ omnia, cum in Te, *Reverendissime Domine*, felici & stabili juncta connubio, cum admiratione & amore intuear; Mecœnatem me judico reperisse Nobilissimum, Sapientissimum, & omnium virtutum radiis clarissimum.

Si Nobilitas Tua spectetur (utor fere verbis Enodii) *Nobilissimæ tuæ stirpis*, ex antiquissima Franconicæ Nobilitatis prosapia, & longa, nunquam interrupta fortissimorum Heroum de Kinsperg serie atque progenie; *fulgorem & lucem*; *morum virtutumque tuarum radiis obumbrasti*, *vincens decorem & purpuram Sanguinis*, *vitæ claritate*: *dum coruscantem germinis tui lampadem, actuum serenitate transcendis*; factusque es super aureum Imperialis Bambergensis Ecclesiæ candelabrum, stemmatis tui igens lumen, & coruscum genuinæ Nobilitatis sidus, *cujus splendor*, ut quondam Castoris & Pollucis, Nilo meo Mystico favoris, benevolentiæque, *protendit*

Digitized by Google

dit & promittit influxum; quo, ut spero majora adhuc, & plura sumet incrementa.

Sapientiam & Virtutem quod attinet, qualem in primis annis, in aula Reverendissimi & Illustrissimi Domini, D. Francisci ab Hatzfeldt, Bambergensium & Herbipolensium Episcopi, & Franciæ Orientalis Ducis; & in celeberrimo Collegio Societatis Jesu Herbipoli Gymnasio, in Pietate & literarum studiis, te exhibueris, cum præsens ipse viderim, alienis testimoniis non indigeo. Quemadmodum in orbis theatro, in Romana Universitate, utriusque Bambergensis & Herbipolensis Ecclesiæ jam designatus Canonicus, utrumque Philosophiæ, & Theologiæ cursum, institueris & confeceris, tot sunt testes, quot virtutis industriæque tuæ habuisti spectatores, æmulatores, & approbatores; quo esses ingenio, quam acri, quam fœcundo, qua in rebus agendis polleres dexteritate, post tuum ex Italia reditum, adverterunt magni Principes, & *Sacri* Romani *Imperii Electores*, quorũ calculo, ad amplissimas in gravissimis negotiis, legationes sæpius fuisti amandatus. In quibus virtutem, prudentiam, sapientiam, facilitatem, pietatem, harumque omnium Principem, Humanitatem, ita probasti, ut Reverendissimum Imperialis Ecclesiæ Bambergensis Capitulum, in flore ætatis, cum totius Patriæ applausu, amplissimam Decani in Te contulerit dignitatem Ad quem apicem, sicut rara Tua sapientia Te deduxit, ita eandem in summi honoris culmine indies pergis ex-

Digitized by Google

colere & augere, ut viri docti in tuis alloquiis, in admirationem acti, obstupeant, Te cum Theologis esse Theologum, cum Juristis Juris utriusque Consultum, cum Philosophis Philosophum, cum Historicis Historicum, in Architectura, munitionumquè ædificatione, peritissimum architectum. Ut proinde mihi gratuler, quod nactus sim Sapientissimum, & omnis literaturæ excellentia excultissimum Mecœnatem.

Superest Virtus, de qua scio Tibi à Lactantio persuasum esse, *solam & unam Virtutem, verum, cœleste & perpetuum bonum esse judicandum*, quam proinde in omnibus actionibus, tanquam scopum Tibi præfixisti: Neque ignoro, Reverendissimum Ecclesiæ Bambergensis Decanum celebrari Divini cultus in Cathedrali Ecclesiâ zelosissimum amatorem, Cleri gemmam, integerrimæ vitæ exemplar, Pauperum Patrem, Orphanorum Patronum, Viduarum Solamen, Justitiæ cultorem; constat mihi, non deesse R^mæ^ D. V^ræ^ Clientes, qui plura talia congerunt encomia, quæ mihi sine offensa & indignatione commemorare non licet.

Aliquid rarum, & rara commendatione dignissimum silere non possum; quod zelosos Concionatores prosequaris affectu, eoque gustu excipias Verbum Dei, ut sex annorum spatio, quo in Cathedrali Tua Ecclesia, Ecclesiastis fungor officio, sciam Te in loco præsentem, neque morbo, vel extra ordinariis negotiis impeditum, ab ordinaria Concione, Dominicis Festisque,

que, nunquam abfuiſſe. Eandem in Choro aſſiduitatem commendat tota Bamberga. Rogo itaque demiſisſime, ut quæ auribus ex ore meo jam excepiſti, benignis oculis ſubinde perluſtrare digneris. Bambergæ, feſto S. Georgii, Anno 1673.

Reverendisſimæ & Perilluſtris
Dominationis Veſtræ

Humillimus Servus

PHILIPPUS KISELIUS,
Societatis Jeſu.


Digitized by Google

Præfatio ad Lectorem.

SCite & vere dixit Diodorus. Nec Poeta, nec Historicus, nec ullus denique artifex præcepti alicujus rationalis, per omnia lectoribus placere potest; nec fieri potest, ut natura mortalis, etiamsi scopum attingat, comprobationem omnium sine ulla reprobatione consequatur. *Idem concionatoribus & præsertim editis illorum lucubrationibus accidere solet; quod tamen virum sapientem conturbare non debet, dummodo majorem Dei gloriam, & animarum uberem fructum intendat, & consequatur. Crisibus, quas septem annorum spatio, contra septem Nili mei Mystici Alveos, sive totidem Annorum Conciones, audivi, aliud respondere non possum, quam ut benevolum Lectorem demisse rogem, ut legere dignetur Præfationem Alveo primo sive initio totius Operis præfixam; neque enim quod addam habeo, quam ut iterum sincere fatear, me præter Concionatores aliquos Hispanos, Italos, & Gallos; doctissimis Commentariis R. P. Andreæ Arcones è Soc. Iesu in Prophetam Isaiam ut & Tomis amantissimi mei ante annos triginta sex, in Hispania Professoris R. P. Didaci de Celada, ex eadem Societate, in hoc Primo meo Auctario, liberaliter fuisse usum; illa tamen methodo, cujus in citata Præfatione feci mentionem. Illis præcipue Verbi Divini Præconibus inservire cupio, qui pretiosos libros sibi comparare non possunt. Vale Amice Lector.*

PRI-

Digitized by Google



INDEX THEMATUM

In omnia festa totius Anni.

Thema



Digitized by Google

Ad Bibliopegam.

Hic Index Thematum debet abscindi

An den Buchbinder.

Dieser Index Thematum muß abgeschnitten / und gerat vor den Dritten Theil über die Erste The

PRIVILEGIUM CÆSAREUM,


Et Potestas Bibliopolæ facta à R. P. Provinciali Provinciæ Rhenanæ Superioris Soc. Iesu.

CUm S. Cæsareæ Majestatis decreto Typographis, Bibliopolis, ac aliis librariam negotiationem exercentibus inhibitum sit, ne quis Libros à PP. Soc. Jesu editos, sine Superiorum ejusdem Societatis licentia, inter S. Rom. Imperii, ac Regnorum & Dominiorum suorum fines sive in toto sive in parte recudere, vel recudendos aliò mittere, aut alibi impressos adducere ac distrahere audeat: Concedo ego Nicolaus Lutz Soc. Jesu per Rheni Superioris Provinciam Præpositus Provincialis Joanni Arnoldo Cholino Francofurtensi, & Joanni Eliæ Höffling Bambergensi Bibliopolis facultatem excudendi Auctarium Primum Concionum à R. P. Philippo Kiselio nostræ Societatis Sacerdote concinnatum. In cujus rei fidem hoc illis testimonium dari curavi. Herbipoli 14. Mart. 1673.

(L. S.)

Nicolaus Lutz.

APPRO-



APPROBATIO

R. P. Provinc ialis rovinciæ Rhenanæ Superioris, è Societate Iesu.



EGo Nicolaus Lutz Soc. Iesu ad Rhenum Superiorem Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab Admodum R. P. nostro Ioanne Paulo Oliva Præposito Generali, Auctarium Primum Concionum à R. P. Philippo Kiselio Societatis nostræ sacerdote conscriptum, atque ab aliquot ejusdem Societatis Theologis recognitum & approbatum, typis mandari permitto. In fidem has literas manu propria subscriptas, & sigillo munitas dedi. Herbipoli 14. Martii. 1673.

(L. S.)

Nicolaus Lutz.

INDEX RERUM.

Digitized by Google

INDEX

Ave

Digitized by Google

Digitized by Google

Inter

Digitized by Google

Digitized by Google

Pecca-

Digitized by Google

Moriens

Digitized by Google

F.

Digitized by Google

G.

Jesus

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Quare

Digitized by Google

B. Vir-

Digitized by Google

fer-

R.

S.

Quare

FINIS.

AUCTARII NILI MYSTICI,

SIVE

CONCIONUM

IN

Omnes Dominicas ab Adventu usque ad Pentecosten,

PARS PRIMA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCIO I.

PRO DOMINICA I. ADVENTUS.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus,

Matt. 21. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN mysterio Incarnationis, perfectissimo modo elucent præcipua DEI attributa; Omnipotentia, Sapientia, Justitia, Bonitas, Misericordia, &c. Miscentur multa de B. Virgine, & SS. Christi D. Humanitate.

§. 1. *Quid tempore Adventus à nobis exigat Ecclesia.*
§. 2. *Mysterium Incarnationis comparatur cum horologio.*
§. 3. *Rota Omnipotentiæ.*
§. 4. *Rota Sapientiæ.*
§. 5. *Rota Justitiæ & Misericordiæ.*
§. 6. *Iterum Sapientia & Justitia & Misericordia.*
§. 7. *Duo Corollaria.*
§. 8. *Rota castitatis & Amoris ineffabilis.*
§. 9. *Amans Rex nos sanavit suo sanguine.*
§. 10. *Pathetica Historia.*
§. 11. *Immensa liberalitas hujus Amoris.*
§. 12. *Diabolus garrulo Adolescenti sub Sacro infligit alapam.*
§. 13. *Rubus ardens & incombustus, fuit figura Incarnationis.*
§. 14. *Aliud mysterium rubi incombusti.*
§. 15. *Quantum Maria fuerit glorificata per Incarnationem Verbi, multo magis SS. Christi Humanitas.*
§. 16. *Prosecutio & Epilogus.*

IN gratiarum actionem, pro ineffabili mysterio & beneficio Incarnationis, hoc sacro tempore duo potissimum à nobis exigit sancta Mater Ecclesia: ut abstineamus à malo, & faciamus *§. 1. Quid tempore Adventus à nobis*

exigat Mater Ecclesia. mus bonum. Primum, conatur obtinere timore; alterum amore. Ut timorem incutiat, proponit nobis (Luc. 21. v. 25.) terribilia signa, quæ præcedent judicium: *Erunt signa in sole & luna, &c.* Ad eundem finem inflat apud S. Matth. c. 5. v. 2. tubam pœnitentia, sive S. Joannis Bapt. *Pœnitentiam agite*, &c. ut nos alliciat ad amorē, in hodierno Evang. nobis proponit adventū mansuetissimi Regis sive Christi Salvatoris nostri. In quibus Ecclesia imitatur aliquam Matrem, quę ut liberos suos exstimulet ad amorem virtutis, interdum illorum teneros animos dulci aliquâ illecebrâ conatur capere & invitare, proposito saccaro, melle, aliisque puerorum cupediis: interdum vero minas & virgas intentat, ut vi & metu extorqueat, quod desiderat. Idem facit Ecclesia. Sæpius per annum in Evangeliis minatur mortem, judicium, infernum: Sæpius offert lac & mel, dum dulcissima mysteria vitæ Christi D. nobis proponit. Post octiduum citabit nos ad tribunal Divinæ Justitiæ, hodie nobis proponit adventum Filii DEI in carne: Post octiduum nobis Christum D. proponet ut judicem, hodie vult ut eundem intueamur, veluti pulcherrimum Sponsum, & mansuetissimum Regem. Post octiduum agit Evangelium de mysterio tristi & terribili. Evangelium hodiernum vult nos considerare, melleum & dulcissimum mysterium Incarnationis. Consideremus illud paucis, veluti lucidissimum speculum, in quo præcipua & excellentissima DEI attributa, perfectissimo modo elucent.

§. 2. Mysterium Incarnationis comparatur cum horologio.

Ideò S. Paulus dixit 1. ad Timoth. cap. 3. v. 16. *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Græcus textus sic habet. *Manifestatus est DEVS in carne.* q. d. Ut sciremus DEUM nostrum esse sapientem, omnipotentem, justum, bonum, Patrem miserationum, &c. in hoc mysterio Verbum Caro factum est. In aliis operibus ostendit omnipotentiam, in aliis Sapientiam, &c. In Incarnatione simul omnia hæc attributa perfectissimo modo elucescunt, Quod SS. Patres eleganti simili declarant. In aliquo horologio multæ moventur rotæ, nec tamē motus ille ita clarè advertitur, donec elapsâ horâ omnes simul magno cum strepitu audiuntur. Simile horologium conficiunt divina

vina

Digitized by Google

vina attributa, cum cuncta ex nihilo creavit. Movit DEUS rotam omnipotentiæ, cùm disposuit omnia suaviter in numero, pondere & mensurâ, rotam sapientiæ: cum ob peccatum Luciferum de cœlo deturbavit in infernum; cum Adamum ejecit è paradiso, cùm mundum delevit diluvio, Sodomam ignibus, &c. Rotam Justitiæ; cùm per annos quadraginta in eremo cibum & potum dedit Israëlitis, cum è saxis eduxit aquas, impulit rotam Providentiæ; cùm pepercit Ninivitis, &c. rotam bonitatis & misericordiæ; atque ita in singulis his DEI magnalibus, singula DEI attributa splenduerunt. Quam primùm verò venit *Plenitudo temporis*, ad Gal 4. c. v. 4. quam primum sonuit hora illa desideratissima, in quâ Filius DEI, in utero Virginis factus est homo; omnes divinarum perfectionum rotæ, in magno illo horologio, clarissimo strepitu, commotæ sunt, & audiri cœperunt, in cœlis & in terrâ. Et tum manifestatus est DEUS in carne; omnipotens, sapiens, bonus, &c.

Omnipotentia patet, quia adeò sublimavit hominem, ut DEUM fecerit; quod quo pacto fieri potuerit, ratio non attingit. S. Bern. Serm. 2. de Annunt. *Abyssus planè imperscrutabilis est Dominicæ Incarnationis Sacramentum, abyssus impenetrabilis. Verbum Caro factum est, quis investiget?* S. Damascenus l. 3. de fide orthod. *Non potest DEUS majus aliquid facere, quam DEUM hominem.* S. Augustinus libro de prædest. Sanctorum cap. 15. *Tanta & tam excellens est hæc humanæ naturæ subvectio, ut quò attollatur altius, non habeat.* Ut bene dixerit S. Paulus; *Manifestè magnum pietatis Sacramentum, per quod DEI omnipotentia adeò nobis est manifestata.* §. 3. Rota Omnipotentiæ.

Sapientia DEI fuit manifestata, quod invenerit tam admirabilem modum, quo homo pro hominis peccato Divinæ Justitiæ potuit satisfacere. S. Bernardus Ser. 3. in vig. Nat. *Nihil DEO sublimius; nihil vilius limo: nihilominus Divina sapientia, tam amabili, quam admirabili modo illa conjunxit*, eò fine ut Justitia & Misericordia in amabiles ruerent amplexus. §. 4. Rota Sapientiæ.

Magnum enim (Rupertus in cap. 1. Gen.) *Magnum planè consilium de nobis est habitum. Omnis nostra in medio causa est posita.* An scilicet homo redimendus, an cum Lucifero & asseclis in æternum §. 5. Justitia & Misericordia.

Digitized by Google

num puniendus. Hoc flagitabat Justitia, illud Misericordia. Hæc dicebat: Eget miseratione creatura rationalis; quoniam misera facta est, & miserabilis. Justitia verò; Rebelli homini, & reo læsæ Divinæ Majestatis, non est exhibenda Misericordia; puniatur! *Si justus est Dominus! Si justitiam dilexit! si æquitatem vidit vultus ejus!* Ps. 10. v. 7. Reposuit Misericordia; Justus est! Justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus, cum Luciferum de cœlo dejecit in ignes æternos; Adamum è loco voluptatis in mille miserias; justus est, quia myriades hominum æternum ardebunt in inferno. Si misericors est Dominus, si miserator est, si Misericordia ejus super omnia opera ejus; pauci saltem redimi debent. Psalmo 76. vers. 10. *Nunquid obliviscetur misereri DEUS? aut continebit in irâ misericordias suas, nunquid in æternum projiciet DEUS?* Affectuosissimè hunc locum deducit S. Bernardus Ser. 1. de Annunt.

§. 6. *Iterum sapientia, & Justitia, & Misericordia.*

O suaves Divinæ sapientiæ adinventiones in tam ancipiti deliberatione! Dixit enim: *Misericordiam & justitiam exhibebo erga hominem*; pariter utriq; & in rigore satisfaciam. Justitiæ sine dãno, sine querelis Misericordiæ; & huic sine præjudicio vel injuriâ Justitiæ. Læsus est DEUS! satisfaciat DEUS! moriendo & sanguinem fundendo. Sed quomodo morietur DEUS! qua ratione fundet sanguinem? Verbum Caro fiat, & utrumque fieri poterit. DEUS fiat homo, & Homo DEUS moriatur, etiam morte ignominiosissimâ, morte Crucis. Sic, cum Justitia majorem satisfactionem exigere non possit, justus erit Dominus & Misericordia majus desiderare non potest, quàm si moriendo DEUS succurrat homini, eumque à morte æternâ liberet. Quis concipiet altitudinem tum divini consilii? quis tam stupendum misericordiæ miraculum? quis Justitiæ severissimum judicium? Ponamus enim misericordiam humano generi non fuisse exhibitam, sed omnes Adæ posteros æternum periisse; sed quæro: an non magis Justitiæ illius infinita perfectio, & clarius manifestata fuerit, quod Filius DEI pati & mori debuerit in Cruce? annon magis admiratione dignum sit, innocentissimum DEI Filium in cruce effundere sanguinem, quam quod hostes DEI ardeant in inferno! *Econtrà*, S. Anselmus lib. 2. Cur DEUS homo. *Quid misericordius intelligi*

intelligi valet, quàm quod peccatori æternis pœnis deputato, & unde se redimeret, non habenti, DEUS Pater dixit: Accipe Unigenitum meum, & da pro te. Et Filius dixit: Accipe me, & redime te. Certè, (S. Damasc. l. 3. c. 1) hoc modo, *Magnum patefecit DEUS clementiæ suæ pelagus.* Et misericordiæ pietatisque suæ sacramentum manifestavit in carne.

Antequam à Justitiæ throno discedam, moneo duo. Primum est, ut advertamus quodammodo infinitam peccati mortalis malitiam, cujus reatui nulla pura creatura, sed solus DEUS homo potuit satisfacere. S. Bernardus Ser. 3 de Nativ. *Ex qualitate remedii, morbi æstimo quantitatem. Filius DEI jubetur occidi, ut pretioso Sanguinis sui balsamo vulneribus meis mederetur. Agnosce ô homo, quam gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari.* Alterum est, ut intelligamus, quantam habeamus obligationem æstimandi & amandi Salvatorem nostrum, qui solus, & non alius nos redimere potuit. §. 7. *Duo Corollaria.*

Restat ut adhuc semel exclamem cum S. Paulo, *Manifestè magnum est pietatis argumentum,* in quo, in carne manifestata est infinita DEI caritas & immensus amor. S. Gregorius M. *O inæstimabilis dilectio caritatis, ut servum redimeret, Filium tradidit.* Quod Sapientia invenit; amor perfecit. Sed bene S. Dionys. Areopagita c. 2. de d. nominibus. *Amor IESU apparentis in carne ineffabilis est sermone, & omni ignotus intelligentiæ.* D. Hier. *Mens non capit humana, stupet terra, creatura cœlestis miratur;* S. Ambrosius l. 1. de fide ad Grat. c. 3. *Mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & Angelorum.* Ex S. Bernardi mente hic amor *est abyssus imperscrutabilis; & in quo hauriam non est mihi! alta profunditas, quis inveniet eam?* Sanctus Cyrillus Alexandr. ad Reg. *Amoris hujus mysterium, ænigma est sacratissimum, quod summâ potius veneratione suscipiendum est, quam humani judicii trutinæ subiiciendum.* Quam caussam fuisse arbitror, quod illa aquila S. Joannes, mysterii hujus radios intuitus, non multis, sed paucis verbis illud nobis descripserit; *Verbum Caro factum est!* ut humano generi amorem suum manifestaret. §. 8. *Rota caritatis & amoris ineffabilis.*

Ægrotavit nuper servus alicujus Regis, in præsentissimo vitæ periculo; §. 9. *Amans*

Rex nos sanavit suo sanguine. periculo; Regi valde carus; convocati proinde Medici pronuntiarunt ægrum sanari non posse, nisi balneo ex sanguine Unigeniti Regis filii; & statim jussu Regis, filio secta fuit vena, cujus sanguine servo restituta fuit pristina valetudo. Perpendite omnes circumstantias; Quis? cui? quomodo restituerit sanitatem, & considerate; an ille Rex non amaverit servum suum. Sic DEUS dilexit mundum, &c.

§. 10. *Pathetica historia.* Refert nobilis Concionator; Virum principem à subditis ejectum in exilium; sed regno restitutum, omnibus modis fuisse conatum, demonstrare subditis se non tantum oblitum injuriæ, sed amare se illos. Cum vidit se in vacuum laborare, arrepto pugione hianti vulnere aperuit pectus, ut ipsum cor viderent, & dixit: Videte, an injuriæ sim oblitus; & an vos amem. Hæc dicens corruit mortuus (Fiat affectuosa digressio ad amorem JESU)

§. 11. *Immensa liberalitas hujus amoris.* Fuit quoq; hic amor erga Naturam humanam in ejus assumptione liberalissimus, cui per communicationem idiomatum, ut scholæ dicunt, excellentissimo modo communicavit divina attributa; ita ut homo possit dici omnipotẽs, infinite sapiens, bonus &c. Patet res ex simili: Esther erat paupercula puella, &c. sed nupta Regi Assuero, facta est Reginarum maxima. Ut si quis quæsivisset, cujus est aula hæc regia? Responderi potuisset, Estheris. Cujus Persarum imperium? Estheris, &c. Pari ratione, licet humana natura vilissima fuerit, postquam tamen Verbum illam assumpsit, Christus D. factus est Rex Regum, & creaturarum omnium Dominus. Cujus est ergo cœlum? respondeo, Hominis. Cujus vitæ mortisque imperium? Hominis. Cujus principatus Angelorum? hominis. Unde hoc illi? unde tanta prærogativa? Ex eo, quod DEUS factus sit homo; ejusdem amor erga hominem fuit liberalissimus.

§. 12. *Diabolus garrulo Adolescenti sub Sacro infligit alapam.* Si tantum beneficium agnoscitis Audit. & grati estis, benè habet: Si non: cavete ne Diabolus vobis dicat, quod dixit illi adolescenti, qui cum sub missa, quando dictum fuit: Et homo factus est, fabularetur, dæmon horrendum illi colaphum infligens dixit, *O ingrate! audis DEUM pro te hominem factum, & non inclinas te? Si pro me hoc DEUS fecisset, in æternum ego me illi inclinarem.*

Paululum

Digitized by Google

Paululum immuto verba; superbe audis, &c. habes locum pro variis invectivis.

Sed redeo ad meam propositionem qua affirmavi, per mysterium Incarnationis, lucidissimis radiis divina attributa nobis inclaruisse. Cum Deus Moysi in umbra quadam vel figura mysteriũ hoc voluit proponere, *Apparuit ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi*, Exod. 3. v. 2. qui ardere videbatur, & tamen non comburebatur. Sed, ut quæram cum Theodor. q. 6. in Exodum. *Quid sibi vult ardere rubum, & non exuri?* & respondet, *Unigenitum Humanitatem assumentem, & virginalem uterum inhabitantem, immalcultatam servaturum esse Virginitatẽ.* Sed cur propterea Deus gloriosus, festivis undique vallatur ignibus, cur cœlestis splendoris diademate cingitur, ut quid irradiatur à flammis, ut Moyses tanta majestate hebetatus, & oppressus à gloria in terram dejectus fuerit? eodem cap. v. 6. *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum.* Quæstioni respondit Guilhelmus: *Cum facies Domini sit plena gratiarum, cur non audebat Moyses eum aspicere? Dicendum, quod propter excellentiam claritatis inde procedentis.* Ita Deus cum in ardente rubo, ad Incarnationem præluderet, totus fuit in ostendendo apparatu gloriæ; gliscit incendium ignis, ut simul clarescat flamma immensi amoris; inter radios ardentis rubi lucent magis radii infinitæ sapientiæ, & bonitatis, & misericordiæ. Hoc contigit, cum Moyses vidit rubum, figuram futuræ Incarnationis. Quid putatis contigisse cum in Virginali utero Verbum Caro factum est? O mortales! tegite vestras facies; procumbite in genua cum profunda reverentia contemplamini hoc mysterium, ne obruamur à claritate & gloria tantæ Majestatis.

§. 13. *Rubus ardens, & incombustus fuit figura Incarnationis.*

Latet adhuc alterum absconditum mysterium in rubo incombusto, quare scilicet Deus pro throno, de quo voluit Moysi ostendere radios divinorum suorum attributorum, elegerit tam vilem fruticem, spinas, tribulos, rubum, cur non apparuit in palma vel in Cedro, vel simili arbore. Respondent Interpretes & SS. Patres, per spinas intelligi sanctissimam Verbi Incarnati Humanitatem, per quam & in qua Divinæ perfectiones, omnipotentia, sapientia, &c. mundo, vel maximè innotuerunt. De Deipara

§. 14. *Aliud mysterium rubi incombusti.*

Digitized by Google

Virgine, dum Verbum in ejus utero fuit incarnatum, ait S. Bernardus in ser. de verbis Apocal. quod Dominus vestiverit illam gloria suæ majestatis, quod induerit illam sole, quod coronaverit stellis: Quid dicemus de SS. Humanitate Christi; dum assumpta fuit à verbo; quâ gloriâ cogitatis fuisse vestitam, quo diademate coronatam? Dico ego, eodem momento, quo fuit unita Verbo, factam fuisse lucidissimum speculum, in quo divina attributa perfectissimè manifestantur.


§. 15. *Quantum Maria fuerit glorificata per Incarnationē Verbi, multò magis SS. Christi humanitas.*

Matri DEI accinitur frequenter dulcissima illa cantilena, Prophetæ Baruch. cap. 5. v. 1. *Induet te decore, & honore ejus, quæ à DEO tibi est sempiterna gloria. Circumdabit te DEVS diploide justitiæ, & imponet mitram capiti, honoris æterni. DEVS ostendet in te splēdorem suum omni qui sub cœlo est.* Id est; ait Hugo Card. *In te faciet Filium suum incarnari, qui dicitur Splendor Patris*: Ex eo quod Maria solem & Patris splendorem, utero suo clausit, facta est tota illustris, gloriosa, & Divinis irradiata fuit fulgoribus. Complaceo mihi animitus, in tanta Matris DEI excellentia. Sed quid dicemus de sanctissima Humanitate quæ, hypostatice cum Verbo fuit unita? nunquid cum Baruch accinere illi possumus: Iuduit illam decore & honore, &c. Richardus de S. Vict. in Cant. P. 2. c. 3. Virgini Matri DEI ita aggratulatur. *Mulier amicta sole, quia sol Divinitatis infulget illi, & circumfulget eam, & totam occupat, & post eam maximè illustratam, Cœli Cives illuminat.* De SS. Christi Humanitate potiori jure hæc dicamus. In hac modo infinitè perfectiori fulget Sol Divinitatis; fulget sol omnipotentiæ, sol sapientiæ, &c. Quarum perfectionum pulcherrimis radiis, in mysterio Incarnationis totus mundus illustratur. De quo lumine, ita Eusebius Emyss. hom. 1. de Pasch. *O pulcra lux* (applica Jesulo latenti in virgineo utero) *quæ de candido cœli fastigio promicasti, & inter fluenta purpurea, sedentes in tenebris, & umbrâ mortis, subitâ claritate visitasti, & vestiisti.* Hoc est, dum DEUS factus est homo, in utero Virginis ad fundendum suo tempore sanguinem, pro redimendo genere humano, gloriosa lux emicuit habitantibus in tenebris.

§. 16. *Prosecutio,*

Finiat hunc discursum Dionysius Carthus. de laud. Virg. l. 4. art.

art 17. *Quò in vitâ hâc Carolla Virginea Deo Altissimo singularius, familiarius & propinquius--communicavit in mysterio pracipue Incarnationis -& conjuncta fuit, eò ab illo sublimius exuberantiusque fuit glorificata.* Gratulor millies B. Virgini, sed longe magis SS. Humanitati Christi, de hâc cum jubilo dicere possumus. Quò singularius, quò familiarius, quo propinquius ipsi Divinæ Naturæ fuit conjuncta, in mysterio Incarnationis, per hypostaticam Unionem, eò sublimius, exuberantiusque SS. illa Humanitas fuit glorificata; facta, ut superius dixi, lucidissimum speculum divinarum perfectionum: Qualis splendor? qualis honor? qualis glorificatio? qualis magnificentia? Homo est Deus omnipotens. Homo, parvulus pusio est Deus sapientissimus, &c. Hoc est illud mysterium, ob quod cum S. Paulo merito exclamamus! *O altitudo*, &c. Cum Seraphinis, *Sanctus! Sanctus! Sanctus!* Cum quatuor animalibus & viginti quatuor senioribus, *Laus, honor &c. in sacula saculorum*, Amen. & Epilogus



CONCIO II.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Erunt signa in sole, & luna & stellis,

Lucæ 21. v 25.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliquot causas, ob quas extremum Judicii diem tam terribilia præcedent signa.

§. 1. *Ecclesia initio Adventus imitatur Solimannum Turcarum Imperatorem.*

§. 2. *Futura signa in sole, &c.*

§. 3. Ob triplicem cauſam. I. utterreantur impii.
§. 4. Varia cauſa magni terroris.
§. 5. Quomodo S. Franciſcus Xaverius impios terruerit horribili excitata tempeſtate.
§. 6. Similes alia hiſtoria & tempeſtates.
§. 7. Altera cauſa horum ſignorum
§. 8. Tertia cauſa.
§. 9. Additur quarta.
§. 10. Solus Iudicis aſpectus terrebit impios.
§. 11. Quare Chriſtus Iudex dicatur leo, urſus.
§. 12. Moyſes iratus, figura Chriſti Iudicis.
§. 13. Chriſtus D. flagello eijciens emptores è templo præluſit extremo judicio.

§. 1. Eccleſia initio Adventus imitatur Solimannū Turcarum Imperatorē

SOlymannus Turcarum Imperator, circa annum Chriſti 1541. teſte Laurentio Surrio admiſſurus exterorum Regum & Principum legatos, in magnifico ſedit throno, inter duas menſas, utrimque ad dexteram & ſiniſtram poſitas. In una jacuerunt tela, arcus, acinaces, clypei, lanceæ aliaque militaria inſtrumenta, in altera, rami olivarum, ſerta, coronæ, monilia, gemmæ aliaque regia dona. Voluit prudentiſſimus Imperator oſtendere, ſe in utrumque paratum, ad pacem, & ad bellum. Signis iræ & furoris, romphæa, ſagittis &c. hoſtes ſuos voluit terrere, ſignis amoris & liberalitatis, regiis donis, voluit recreare amicos, & ad amicitiam provocare. Meo judicio idem intio Adventus agit Mater Eccleſia. Ante octiduum propoſuit nobis Chriſtum D. velut manſuetiſſimum regem & amabiliſſimum ſponſum, in throno SS. Humanitatis, in diademate, purpura, & corona, qua eum coronavit mater ſua. Suaviſſimus ille Rex ante octiduum nobis obtulit ramos olivarum, ſaccarum, mel & lac. In alio throno eundem nobis proponit Evangelium hodiernum, in nube, in iride, in ſede Majeſtatis ſuæ, hinc viridante palma in ſignum victoriæ & præmii, quo electos præmiabit, amabilis! inde vero gladio in ſignum furoris & vindictæ erga ſuos inimicos, terribilis. Viror palmæ à dexteris, ſignificat cœleſtem gloriam, laurigeroſque ſalvandorum triumphos. Enſis in ſiniſtra fulgurans, pœnam, qua reprobos æternum puniet. O qua voluptate exultabunt juſti conſpectu hujus palmæ! O: quàm trepidabunt! quomodo ululabunt impii à facie

Digitized by Google

facie hujus gladii! sed eheu! nimis sero. Hodie, statim, hoc momento incipite timere hunc judicem, ut agendo seriam pœnitentiam, eum vobis concilietis. Ipse Christus D. illis terribilibus signis, quæ ante diem judicii erunt in sole, lunâ & stellis, salutarem hunc timorem nobis conatur incutere; prout mox audietis.

Textus ait, *Erunt signa*, &c. qualia autem futura sint, non explicat; sed ante illud fecit Spiritus S. per varios Prophetas cap. 2. vers. 31. ait Joël. *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem; antequam veniat dies Domini magnus - à facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Eod. cap. v. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans*; qui omnia accendet; juxta illud Isaiæ cap. 13. v. 19. *Et erit Babylon illa gloriosa in terris, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham*; quæ urbes igne de cœlo fuerunt combustæ, Genes. cap. 19. v. 24. 25. O Roma talis eris! O Neapolis &c. tales eritis; præda flammarum. D. Ephrem lib. 1. de pœnit. cap. 4. *Cum viderimus igneum fluvium ab ortu solis, usque ad occasum, emanantem, & veluti sæviens fluctibus mare, montes ac valles devorantem, terramque omnem exurentem.* Erunt præterea signa! in terra terribiles motus, concussiones montium, ventorum fremitus, &c. in aëre fulgura, tonitrua, fulmina, in aëre terribiles cometæ, ardentes gladii, armatæ acies. In mari rabies fluctuum, &c. verbo, erit tribulatio, qualis non fuit ab initio. §. 2. *Futura signa in sole &c.*

Talia signa suo adventui ad judicium præmittet Deus triplici de causa 1. est, ut terreantur impii. Isaiæ 13. v. 6. *Ululate, quia prope est dies Domini, propter hoc - omne cor hominis contabescet - quasi parturiens dolebunt, ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus, ad conterendos peccatores - super hoc cœlum turbabo, & movebitur terra.* D. Cyrillus Alexandr. *Desperate! cum in vos ira Dei sit armata*, juxta v. 18. cap. 5. Sap. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* vers. 21. *pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Solem armabit tenebris, ut terreat, lunam sanguine, stellas terrificis radiis, ut timorem, metum & angustias undique incutiat. O impii! ululate! contra vos armabit ignem, aërem, omnes creaturas, ut præ timore contabescant corda vestra: §. 3. *Ob triplicem causam, 1. ut terreantur impii.*

 Imple-

Digitized by Google

Implebitur v. 44. Deuter. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum; & arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam.* Lib. 2. Reg. cap. 22. v. 14 *Tonabit de cælo Dominus, & excelsus dabit vocem suam* (per tubam Archangeli, *Surgite mortui, &c.*) *Misit sagittas & dissipavit eos; fulgur & consumpsit eos.* Exodi 9. v. 23. *Dominus dabit tonitrua & grandinem; ac discurrentia fulgura super terram & grando & ignis mixta pariter ferentur.* Timete, timete, ô impii.

§. 4. *Variæ causa magni terroris. 1.* Experientia docet, quis terror nos invadat. I. cum nocte derepente atrox oritur tempestas; cum fremunt venti, cum inter decidentes imbres murmurant nubes, cum tonitruis & fulminibus immugit æther: quis terror obruet impios, cùm tempestas longe sævior totum evertet orbem, cum elementa omnia turbabuntur. 2. Terrentur incolæ in aliqua urbe, cum improviso assultu hostis invadit mœnia, cum hostili gladio cæduntur omnia (est locus pro pulchra descriptione vastationis alicujus urbis) 3. Cum media nocte terribili exorto incendio pulsantur campanæ, & compita ferali perstrepunt clamore. Cum Holofernes in conspectu Bethuliæ incendisset hortos & agros, ait v. 18. cap. 2. Judith. *Terror & tremor invasit sensus eorum.* Cogitate, quis terror sit futurus inter impios in valle Josaphat, cum ab armatis creaturis undique infestabuntur, cum totum orbem funestis flāmis videbunt conflagrare. Timebitis! ululabitis impii! Utinam hodie ille terror & timor salutaris vos invaderet.

§. 5. *S. Fr. Xaverius terruit horribili tempestate* Cùm S. Franciscus Xaverius in Insula Maurica obstinato populo frustra prędicaret Christum & Evangelium, sub sacra dictione ardenti oratione è cœlo petiit auxilium; vix oravit, cùm repente diem atra involvit nubes; repente iratus æther debacchatus fuit tonitruis, pluit cineribus, grandinavit saxis. Vicinus mons flammarum globos, cinerumque torrentes eructans omnibus fuit terrori; armatæque rupes in sacrilegos ignea saxa evomuerunt; Dum interim mare, immani ventorum rabie exasperatum, littora irrequietis fluctibus arietavit. In tanto tumultu & terrore, barbari tristibus vocibus exclamarunt, *Misericordia! Misericordia!* quibus S. Xaverius motus, tanto fervore dixit, inter fulgura, fulmina,

Digitized by Google

fulmina, tonitrua, ut plurimos ad pœnitentiam commoverit. Hoc facite Auditores! timetis fulgura & tonitrua; timetis fulmina; timetis igneos globos, statim coram Crucifixo ruite in genua, tundite pectora, flete & misericordiam ejus implorate.

Anno 1256. in Germania (sic refert Th. Cantipr.) in exorta tempestate, tanta sævivit ventorum rabies, & tonitru coruscantium fulminum, ut homines quasi amentes discurrerint, metu horifico exanimati: Fuerunt, qui dicerent se vidisse dæmones in horribilibus formis, distinctosque in aëre in acies cõcurrisse. Cogitate quis fuerit terror: hũc quandoque Deus impiis solet incutere. Teste Baronio anno Christi 857. Coloniæ, in simili tempestate, in Basilicã quò ingens populi confugerat multitudo, incidit fulmen, veluti igneus draco, qui multos adussit, multos prostravit. Cogitate quis fuerit terror. Terribile est quod refertur in historia Peruana (vide Steng. tom. 2. de jud. cap. 4.) cum in gente quadam serperet pestis Sodomitica, descendit de cœlo visibili forma juvenis, instar solis, qui coruscante manu, trisulca fulmina supernè deiiciens in multos sparsit, & ad unum omnes uno momento exstinxit. Cogitate, quis inter alios fuerit metus. Alphonsus Rex Castellæ tantæ fuit superbiæ, & arrogantiæ; ut ausus fuerit dicere, se si Deus foret, sapientius mundum gubernaturum; quę insolentia cœlo adeò displicuit, ut Angelus pio Alphonsi militi apparens dixerit, *Lata est in divino tribunali contra Regem Alphonsum sententia, nisi resipiscat, crudeli morte interimetur. Et vade, nuntia illi triste nuntium.* Fecit miles, accessit & monuit Regem; idẽ fecit sanctus Eremicola, sed novus Pharao, novus Nabuchodonosor utriusq; verba risit; sed media nocte insequenti, regium conclave concusserunt duo horribiles venti, ut tremuerint fundamenta regiæ domus; cum muris, ostiis, fenestris, &c. Nubes inter se Aquilonum vi collisę, emicuerunt & fulgurarũt in flammas; ardere visus fuit aër, &c. sed nihil horribilius, quàm horrenda tonitrua & fulmina circumquaque debacchantia. Psal. 17. vers. 14. *Intonuit de cælo Dominus, altissimus dedit vocem suam, fulgura multiplicavit, & conturbavit eum:* Sed surdo hæc omnia, conturbatus quidem fuit Alphonsus, sed non ad humilitatem & pœnitentiam;

65. *Similis alia historia, & tempestates*

Digitized by Google

tiam! donec iratus Deus trisulcum fulmen in ipsum Regis conclave destinavit, quo & Regis & Reginæ vestes momento fuerunt combustæ; tum cœpit exclamare; *O Deus! ego sum qui peccavi! tu Deus! ego vermiculus! O Deus miserere.* Ita resipuit. Advertite, quare Deus horrendis signis nos terreat.

§. 7. *Altera causa horum signorum.* Alteram causam suggerit S. Bonaventura. *Ista signa erunt quædam peremptoria citatio, & terribilis sine omni excusatione ad judicium vocatio.* Solent judices ad illum finem mittere ministros urbicos vel satellites, qui, quales sint, ex certis notis, v.g. rubris, togis, albis bacillis, &c. agnoscuntur. O tremendum judicem Christum! quales ille mittet famulos? solem indutum tenebris &c. O impii! hi famuli vos citabunt.

§. 8. *Tertia causa.* Tertiam causam accepi ex c. 32. v. 8. Ezech. *Et operiam cum extinctus fueris, cælos, & nigrescere faciam stellas ejus, solem nube tegam; & luna non dabit lumen suum; omnia luminaria cæli mærere faciam super te.* Ad literam fuit locutus de morte Filii DEI in Cruce; nam tum factæ sunt tenebræ super universam terram, &c. & ita illius obitum luxerunt omnes creaturæ. In tremendo verò illo die judicii, adoptivi filii DEI, quos Deus creavit, quos DEI Filius suo pretioso sanguine redemit, & in cruce peperit, ut essent cohæredes ejus, sed hi inquam, quia ingrati & rebelles hostes ex hac vita discesserunt, illa die morti æternæ adjudicabuntur. O mortem luctuosam! quam plangent omnes creaturæ; præ luctu operientur cœli, nigrescent stellæ &c. luminaria cœli lugebunt. *Sicut* (inquit S. Chrysostomus homil. 40. op. imperf. tom. 2.) *moriente Patrefamilias universa familia turbatur, lacrymantur liberi, ululant famuli, muri teguntur atris pannis, faces, quæ lucere debent, pinguntur nigro colore: ita cum mundi hujus paterfamilias, & amplissimæ domus herus ac Dominus Homo, æternorum ignium sepulcro inferetur, merito omnes creaturæ lugebunt, obscurabitur sol, &c.* Ideo S. Bernardus exclamat: *O durum peccatoris pectus! cor saxeum, non carneum! durius durissimis adamantibus! quod liniri & emolliri nequit lacrymis solis, lunæ, siderum. Quid? irrationales creaturæ te lugent vero quasi à mente alienus super te ipso non doles?*

Digitized by Google

doles? Creaturæ insensibiles sentiunt perditionem tuam (sol sentit, luna sentit, &c.) *tu verò qui sensitivus es, eam non sentis.*

Quartam causam reperio apud S. Hieronymum in cap. 8. Joëlis. *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum- quia furorem Judicis aspicere non audebunt.* Cum Xerxes irato vultu aspexisset Proceres, adeo expalluerunt, ut illis dixerit: *Vt quid pallescitis commilitones mei?* responderunt; *Insolita quædam Regis majestas est in causa.* Seneca finxit in tragœdia filiolum Herculis, cum furibundi Patris faciem aspexisset, præ timore subito expirasse. Periit tremefactus infans aspectu patris, terribilior erit facies illa die, qua apparebit Christus judicaturus impios. Sol præ timore se abscondet, &c. quid vos impii facietis? desiderabitis abscondi in inferno, sed frustra, faciem judicis non effugietis. S. Vinc. Ferrerius Dom. 1. Adv. serm. 1. *Tunc eligerent peccatores potius ad infernum duci pro eo tempore, quam DEVM ita videre.* S. August. ser 120. de temp. *Majus tormentum malis erit furorem vultus Domini tolerare, quàm cruciatus infernales perpeti.* Similia ferme habet S. Hieron. sed de hoc puncto ago alibi: Ut nobis vultus ille aliquando sit amabilis, vos cito ad Christum judicem, sed in alio throno, misericordiæ, in SS. Cruce, &c. præcipue sodales, &c. properate. §. 9. *Quarta causa.*

Tum mundi Salvator illam ostentabit virtutem, quâ iniquos & impiorum Antesignanum Antichristũ, aspectu suo obruet, quo tanquam fulmine prostrati & contriti tartarorum quærent latebras; scilicet, *A facie Domini, & à gloria virtutis ejus*, 2 ad Thess. c. 1. v. 9. Emphaticam voculã hic ponit Tertull l. 5. contra Marcion. c. 16. dum legit; *à gloria valentiæ ejus.* Hoc est, suæ potestatis, sui roboris, suæ omnipotentiæ; nam sicut aspectus Jesu justis erit amabilis & jucũdus, ita iniquis horribilis; ideo de solo aspectu trementes terræ voragines amabunt, quibus se immergant & protegant, à facie valentiæ. Quo verbo Tertullianus indicat, invictum robur aspectus judicis, quo solo imperitabit terræ, ut tota, dehiscens, hostes suos obruat, & in barathrum præcipitet. Vocatus propterea à Jacob, *Catulus leonis*, Gen. 49. v. 9. S. Cyril. Alex. *Catulus leonis est Christus, cum sit Filius Dei omnipotentis; qui & sine pugna vincit, & solo verbo potest perterrefacere eos, qui ipsi resistunt.* §. 10. *Solus judicis aspectus terrebit impios.*

Digitized by Google

Sicut Propheta ait, Leo rugiet, & quis non timebit. Aſpiciet tantum impios, & diſſolvet illos. In fremitu conculcabit terram, in furore obſtupefaciet gentes; montes & colles ſæculi conteret.

§. 11. *Quare Iudex dicatur Leo, & urſus.*

Irâ percitum, & inflammatum judicem in peccatores ſævientem ita deſcribit Amos cap. 5. verſ. 18. & 19. *Dies Domini iſta, tenebræ & non lux. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei urſus.* Hoc vaticinium SS. Patres uſurpant de ſecundo adventu Chriſti D. ad judicium, in quo duorum animantium leonis & urſi comparatio epithaſim habet, ad demonſtrandum, quo pacto Chriſtus D. Clementiam aut iram oſtendat erga ſceleratos, in primo & ſecundo adventu: *Nam pœnitentibus leo, impœnitentibus urſus eſt:* quod ita expendit Rupertus. *In utraque ſimilitudine diem intelligimus Domini; primum & ſecundum adventum Domini: à facie leonis hujus fugere volentibus occurret urſus, id eſt, inevitabilis terror ſecundi adventus, & merito talis urſus illis occurret, quoniam fugerunt à facie leonis. Debuerant namque potius, coram leone illo proſterni, id eſt, agere pœnitentiam, ad prædicationem Evangelii Chriſti; Sicut enim leo, proſtrato dicitur parcere homini, ſic parcit Chriſtus peccatori pœnitentiam agenti.* Clarius Ribera. *Parcit leo homini proſtrato, & iram ſuam cohibet: at fugienti à facie leonis urſus occurrit; qui neque proſtratis parcit, id eſt; Chriſtus in ſecundo adventu, quò inimicos ſuos æterni ignis pœna puniet, & quaſi urſus lacerabit.* Abjecto, leo parcit contentus, quod ſua generoſitate vincat, Urſũ non mitigat aliena ſubmiſſio, ſed ferina rabie, & truculenta dilaceratione, abjecta quoque præda potitur. In primo adventu JESUS leo adverſus peccatum, & mortis auctorem terrificus, & immanis infremuit, cum totus imbutus ſanguine, calcavit hoſtes, preſſura Crucis, & ira ſua ſubvertit. At erga peccatores pius & clemens, proſtratæ & lacrymabundæ Magdalenæ, Petro gemibundo parcit, latronem ſupplicem de Cruce abſolvit, & miſericordiæ viſcera oſtendit. In ſecundo adventu, & poſt hanc vitam, cum clauſa eſt pœnitentiæ janua, impœnitentibus inſtar urſi occurrit, totam iram & vindictam effundit, ut experiantur terrificum Judicis irati vultum, qui Regis & Domini clementiam deſpiciunt.

§. 12. *Moyſes ira-*

Figura fuit Moyſes, qui vindicaturus ſcelus idololatriæ ob

erectum


erectum vitulum, viros ex Levitis fortissimos ita fuit allocutus, Exodi 32. vers. 26. *Ponat vir gladium super femur suum; ite & redite de porta usque ad portam, per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem & amicum, & proximum suum, feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa, quasi viginti tria millia hominum.* Nec minoris animositatis insigne, eodem capite recensetur; cum ad conspectum vituli conflatilis, ira excandescens, & superni Numinis zelo correptus, vitulum contrivit usque ad pulverem; ib. v. 20. *arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israël.* In his non tam demoror Moysen hominem mitissimum ita excandescentem, & divino quodam furore exæstuantem, ut Domini offensam, flagitiumq; maximum vindicaret; quam populum terrore perculsum, & attonitum; Mosaica voce quasi ictu quodam terrifici fulminis exanimatum. Unde hic pavor & formido in populo? munito & cincto tanto milite? cur aliarum tribuum præliares copiæ, non cohibent Levitarum cohortem, cur iram non compescuerunt? cur non averterunt exitium? cur non obsistunt Moysi? cur non cogant, ut cohibeat manum ab effusione sanguinis cognatorum? Argutè respondet Abulensis quæst. 30. Ad præsentiam Moysis, vitulum illum conculcantis, & in eorum confusionem maximam turpiter destruentis, nullus aliquid faciebat, quia invaserat eos timor, & tremor, & occupaverunt eos tenebræ. Et aptè subjungit, Moyses in reditu suo fuit in vultu terribilis, emittens aliquos radios de vultu suo ad terrorem malorum, ut non auderent ei repugnare. Talis erit Christus judex, in tremendo die judicii, &c. (fac pulchram applicationem, cum elegantibus descriptionibus)

tus figura Christi Judicis.

Prælusit Christus D. huic terrori; cum Joan. c. 2. v. 14. adiens templum, in illo invenit vendentes boves, & oves, & columbas, & numularios sedentes. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves & mensas evertit.* Mirabile hoc spectaculum; cernere Jesum, suâ dexterâ aliàs ad benefaciendum extentâ, quæ cœcis oculis indidit lumen, &c. nunc scutica armata, in improbos desævientem. Omnes ejecit. Et quid

§. 13. Christus D. flagello ejiciens è templo emptores prælusit extremo judicio.

hoc mysterii? alias Pharisæi tam prompti ad contumelias, ad maledicta contra JESUM; cur hic siluerunt? cur fugerunt? Respondet Hugo Card. in cap. 2. S. Joan. *Dicitur autem, quod quidam radii claritatis, exibant à facie ejus, quibus exterriti illi homines fugiebant à conspectu ejus, non valentes illis resistere.* Eleganter quoque Abulensis in S. Matth. *Potuit id fieri, per solam ostensionem terroris in facie; poterat enim aliquid ita terribile videri in vultu Christi; quo conspecto, omnes, qui respicerent, timerent & caverent ab eo.* Sed quid fiet in tremenda illa die, cum regnans in cœlis, cum judex vivorum & mortuorum, horribili vultu aspiciet impios, & dicet, *Non novi vos, ite maledicti in ignem æternum.* S Chrysost. hom. 24. in S. Matth. *Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est, à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo, non novi vos; atque argui, quod esurienti, & sitienti negaverimus cibum & potum. Est enim satius mille fulmina sustinere, quam vultum illum mansuetudinis, pietatisque plenum; nos tamen aversantem videre, & illos placidissimos oculos nequaquam nos aspicere sustinentes.* (poterit fieri affectuosus Epilogus, cum apostrophe ad Jesum, ut hoc non fiat.)



CONCIO III.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Cum audisset Ioannes in vinculis,
Matth. 11. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Variæ invectivæ ex Sacris litteris & SS. Patribus, contra luxum vestium.

§. 1. *Con-*

Digitized by Google

ROgo Auditores, ut sibi persuadeant, non esse mihi in animo, in materia lubrica, ullum vel ullam, in particulari pungere, vel reprehendere. Paulò ante concionem, flexis genibus coram Venerabili Sacramento, hoc mihi proposui. Silere plane non possum; murmurat mea conscientia, & ait. Quomodo coram supremo judice subsistes, quod contra tantos excessus in luxu vestium, tuis Auditoribus nunquam proposueris illa, quæ Spiritus S. in sacris literis, & per sanctissimos Ecclesiæ Patres tibi suggessit? satisfaciam itaque meæ conscientiæ. Deinde moneo; nolle me reprehendere habitum honestum, cujusvis statui convenientē, in illas vestes collegi invectivam, de quibus dixit S. Cyprianus, de habitu Virg. *Fugiant castæ Virgines, & pudicæ mulieres, incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum.* Illas reprehendo fœminas, de quibus dixit Isaias cap. 3. vers. 16. *Exaltatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt alto collo, & nutu oculorum, & incessu pedum trahentes tunicas, &c.* de quarum collo, præsertim de nudato (S. Ambr.) *dependent monilia; per humum vestis trahitur aurea, &c.* S. Cyprianus. *Serico & purpura indutæ, Christum induere non possunt. Auro & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta pectoris perdiderunt.* Contra tales est mihi sermo.

§. 1. *Concionatores tenentur loqui contra luxum vestium.*

§. 2. Hic luxus dedecet hominem, etiam judicio gentilium.

Ipsi gentiles ante natum Christum, agnoverunt dedecere hominem nimium ornatum vestium. Severus Imperator cum audieret, displicere se quibusdam ob vilem vestitum, respondit: *Imperatoria majestas virtute constat, non corporis cultu.* Hoc de omni statu hominum dicere possumus, v. g. dignitas, auctoritas alicujus Prælati, non constat corporis cultu sed virtute, &c. Apud Lacedæmonios præcipui ex summo magistratu fuerunt constituti, qui frequenter urbem obambularent, inspecturi, an aliquid à decenti ornatu alienum usurparetur. Tales Censores hodie essent necessarii; sed, ô pudor! illorum loco tolerantur opifices, sartores, sutores, mercatores; imo meretriculæ quæ faciunt professionem, ut novos, non novos tantum, sed vanos, leves, (dicam veritatem,) meretricios componunt, faciunt, vendunt habitus, aliaque vestium ornamenta. Clemens Alexandr. eosdem Lacedęm. laudat, quod pictas, aureas & floridas vestes permiserint solis meretricibus: quod Athenæus confirmat, asserens; apud Syracusanos cautum fuisse, ne mulieres auro ornarentur, nec floridas vestes gestarent, nec purpureos haberent contextus, nisi forte publica esset meretrix. Cum comptus adolescens aliquid quæreret ex Diogene, respondit: *Non tibi prius responsurus sum, quam sublatis vestibus ostenderis, utrum masculus sis, an fœmina.* O si Diogenes hodie obiret hanc urbem, & viros videret togatos, togis mulierum, contra fœminas in thoracibus virorum; quid diceret? Cæsar Augustus apud Suetonium fuit ausus dicere: *Vestitus insignis ac mollis, superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ.* Ob talia testimonia gentilium dixit S. Cyprianus de hab. Virg. *Ornamentorum & vestiū insignia, ac lenocinia formarum, non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum fere pretiosior cultus, quam quarum pudor vilis est.*

§. 3. Testimonia S. Petri, S. Pauli & Christi Domini.

Itaque apud Christianos majoris ponderis debent esse illa, quæ contra hunc luxum protulerunt S S. Patres; instructi à doctissimis Magistris S. Petro, S. Paulo, & ipso Christo D. Hic propterea in hodierno Evangelio laudat S. Joannem Baptistam, quod non fuerit vestitus mollibus; dum deinde apud S. Lucam asseruit, divitem

vitem epulonem sepultum esse in inferno, quod purpura fuerit indutus & mollibus, satis insinuat, quid sentire debeamus. Instructio S. Petri ep 1. cap. 3. vers. 3. sic habet: *Mulieres subditæ sint viris suis, &c. quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate modesti & quieti spiritus.* S. Paulus 1. ad Timoth. cap. 2. vers. 8. *Volo mulieres orare in habitu ornato cum verecundia & sobrietate; ornantes se non tortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* Quid clarius? Ecclesiastici cap. 11. v. 4. *In vestitu ne glorieris unquam, nec extollaris.*

Eleganter S Gregor. Naz. ad Olymp. *Purpureæ, aureæ, eximiæ & splendidæ vestes, his demum conveniunt, quibus nullus vitæ splendor, nullum virtutis decus suppetit.* S. Hieronymus asseveravit, *Munditiem corporis & vestitus, animæ esse immunditiem.* S. Bernardus lib 3. conf. *Vestium curiositas, deformitatis mentium & morum indicium est.* Causam talia dicendi dedit illis vers. 27. cap. 19. Ecclesiastici. *Amictus corporis & ingressus hominis enuntiant de eo.* S. Clemens Alexandr. declarat hoc simili, in pæd. libr. 3. cap 1. sicut cui impositum est cataplasma; & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem; ita fuci, tincturæ, & ornatus affectatus animam intrinsecus ægrotare significant. Paradoxon multis videbitur dictum S. Joannis Chrysost. hom. 37. *Impossibile est aliquem agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem & ornatum; sicut & impossibile, in externo illo cultu, tantopere occupatum, illius agere curam.* Advertite, quid præcipue carpant SS. Patres; nimirum propter vestes, nimium occupari: præsertim diebus festis, quibus multæ in ornatu corporis impendunt duas, tres horas; audiendo sacro vix quadrantem impendunt; imò servis & ancillis dant causam, ut missam planè negligant. §. 4. *Testimonia SS. Patrum*

Cum Pampus piissimus Eremita vidit comptam mulierem; amarissimè flevit; rogatus causam, respondit. *Lacrymas fundo, 1. quod videam hanc mulierem, adeo formosam, adeo ornatam ruere in infernum. 2. quod ego non tanta cura ac studio incumbam ad placendum DEO, quanto illa ad placendum hominibus.* Similia fere dixit S. Nonnus Ep. cum S. Pelagia adhuc peccatrix illi obviavit. *Quot puta-* §. 5. *Pia querela Pampi & S. Nonni.*

tis

tis horas, hæc in comendo corpore consumpsit, ut hominum placeat oculis; & quantum temporis nos impendimus, ut Deo placeamus? hæc dicens, amarissime flevit; ardentibusque precibus conversionem Pelagiæ à Deo impetravit. O si ego hodie essem talis orator! verba non sufficiunt, ut superbi, vani adolescentes; superbæ & vanæ fœminæ in hac materia horrorem concipiant, ut terreantur, imò rident, contemnunt; lachrymis & ardentibus precibus est opus, ut misericors Deus illorum misereatur.

§. 6. *Invectiva in illas quæ depingunt facies.* Tertullianus de cultu fœm. & S. Cyprianus acriter reprehendunt illas fœminas, quæ non tantum propter vestes sunt sollicitæ, sed ut fictam & emendicatam acquirant, ostententque pulchritudinem, coloribus pingunt facies. *Tales in Dominum delinquunt,* (Tertullianus) *quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt: Displicet illis nimirum plastica Dei, reprehendunt artificem suum.* S. Cyprianus cit. *Operiunt illud* (etiam nigris ex serico larvis, vel ridiculis emplastris, rosis, stellulis, circulis, semilunulis, &c.) *quod Deus in homine formavit, ut conspiciatur desuper id, quod diabolus adinvenit.* S. Ambrosius de Virg. lib. 1. *Hinc illa nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant; ut de adulterio vultus, meditentur adulteria castitatis.*

§. 7. *Risui illas exponit S. Gregor. Nazian.* Omnium risui tales exponit S. Gregorius Nazian. Oratione adversus mulieres, ambitiosius sese ornantes, tam eleganter, ut omnia vela Eloquentiæ & eruditionis videatur expandere, sic enim ait. *Pulchritudinem, quæ absterſa in terram fluit, nec ad risum consistere potest; simul atque effusior lætitia genas solverit, quæ etiam lachrymarum rivulis proditur, & humido liquore, guttisque exiguis adeo labefactatur, atque deletur, ut gena quæ prius gratissimo quodam nitore prædita erat, eadem repente non sine magno hominum risu, bicolor, subatra, marmorea, nigra, minioque tincta appareat.* Non ergo te pudet pulcritudinem, quæ tam facile perdi, atque obliterari potest, retinere. Atqui hoc non statuis vivis, motuque præditis conveniunt: ob idque turpe & flagitiosum tibi est, portatilem formam, multisque modis, delebilem portare. Et postea. Venustas hæc Adonidis hortus est, citò marcescens; Polypi color, literæ

Digitized by Google

teræ in arena conscriptæ. An tu cum graculi formam habens, non times tibi alienis detractis pennis, risum tandem moveas juxta illud Horatii; *Moveat cornicula risum, Furtivis nudata coloribus.*

Elegantissima similitudine rem declarat Clemens Alexandrinus. Confert comptam mulierem cum aliquo Ægyptiorum templo. Licet in illo intueri amplas porticus, vestibula magnifice exstructa, atria variis columnis cincta, adyta ornata aureis tapetibus. Ubi verò spectare volueris Deum vel pręcipuum simulacrū illius templi, si sacerdos venerandus velum retraxerit, Deum ostensurus; abunde nobis suppeditat occasionem irridendi Numinis; neque enim intus invenietur Deus, qui quærebatur, sed felis, vel crocodilus, vel serpens, vel alia hujusmodi bellua, quæ templi quidem est indigna, sed antro speluncæ ac cœno magis congruit. Apparet Deus Ægyptiorum, bellua, in purpura splendens. Tum subjungit idem Clemens Alexan. *Ita etiam mihi videntur fœminæ, quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & in genis ungendis, oculisque pingendis, & pilis tingendis versantur & vere Ægyptios imitantes, &c.* Si quis hujus templi velum aperuerit, & fugacem colorum tincturam hypocrisis detraxerit, ut veram pulchritudinem nanciscatur, stupebit, ridebit, cuncta abominaturus. Neque enim Dei imaginem inveniet intus inhabitantem, sed loco ejus adultera & fornicatrix anima occupabit adytum, & vera esse bestia convincetur, fuco scilicet intrita, & incrustata simia; & seductor ille serpens, mentis exedens intelligentiam, per gloriæ cupiditatem pro spelunca habet animam, & cum exitialibus venenis omnia impleverit, & erroris sui virus eructaverit, mulieres, quæ sunt junctæ matrimonio, in meretrices transformat hic draco fūgens lenonis officio. Non est enim mulieris, quæ nupsit, sed meretricis illud nimium sui ornandi studium. Confirmat hæc S. Ambros. l. 1. de Virgin. *hinc illa nascuntur incentiva, ut quæsitis coloribus ora depingant, & de adulterio vultus, meditentur adulteriū castitatis.*

§. 8. *Sunt similes templis Ægyptiacis*

Præcipuum est, quod hic luxus sūmoperè displiceat Deo Creatori. S. Ambrosius lib. 6. hexaëm. cap. 8. *Pictus es, O homo, pictus es à Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem; noli bonam delere picturam*

§. 9. *Luxus vestium displicet Deo.*

picturam non fuco sed veritate fulgentem, non cerâ expressam, sed gratiâ. Deles picturam mulier, si vultum tuum materiali candore oblinas; si acquisito rubore perfundis. Illa pictura vitii, non decoris est; illa pictura fraudis, non simplicitatis est. Illa pictura temporalis est; aut pluvia aut sudore tergitur; illa pictura fallit, & decipit, ut neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit, non tuum, sed alienum esse quod placeas: & tuo displiceas auctori, qui videt suum opus esse deletum. Dic mihi si super artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris novis operibus obducat, nonne indignatur ille qui opus suum adulteratum esse cognoverit. Multo magis indignatur Deus, in quem delinquunt, quae genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet nimirem plastica Dei, in ipsis redarguunt reprehenduntque artificem omnium; Reprehendunt enim cum emendant, cum adjiciunt; utique ab adversario artifice sumentes additamenta ista, id est, diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum, malitia transfiguravit. Quod nascitur opus Dei est, ergo quod fingitur, diaboli negotium est. Iisdem fere verbis loquitur S. Cyprianus lib. de discipl. & habitu Virg. Dicit Deus, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & audet quisquam mutare, & convertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt; nescientes, quia opus Dei est, quod nascitur, diaboli, quodcunque mutatur.*

§. 10. *Testimonium S. Cypriani.* Finiat hunc discursum idem S. Cyprianus, cum comptam foeminam ita alloquitur. *Non metuis, oro, quae talis es, ne cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat & ad sua praemia & promissa venientem removeat, & excludat? Increpans rigore censoris & judicis dicat. Opus hoc meum non est, nec imago haec nostra est. Cutem falso medicamine polluisti, crinem adulterino colore mutasti. Expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es; de inimico tuo compta, cum illo pariter es arsura.* Haec S. Cyprianus.

§. 11. *Sunt similes* Ob aliam in vestitu superbiam, praesertim mulierum S. Damascenus in vita Barlaam & Josaphat illas vocavit daemones; puto

Digitized by Google

puto ob illam causam, quod Lucifer illas per superbiam conetur sibi assimilare. Sed S. Bernardino displicuit peculiaris vestium luxus, nimirum illæ longæ caudæ, quas superbæ fœminæ longo syrmate post se trahunt, ideoque ait, *cum diaboli in horribilibus formis oculis nostris proponuntur, plerumque pinguntur caudati, conantur superbas per omnia sibi reddere simillimas.* Acutam alii suggerunt rationem. Cum superbæ fœminæ ob alias malitias, plerumque sint venenati scorpiones; bene illis suggerit diabolus, ut caudas post se trahant, ex quibus noscantur. Nisi malimus dicere esse caudas vulpium Samsonis, cum quacunque incedunt, spargant flammas & ignes concupiscentiæ, de quibus ait Salomon Proverb. cap. 7. vers. 16. Et ecce: *occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas; garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo sua consistere pedibus, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.* S. Basilius homil. 24. *Quid ab his exspectandum, nisi ut prætereuntes, & aspicientes blande invitent; imò ut alienis matrimoniis insidientur.* Diabolo.

§ 12. Non miremini, me sæpius nominare Virgines & fœminas, quam comptulos adolescentes; sunt enim ipsi potius puellæ, quam juvenes & viri. Induunt non caligas, sed togas; alunt, comunt comas & capillitium ut puellæ &c. (est locus pro pulcrâ descriptione cum invectivâ.) *Adolescentes sunt puellæ.*

§. 13. Utrumque sexum ob vestium luxum, Spiritus S. terret gravibus minis; per Isaiam cap. 3. vers. 16. *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion & ambulaverunt extento collo; nutu oculorum, & incessu pedum trahentes tunicas; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In illa die auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murænulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & Specula, & sindones, & vittas. Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine, calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Lib. 4. Reg. cap. 9. nobis proponit exemplum; ornaverat se magna cura infamis Jezabel, præcipuè verticem, pinxerat faciem suam, sic *Terribilia mina contra vanas filias Sion, & tragica exempla.*

Digitized by Google

prospexit per fenestras, ut placeret transeuntibus; sed Jehu Rex Israël jussit illam præcipitari de turri per fenestram, & parietes aspersi fuerunt sanguine ejus; jacens in terra conculcata fuit ab equis, & canes comederunt carnes ejus. Videor mihi videre, quomodo hæ bestiæ tractaverint corpus prostitutæ Jezabelis. Adeste superbæ filiæ hujus urbis NN. Spectate! intuemini hoc speculum! Herodes fuit superbissimus in aureis, & regis vestibus, sed tandē correptus fuit fœtido morbo, & vermes comederūt carnes ejus. Dives epulo Luc. 16. in hoc mūdo indutus fuit bysso & purpura, in altero circumdatus est flāmis. S. Hier. ep. ad Lętā. narrat matronę cujusdam exaruisse manum, objisse post quod Virginis Eustochii caput ornasset gemmis, & capillos vano modo disposuisset. Cum Maria, filia Ludovici Pii Regis Francorum, vidua tota vanitati dedita, objisset, ejus famuli ita in regio conclavi omnia diripuerūt ut nudum cadaver reliquerint prostratum in terram: cum aliqui misericordia moti vellent tegere stramine, instinctu Spiritus S. id prohibuit piissimus Abbas, qui aderat, & exclamavit; *O vos omnes venite, cernite pompam nobilissima fœmina Maria! videte illud delicatissimum corpus, quanto dedecore pudoris involutum est, videte quid pro multiplici honore, & gloria mundus finaliter exsolvit.*

§. 14. *Suadetur illis memoria mortis.* Hoc opto, ut amatores vestium & nimii ornatus corporis, subinde cogitent, se fortassis brevi morituros: & quid tum proderit pompa vestium? O filiæ! hodie inceditis ornatæ, cras induemini mortuali indusio: hoc & non plus auferetis ex hoc mundo. Saladinus Rex Asiæ, Syrię & Ægypti jussit sibi semper præferri perdicam cum simili veste, inclamante præcone: *hoc & non plus ex tot divitiis secum feret Saladinus.* Hæc cogitate, & cum pavonibus respicite pedes, & alius vobis erit animus. Et videte ne differatis. Distulit olim in Italia Spoleti, petulans puella, ut jam agonizans voluerit indui superbis vestibus, sed monita de confessione, de periculo, &c. in has blasphemas prorupit voces: *quid mihi cum Deo, quo cum nihil mihi unquam fuit commercii, veniat diabolus, confestim advolet, ille me auferat, cui corpus & animam dicavi.* (facile poteris addere patheticam apostrophen ad superbos, &c.)

CONCIO

CONCIO IV.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Ego vox clamantis in deserto,

Joannis 1. cap. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Dilatio Pœnitentiæ est periculosa.

§. 1. *Exordium primæ Concionis S Ioannis Chrysostimi, Constantinopoli.*
§. 2. *Deus & Christus D. non volunt mortem impii.*
§. 3. *Si agat pœnitentiam; si abjiciat à se peccata, in mare Sanguinis Christi.*
§. 4. *Si recedat à viis pessimis.*
§. 5. *Si faciat sibi cor novum.*
§. 6. *Prosecutio.*
§. 7. *Se convertatur impius, id est, si lavetur, mundetur, &c.*
§. 8 *Præsertim à peccatis coccineis.*
§. 9 *Patet ex historia, quod pœnitentia operetur res magnas.*
§. 10. *Si quiescat agere perverse.*
§. 11. *Et pœnitentiam non differat, quod est periculosum.*
§. 12. *Qui Pœnitentiam differunt, frequenter improviso moriuntur: v. g. Amon Rex Iuda.*
§. 13. *Testimonium S. Ambrosii.*
§. 14. *Mors comparatur furi.*
§. 15. *Differentes pœnitentiam difficile, aut vix salvantur.*
§. 16. *Epilogus.*

S. Joannes Chrysostomus cum conspirantibus votis electus fuisset Archiepiscopus Constantinopolitanus, primā ad populum concionem, in præsentia Imperatoris aliorumque Principum, his verbis fuit exorsus, teste Surio in ejus vita. *Nos qui infallibilibus Dei rationibus, ideo ad vos venimus ut voluntatem ejus testificemur; hoc primum verbum à Christo, & divino ejus Præcursore accipientes, vobis annuntiamus & suademus,* *Pœniten-*

§. 1. *Exordium primæ Concionis S. Ioan. Chrys. Constantinopoli.*

Pænitentiam agite, quoniam appropinquavit regnum cælorum. Putavit vir sanctus se nihil utilius posse prędicare, quàm pœnitentiam. Idem mihi sensus est Auditores; præsertim hoc sacro tempore Adventus. Nemo dicat, durus est hic sermo, asperum quid est Pœnitentia. Nam reponam illud S. Augustini Serm. 67. de temp. *Hæc ego cogitans fratres, tam pro me, quam pro vestra salute rationem me redditurum esse, ante tribunal æterni judicis, eligo aspera, sed salutaria medicamenta.* Hoc fecit S. Augustinus, faciam & ego, ut aliquando coram judice meo asseverare possim, prædicasse meis Auditoribus pœnitentiam; & quidam in hac concione ex sacris literis, quid sit agere pœnitentiam.

§. 2. Deus & Christus D. non volunt mortem impii.

Cap. 18. vers. 32. Deus per Ezechielem affectuosam hanc proponit quæstionem. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii? & ut non convertatur & vivat? vivo ego, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius & vivat.* Ut idem quæram de Christo Domino Salvatore nostro rogo vos, ut oculos vestros conjiciatis in imaginem Crucifixi; quid videtur vobis, an velit mortem impii? videtis illa patentia Vulnera? cernitis profluentem ex illis sanguinem? quid vobis videtur? an putatis hunc cruorem clamare vindictam, & mortem impii, an potius veniam & misericordiam: Ego ex patenti pectore, & vulnerato & transfixo corde mihi videar non alias audire voces, quam has: *Vivo ego, nolo mortem impii?*

§. 3. Si agat pœnitentiam. Si abjiciat à se peccata in mare sanguinis Christi.

Sed percipite quid statim subdat divina Misericordia. *Convertimini: convertimini & pænitentiam agite.* In his: *projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: convertimini à viis vestris pessimis.* Ecce actus essentiales, sive effectus primarios veræ pœnitentiæ, ut virtus est. Commissas prævaricationes v. g blasphemias, juramenta, odia, iras &c. à se abjicere; per contritionem & sinceram, integramque confessionem. De præteritis peccatis loquitur Propheta, veluti de gravi onere & pondere; hoc onus debet abjici; & projici in profundum mare pretiosi sanguinis Christi salvatoris: in hac abysso debet submergi infernalis Pharao. Propheta de peccatis loquitur veluti de vermibus, hinc debent projici in salsas & amaras aquas lachrymarum contriti cordis, ut ibi

Digitized by Google

ibi submergantur. Loquitur de peccatis, veluti de chirographo, quo subscripsimus, non esse reos æternæ damnationis; hæ syngraphæ projici debent in flammas divini amoris, ut comburantur. Debent affigi Sanctissimæ Cruci, ut deleantur sanguine Jesu Crucifixi.

§. 4. *Si recedat à viis pessimis.*

Convertimini: id est, à viis vestris pessimis recedite. Ambulastis hactenus vias hujus mundi; recedite. Ambulastis in viâ latâ, quæ ducit in perditionem, deserite. Cucurristis per prata, de quibus impii dicunt, Sap. 2. vers. 8. *Venite coronemus nos rosis, non erit pratum, per quod non transeat luxuria nostra?* Citò! citò! abjicite rosas! conculcate pedibus. Non rosea, sed spinea semita Crucis & pœnitentiæ vos ducet ad vitam. *Tum facite vobis cor novum*. Hoc pœnitenti præstat pœnitentia, cor novum: Habuerunt fortassis hactenus aliqui cor arrogans, & spiritum superbum; per pœnitentiam, spiritus illos supprimite, facite cor humile, in quo Jesulus possit quiescere. Habuistis cor plenum sordibus luxuriæ, ejicite has maculas, ut Jesulus in vobis inveniat cor mundum, circumvallatum liliis, inter quæ cœlestis sponsus, amator puri talis libenter pascitur, Habuistis cor lividum, quale habuit Cain, plenum viperis; per pœnitentiam illas venenatas bestias ejicite, inter quas Parvulus de Bethleem non commorabitur! suntne corda vestra frigida velut gelu, dura velut marmor? statim in illis excitate flammas & ignem divini amoris, ut in illis calefieri possit amantissimus ille puer, cum præ frigore tremens jacebit in præsepio.

§. 5. *Si faciat sibi cor novū.*

Facilè cogitare possumus, quale fuerit cor S. Pauli, cum ante conversionem Jerosolyma excessit in Damascum, ut fidelibus Christi injiceret catenas, vinctosq; traheret ad Synagogam. Non est opus, ut hic vobis enarrem modum admirabilis conversionis, de cœlo ruit vox instar fulminis, &c. Sed post conversionem, ait S. Chrysostomus (vide Nadas. 25. Joan.) *Cor illius, cor totius orbis cor accensum & ignitum, cœlis sublimius, Orbe latius, radiis solaribus exhilaratius, igne ferventius, adamante solidius, cor, quod novam vitam, non hanc nostram, vixit. Cor Christi, erat cor Pauli.* O si hoc tempore seria Pœnitentia, corda nostra converteret in cor S. Pauli!

Digitized by Google

S. Pauli! (si placet, fusius expono, qualia corda debeamus præparare Jesulo.)

§. 6. Prosecutio. V. g. *Dominus prope est, veniet, & non tardabit.* Veniet instar Regis; præparate illi, veluti subditi, cor novum, subditum & obediens. Veniet veluti summus sacerdos, facite vobis cor novum, ut sit mundum altare, vel templum, ut Jesulus *habitet in cordibus vestris.* Veniet ut sponsus, præparate illi cor novum, veluti thalamum vel lectulum floridum floribus pulcerrimarum virtutum, ut arrideat Jesulo. Hi sunt effectus veræ pœnitentiæ, hæc præparat vias Domini, ut ad nos veniat, pœnitentia hæc habet fortes funiculos, ut illum ad nos trahat.

§. 7. *Si convertatur impius, id est si lavetur, mundetur &c.* Quæstioni propositæ, quid sit agere pœnitentiam, respondeo cum Isaia cap. 1. vers. 16. postquam gravissima impio populo objecit scelera, hortatur illos ad pœnitentiam his verbis: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, ab oculis meis, quiescite agere perverse. si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Cap. 12. vers. 3. ostendit nobis fontem, vel aquas in quibus lavari possumus. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris. Hoc est, inquit S. Hieronymus *de fontibus Iesu.* Hoc enim modo Hebræorum lingua salvator exprimitur. De quibus fontibus sit sermo clarius explicat S. Ambrosius in vers. 6. psalm. 37. *Non tabes mortis de vulnere ejus, sicut hominum cæterorum, sed fons vitæ scaturivit æternæ, ut scriptura nos edocet dicens: Et saliet aqua cum delectatione de fontibus salvatoris.* O impii! ecce illos in imagine Crucifixi; huc currite, huc properate! hic haurite aquas ut lavemini, ut mundemini. Emphasis latet in verbo *haurite*; quā ut intelligamus, meminisse debemus v. 28 cap. 9. ad Hebr. *Sic & Christus semel oblatus est, ad exhaurienda multorum peccata.* Ut manifeste appareat. 1. sanguinem Christi efficacissimam habere vim ut consumat, exhauriat, deleat peccata. 2. Ut binæ hæ phrases, haurite, & exhaurire hunc sensum componant; scilicet sanguinem Christi hauriri; sed non exhauriri, exhauriri verò peccata, sive ita mundari, ut plane tollantur: sive adeo largam atque copiosam hujus fontis esse scaturiginem, ut nulla sit peccatorum conge-

Digitized by Google

congeries; ſive tam latum atque ſpatioſum mare omni flagitiorum & turpitudinum genere redundans, quod ab eo, qui haurit aquam de fontibus JESU, non poſſit exhaurire, ſive à quibus ſceleribus lavari & mundari non poſſit, etiam unicâ guttâ ſanguinis Chriſti Salvatoris. Duo cogitate maria. 1. Scelerum & flagitiorum, in quo tot v.g. blaſphemiæ, &c. quot ſunt arenæ & guttæ maris; hoc mare exhauriri poteſt; exhaurit contritio, exhaurit pœnitentia, &c. 2. Mare ſanguinis Chriſti, & pelagus divinæ miſericordiæ; hoc exhauriri non poteſt. Hauſit ex illo S. Maria Magd. non exhauſit: hauſit latro in cruce! hauſit S. Petrus! ſed non exhauſerunt. Ideo Euthymius, cum conſideraſſet, quantâ benignitate piiſſimus Pater recepiſſet filium prodigum exclamavit! *O admirandam reconciliationem! quid loquar, aut quid dicam de ineffabili DEI benignitate? nam ubi immenſum illius pelagus reſpicio, ſermo mihi præciditur; neque quid loquar reſiduum mihi eſt, ſolum hoc liberâ atque clara voce clamo: Quod res magnas efficit pœnitentia.*

Subdit Propheta Iſaias, à quibus peccatis potiſſimum debeamus mundari. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum.* legunt alii, vel explicant, *ſanguinea.* alii *enormia.* alii *meretricũ.* Auditores; coccineũ, ſanguineum, enorme peccatum eſt blasphemia, præſertim per Vulnera, Sacramenta & Sanguinẽ Chriſti, (hoc modo fiat invectiva in varia ſcelera) Res magnas efficiet veſtra pœniten. *§. 8. Præſertim à peccatis coccineis.*

Quod aliqui exponunt pulchrâ hiſtoriâ. Vidit S. Paulus ſimplex diſcipulus S. Antonii aliquem ingredientem in templum, nigrâ facie inſtar Æthiopis, in ore ejus ferreũ frenum, quo à dæmone quodam ducebatur, ſubſequente à longè Angelo cuſtode. O quisquis es in ſtatu peccati mortalis, quàm es miſer! niger es veluti Æthyops, lateri tuo adſtat dæmõ, ferrea fræna & catenæ ſunt tua ſcelera, quibus te captivum paulatim trahit ad inferos! fortasſis hac nocte! fortasſis cras! in illas flammas deturbaberis! miſerabilemque tuam conditionem deplorat quidem tutelaris tuus Angelus, ſed hoc non ſufficit; tu pœnitentiam age. Pœnitentiam egit ille miſer, quem viderat S. Antonius, infinitâ DEI miſericordiâ motus ad perfectam contritionem; & confesſionem; illâ peractâ S. Antonius vidit eundem *§. 9. Patet ex hiſtoriâ quod pœnitentia efficiat res magnas.*

egredientem, in candido amictu, rutilante facie; Angelus Custos stipavit latus; Dæmon à longè fuit subsecutus. Tales res magnas efficit Pœnitentia.

§. 10. *Si quiescat agere perverse.* Addit deniq; Isaias, *Quiescite agere perversè.* Lactantius l. 6. cap. 24. *Pænitet, quem errati piget, & se ipsum castigat dementia, atq; confirmat, ad rectius vivendum.* S. Gregorius. *Pænitet qui commissa plangit, & plangenda amplius non committit.* Breviter & clarè Christus D. *Remissa sunt tibi peccata tua*; sanavi te, restitui tibi visum, sed - *Vade noli amplius peccare.* S.Chrysostomus serm. de lapsu primi hominis. *Noli peccare post veniam; noli vulnerari post curam; noli sordidari post gratiam. Cogita, O homo, gravem culpam esse post veniam: renovatum vulnus pejus dolere.* Alibi Davidem, speculum veræ pœnitentiæ propono.

§. 11. *Et pœnitentiam non differant, quod est periculosum.* Superest ut hoc addam, *Hodie, si vocem ejus audieritis, convertimini.* Pœnitentiam differre est periculosum. Probabo modò breviter unico argumento Scotti, in 4. dist. 20. quærit: utrum pœnitentia in extremo sufficiat ad salutem? & respondet: *Impossibile non est, in extremus habere pænitentiam, quâ homo salvari possit.* (Nam usq; ad ultimum halitum impii, voluntas Christi est, ut vivat.) *sed tam habere difficillimum est, & rarissimum* Nam in illa quæstione continentur communiter duæ veritates. 1. est, quod possibile sit peccatorem etiam in extremis per veram pœnitentiam salvari posse. 2. Sed hoc est difficillimum respectu hominis, & rarissimum, quoad DEUM, & per consequens dilationem esse periculosissimam. 1. sic probat. Nolendo peccatum, oportet quod sit magna consideratio intellectus, & detestatio, ad hoc, quod sit sufficiens, &c. Deinde, tunc actus illi necessarii totaliter impediuntur, à timore, metu, angustiis, morbis, &c. ecce difficultates. Accedent habitus mali, &c. 2. Quod ex parte DEI hoc sit rarissimum, patet, quia si sine istis dispositionibus ex parte hominis, DEUS conferat gratiam veræ pœnitentiæ, *hoc est miraculosum.* Itaq; convertimini! & citò!

Nonnulli pœnitentiam differunt, ducti aliorum exemplo, quos vident post vitam in summis flagitiis transactam, tandem ali-

Digitized by Google

aliquando locum invenisse pœnitentiæ; hos autem solet DEUS nihil minus cogitantes perdere. In his fuit Amon Rex Juda, de quo 2. Paralip. 33. Cum enim ejus patrem Manassen multis flagitiis obrutum, tandem aliquando misericordiam DEI consecutum vidisset, ille iisdem insistere vestigiis satagebat, multis se criminibus implevit, pœnitentiam ad ultimam senectam reservans, at verò cum duos tantùm annos regnasset occisus est, viginti quatuor annos natus. Et qui longam senectam sibi promittebat, florente adhuc ætate sublatus est: Hoc in Amono notavit Clemens Romanus l. 2. Constit. Apostol. cap. 23. *Amon filius Manasses, de quo ait scriptura, decepit se Amon malâ cogitatione transgressionis, & ait; Pater meus multa peccata ab adolescentia commisit, & cum senex esset, pænituit eum commisisse; & nunc ego ambulabo, ut expetit anima mea, & postea convertam me ad Dominum; & egit improbè coram Domino, ante omnes natos ante se, & delevit eum Dominus celeriter.* §. 12. *Qui differunt pœnitentiam frequenter improviso moriuntur vg. Amon Rex Juda.*

Quod eleganter confirmat S. Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 9. *Alii proposita spe pænitentiæ agendæ, licentiam sibi delinquendi propagatam putant: cum pænitentia remedium peccati sit, non peccandi incentivum.* Vulneri enim remedium necessarium est, non vulnus medicamento, quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus desideratur? Infirma etiam spes, quæ committitur tempori. Cum omne tempus incertum sit non omni spei, tempus certum est. Unde valde stultum est, omnium rerum fragilissimæ scilicet tempori, (quod sæpe momento nos destituit) rem tantam committere. §. 13. *Testimonium S. Ambros.*

Lucæ 12. cap. ait Christus D. v. 39. *Si sciret Paterfamilias, quâ horâ fur veniret.* Pulcra mortis cum fure comparatio; tum enim maximè homo prædæ patet & latronum insidiis, cum ipse magis securus est, si verò adesse latrones suspicetur, tunc securus agit, tum quia contra eorum insidias se munit, tum quia fures, nisi imparatos invadere non audent. Haud aliter mors instar latronis se gerit, quæ tunc hominem aggreditur, cum ipse prorsus de morte nihil cogitat. S. Ambr. *Unde eos, qui pænitentiam differunt, satis ipse Dominus admonnit dicens, Pænitentiam agite, appro-* §. 14. *Mors comparatur furi.*

Digitized by Google

appropinquavit enim regnum cælorum. Nescimus quâ horâ fur veniat. Nescimus an proxima nocte à nobis repetatur anima. Quid enim, quod differas? an ut plura peccata committas? quia ergo bonus Deus, tu malus? Et divitias bonitatis ejus, & patientiæ contemnis? Cum tunc propius mors adsit, cum longius abesse credimus.

§. 15. *Differentes pœnitentiã difficile aut vix salvãtur.*

Horribile dictum, quod qui volentes differunt pœnitentiam difficile & vix unquam, ut oportet, pœnitent, movit S. Bernardum, ut impœnitentibus proposuerit versum 9. cap. 6. ep S. Pauli ad Romanos. *Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Id est, scientes, quod mors Christi difficile eis favet, qui vita in deliciis transacta, tempore imminentis mortis, ad ejus misericordiam recurrunt. Et subinfert illud psalmi 74. cap. 8. *Quia calix in manu Domini & bibent ex eo omnes peccatores terræ.* Hunc calicem putat S. Bernard. esse calicem sanguinis Christi, & meritorum ejus, ex quo bibunt omnes peccatores, qui adhuc vivunt & tempestive pœnitent; non illi, qui pœnitentiam differunt, & jam sunt proximi morti & inferno. Expressius, sanguis & merita Christi raro eis favent, qui moribundi inferorum pœnis proximi sunt, quibus nihil superest, nisi fatale mortis telum, qui jam veluti manibus apprehendunt portam æternitatis; & ob hoc magis peccatores inferni, quam terræ sunt appellandi. Hæc omnia brevi oratione sic conclusit S. Bernardus. *Operatus est salutem in medio terræ* (serm. 85. in Cant super vers. 12 psalm 73.) *Iergo tu, & in medio gehennæ exspectato, quæ jam facta est in medio terræ. Non relinquitur tibi hostia pro peccatis, mortuo in peccatis. Non crucifigitur iterum Filius Dei; mortuus est semel, jam non moritur: non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram, biberunt omnes peccatores terræ* (tempestive dum viverent, pœnitentes. *) non est, quod sibi ex eo vendicent dæmones, ad focos suos restinguendos, sed neque homines, socii dæmonum* (poterit ex hoc loco fieri pathetica allocutio ad impœnitentes, cum horribilibus minis, in æternum non profuturũ illis Sanguinem Christi, qui modo indies nobis offertur ad veniã, & misericordiam, & remissionem peccatorum, si, ut oportet, velimus agere pœnitentiã, & dũ tempus est recurrere ad Christũ D.)

Itaque

Digitized by Google

Itaque celeriter agite pœnitentiam, ne computrescant vulnera peccatorum: de quo David videtur locutus Ps. 31. v. 5. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Sumpta similitudine ab eis, qui vulnera sua celant chirurgo; ex quo fit ut putrescant sanie, taboque diffluant, & vermibus scateant, ac tandem nullo medicamine curari possint. Et tu, si Spiritualia vulnera longo tempore differẽdo pœnitentiam contegas, vix postea ullum medicamentum, etiam Sanguinis Christi excipiunt. Hic fuit sensus Theodoreti; *Quoniam tacui, nec pænitentiam egi, &c.* §. 16. Epilogus.



CONCIO V.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI.

Ecce positus est hic in ruinam multorum & in signum cui contradicetur,

Lucæ cap. 2. vers. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

UTramque partem citati thematis, exponit ex sacris literis, & simul ostendit, nunquam defuturos, qui contradicant famililaribus, amicis, & sociis Jesu.

1. §. *Iesus semper habuit, habet, & habebit contradictiones. Idem accidit ejus amicis.*

§. 2. *Testimonium Origenis.*

§. 3. *Iesus suos non derelinquit.*

§. 4. *Ionas, figura Christi D. & afflictorum.*

§. 5. *Pracipui contradictores Christi Domini fuerunt Iudai.*

§. 6. *Sed cum interitu & ruina: flagrantissimum illorum odium contra Christum.*

§. 7. *Ioseph persecutus à fratribus fuit figura Christi.*

§. 8. *Iterum agit de ruina populi.*

§. 9. *Ieremias pulcre combinavit, Iudæorum erga Christum D. odium.*

 §. 10. *Et*

§. 10. *Et eorundem ruinam, sive supplicium.* | §. 11. *Idem fecit Propheta Oseas.* §. 12. *Epilogus ex S. Augustino.*

§. 1. *Iesus semper habuit, habet, & habebit cōtradictiones Idem accidit ejus amicis*

VAtidicus Simeon, citatis in themate verbis, *Ecce hic positus est in ruinam, & signum cui contradicetur*, prędixit certissimam veritatē, quotidiana experientia comprobatā. Sēper bonus Jesus habuit contradictores & adversarios, semper habet, & habebit usque ad mundi consummationem. Idem sibi futurum persuadeant, quicunque Jesum sequuntur, amant & imitantur. Idem in Spiritu diu antequam Jesus veniret in hunc mundum, prævidit & prædixit Zacharias cap. 3. vers. 1. *Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum, & satan stabat à dexteris ejus, ut adversaretur ei.* LXX. transtulerunt, *Adversarius stabat*. Et vocula hæc *Satan* hebraice, idem est, quod *odio habere, adversari, detrahere & calumniari*. S. Alexandrinus hunc locum ita exponit. *Stabat à dexteris, quodammodo dextera destruens. Non enim sinistras res nostras, sed dexteras & laudabiles oppugnat.* Sed quis non miretur, Jesum videri stipatum satellitio satanæ? ut satan stet à dexteris tanti Regis! Causa est clara: quia Jesus quamdiu in hac mortalitate vixit, nullis datis induciis, obtrectatorum, vituperantium & maledicentium linguas sustinuit: A prima nativitate fuit signum cui fuit contradictum, & manet tale signum cui semper contradicetur. Neque esset verus Jesus, nisi experiretur injurias, & procacium jaculis impeteretur: sicut enim solem umbra subsequitur, ita Jesum, & sub ejus umbra cōmorantes, tribulatio. Scite S. Bernardinus tom. 2. serm. 49. art 1. cap. 2. *Domini Iesu nomen, est vexillum præliantium.* Et paucis interjectis adiungit ex S. Gregorio M. *Appropinquante Salvatore, appropinquat tentatio. Lucem rectitudinis sequitur umbra tentationis. Proinde si insurgit diabolus contra te, non timeas, sed erige contra eum vexillum salutis, quod est Iesus, invocando illum.*

§. 2. *Testimoniū Origenis.*

Verissimè Origenes hom. 11. in Josue. *Cum anima humana Verbo Dei se associaverit, dubitare non debet, statim se inimicos habituram* (hoc est, satan statim stabit à dextera) *& eos quos habuerat ante amicos, in adversarios esse vertendos: & ita fuit, ut qui amicitias expetit*

Digitized by Google

expetit Iesu, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas. Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur: licet ultimi meriti sis in Ecclesia, tamen hoc ipso, quod ad Iesum pertines, impugnaberis à satana, & assectis ejus. Sed non ideo electi derelinquuntur, vel sperxuntur à Iesu, sed infirmitati eorum fert auxilium. Et statim. *Hoc ergo modo Iesus, cum ducibus & principibus suis* (hoc est cum Sanctis Angelis) *adest iis, qui pro nomine suo, à contrariis virtutibus oppugnantur.* Si vero ad Jesum non pertines, blande forsan tibi arridebit sæculum, deliciis afflues: affluet tibi gloria, & divitiarum opulentia, sed in perditionem. Si Jesu vestigia legeris, dura & laboriosa, satanas & adversarios, contradictores & inimicos, sustineas necesse est. Jesus suis familiaribus non aliam parat viam, quam ipse præcucurrit, duram & salebrosam, sentibus obsitam, proprio cruentam & aspersam sanguine. Felix contradictio & adversitas, quæ de Jesu provenit benevolentia & gratia: eligibilius est, cum Jesu omnium adversantium mala subire, & ejus amicitiam & familiritatem incolumen conserves, & custoadias; quam amicitia illa dirempta, omnium bonorum & fortunarum, in hoc mundo splendore circumfluas.

Neq; Jesus suos sequaces in ærumnis desolatos relinquit. Propugnator est in prælio, victoriæ lauro certantes coronat, potentiæ impenetrabili clypeo protegit & circumdat; replet benedictionibus pro maledictis; obnubilatam gloriam livore hostili, de obducta malevolentiæ caligne, cogit emergere nitidiorem, & sicut lucem auroræ, solisque jubar rutilare disponit. Jesu duce debellantur adversarii, deturbatur satan in tartara, sic ergo Jesus cum ducibus & principibus suis adest his, qui pro nomine ejus, sub triumphali signo Crucis, & gloriosissimi nominis Jesu, à cõtrariis virtutibus oppugnantur Nihil his certius imminet, quam ruina: in quam ille, cui contrardicunt, illis positus est. *§. 3. Iesus suos non derelinquit.*

Pulcerrima Christi D. tantas perferentis contradictiones, figura fuit Jonas. In gravi tempestate, dejectus è navi in mare, & devoratus à ceto, de ventre ejus inter alia lamenta auditus fuit clamare: *Omnes gurgites tui, & fluctus super me transierunt*, Jonæ c. 2. vers. 4. Particula, ***Omnes***, exprimit ingentem multitudinem *§. 4. Ionas figura Christi D. & afflictorum.*

fluctuum

fluctuum & undarum, quibus Jonas fuit circumdatus; ut nimirum in Jonæ naufragantis umbra recognoscamus mundi salvatorem, qui tentatus est per omnia, universum genus ærumnæ expertus. Ubi enim JESUS est, omnium acerbitas congregatur fluctuum, & universæ adversitatis turbines conflantur. Cogitate in mari vos videre scopulum, cui inscriptum sit nomen JESUS; & simul videbitis signum, in quo universa maris & Orci, tartarorumque rabies insurgit. Eleganter hîc S. Hieronymus. *Quærimus autem, quomodo omnes elevationes, & gurgites, & fluctus DEI super Salvatorem transierint?* Et respondet in Persona JESU: *Universa ergo persecutiones, & turbines, quibus genus vexatur humanum, super meum detonuere caput. Ego sustinui tempestates, & fregi turbines sævientes, ut cæteri securius navigarent.* Postea solerter disquirit, cur Propheta nuncupet fluctus, & gurgites DEI; asseratque non permansisse sed transisse, & ad ornatum propositi thematis hæc subscribit. *Et quoniam omnes persecutiones, & universa quæ accidunt absque DEI non ingruunt voluntate: idcirco DEI dicuntur gurgites & fluctus, qui non oppresserunt IESUM. Sed transiverunt per eum, minantes tantùm naufragium, non inferentes,* inquit S. Hieronymus. Si ergo tumentes fluctus adversantis sæculi velut agmine facto, & persecutionum nimbi, impetum fecerunt in JESUM, & super illius magno fragore, detonuêre caput: non mirum, si socii, si amici, si commilitones; illius lateri adhærentes, salsi maris acerbitatem in pressuris sentiant, & tribulationum perfundantur aspergine. Nec ideo timere debemus, quia hæ undæ non opprimunt, sed elevant tempestate jactatum. Unde LXX. omnes gurgites, vertunt, *Elevationes*; quæ furentes & spumantes, minantur naufragium, non inferunt. Unde S. Chrysostomus, cum expelleretur in exilium dixit t. 5. *Multi quidem fluctus, & undæ immanes; sed submergi non vereor, quia super petram sto. Insaniat licet mare, petram non potest commovere: insurgant quantumlibet fluctus, Navis IESU obrui non potest.*

Erit

Digitized by Google

Erit signum cui contradicetur. Solos Judæos, & eorum principes Pharisæos considerate, quomodo suo Messiæ & Regi, non contradixerint. Figuram habemus Numer. cap. 16 Quid enim Aaron summus sacerdos, à Core & impiis ejus asseclis ita vexatus, & tot contradictionibus lacessitus, portendat, præclare exposuit S. Cyrillus Alexandr. l. 9. de adoratione. *Illud altare contradictionis atque irritationis; conspirationis ejus denique, ut ita dicam, quæ adversus sacerdotem summum facta est, veluti monumentum quoddam esse, atque prædictionem, sive figuram, in qua Aaron Christum repræsentavit. Eodem enim modo deinde adversus Christi gloriam, contentione summa Iudæi certaverunt.* Sic ait S. Cyrillus. Aaron enim virum illum admirabilem, cœlesti suffragio sacerdotem ac principem electum fuisse sacræ literæ testantur. Core tamen & Dathan, eorumque sociorum effrenata impudentia contra supernum illud decretum obniti ausa fuit, &c. Et sacerdoti principi ex universis electo, nimis præcipiti furore suam amentiam atque audaciam opposuerunt. Designabatur autem hoc facto, futura adversus Christum Judæorum audacia; ipse enim est summus noster sacerdos, qui ad hoc dignitatis culmen Patris suffragio est provectus; atque illi quidem conatuum suorum adeò turpium pœnas dederunt; dabuntque etiam post eos Judæi, qui iisdem criminibus tenebuntur. §. 5. *Præcipui contradictores Christi Domini fuerunt Iudæi.*

Semper adhuc multi Christo Domino contradicunt: Sed quo fructu? Malum scilicet consilium consultori pessimum. Verissimum illud Platonis dogma. *Pejus injuriam facere, quàm injuriam pati; & damnosius malo efficere, quam affici.* Pharisæi fuerunt experti. *Consiliati sunt consilium pessimum*, dicunt LXX. in v. 11. cap. 3. Isa. Quæ verba de consilio inito adversus JESUM ad literam sunt interpretanda, ut fatetur S. Hier. dicens; *Perspicuè dicitur de Christi passione, quod inierint consilium pessimum, non tam contra justum, quàm contra semetipsos, & animam suam.* Et S. Ambr. l. de bened. Patriarch. cap. 3. de Principibus ait: *Ipsi consilium cogitaverunt adversus IESVM, & occiderunt eum, sicut Isaias dicit; Væ animæ ipsorum, quia cogitaverunt consilium malum adversum se.* §. 6. *Sed cum ruina & interitu! flagrantissimũ illorum odium contra Christum.*

Quod Isaiæ vaticinium, tot retro sæculis promulgatum, adimpletum deinde fuit Matth. 26. v. 3. *Consilium fecerunt, ut IESVM dolo tenerent, & occiderent.* cap. 27. v. 1. *Consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi adversus IESVM, ut eum morti traderent; & vinctum adduxerunt eum.* Quod ab aliis Evangelistis confirmatur. Communis in urbe fuit conspiratio *adversus IESVM*; tanquam signum cui deberet contradici.

§. 7. *Ioseph persecutus à fratribus figura Christi.* De fratribus Josephi dicitur: *Exasperaverunt eum, & jurgati sunt inviderunt que illi, habentes jacula,* & Gen. c. 37. v. 18. 19. *Cogitaverũt illum occidere, & mutuò loquebantur; Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* LXX. *In quem consilia conferentes, maledicebant.* S. Chrysost. *Ioseph: consilio communicato, conviciis incesserunt.* Alii: *Et oderunt eum tenaces factionum.* S. Cyrillus Alexandrinus hæc applicat inimicis Christi D. & ait: *Habitis consiliis acerba consultabant, qui exacuebant adversus eum, qui eum vulnerarent.* Nicolaus de Lyra. *Omnia hæc fuerunt adimpleta quando Salvator noster verus DEVS, & verus homo, stetit coram principibus sacerdotum; sedentibus in consilio ad judicandum ipsum. Vt describunt quatuor Evangelistæ.* Cyr. Alex. *Nihil ab immanibus belluis differentes, in Christum irruebant, tandemque Pilato eum sistebant vociferantes: tolle, tolle: crucifige eum.*

§. 8. *Iterum agit de ruinâ populi.* Adversus JESUM: sed simul adversum semetipsos, ut superius dixi. *Malum consilium consultori pessimum.* S. Basilius. *Consilia enim adversus justos inita, in capita malignè consultantium retorquentur. Quemadmodum & tela, quæ semel inciderunt in corpus solidum, repercussa in suos jaculatores resiliunt.* S. Chrysost. in Isaiam. *Et si quæ facta sunt in speciem, videantur adversus justum temerario ausu commissa: tamen si quis exitum accuratius excutiat, nimirum intelliget, rem totam non in patientem, sed in consultores esse detortam.* Idem accidit in vanissimis Judæorum cogitationibus, & consiliis, adversum JESUM initis; quæ in capita eorum detorta fuerunt. Breviter S. Basilius. *Illorum autem operum fœtus, sunt captivitas, dispersio, templi eversio, delapsus à priori gloriâ, confusio vultus eorum, non sustinens eos sustollere ad DEVM aciem mentis, ob impium facinus in Vnigenitum DEI commissum.* Et hæc omnia

præ-

Digitized by Google

prædixit vatidicus Simeon; prioribus citati versus 34. verbis, *Ecce hic positus est in ruinam.*

Utrumque; Judæorum contra Dominum odium, & contradictionem, & illatum illis propterea supplicium conjunxit lugubri querelâ & planctu Jeremias cap. 12. v. 6. *Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, & clamaverunt post te, plena voce.* Quæ verba ita exponit S. Hier. *Potest & hoc de Salvatore* (de signo contradictionis) *accipi, quod fratres ejus & domus patris ejus pugnaverint contra eum, & clamaverint plenâ voce dicentes: Crucifige: Crucifige eum! non habemus Regem nisi Cæsarem!* sequentia Jeremiæ verba v. 7. *Dedi dilectam animam in manu inimicorum ejus;* eodem modo, de consilio adversus JESUM conflato, intelligit Origenes h. 8. in Jer. *Tradidit animam suam in manus inimicorum suorum, in manus Iudæorum interficientium eum; in manus principum congregatorum adversum se; in manus Regum; quoniam astiterunt Reges terræ & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Versiculum verò 8. *facta est mihi hereditas mea quasi leo in sylva: dedit contra me vocem, &c.* iterum S. Hier. ita exponit. *Populus Domini, quondam electus,* (hereditas ejus) *factus est contra eum, quasi leo in sylva, quando pari adversus illum in passione, voce clamavit - Et odio eum habuit.*

§. 9. *Ieremias pulcrè combinavit Iudæorum ergaChristum odium.*

Ecce gradus ad terribilem ruinam; ob quam Simeon dixit, *Ecce hic positus est in ruinam.* Sequitur enim apud Jeremiam horrore plenum judicium de repudiando populo; & sub metaphora discoloris avis, enumerat omnia honoris & gloriæ insignia Judæis ablata. v. g. *Nunquid avis discolor, hereditas mea mihi? nunquid avis tincta per totum? Venite congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum.* Ubi S. Hieron. Avem discolorem, tinctamque per totum, juxta literam, pavum vocat. *Tantam pulcritudinem habuit Israel, & tantis fuit Ierusalem distincta virtutibus, ut nihil esset bonorum, quod non cerneretur in ea; quia igitur mihi facta est, sicut leo, in sylva, & dedit contra me vocem suam; eam omni odio detestatus sum; Idcircò venite, & congregamini contra eum, omnes bestiæ terræ, diversarum gentium* mul-


§. 10. *Et ruinam, sive supplicium.*

Digitized by Google

multitudo, & devorate eam, quæ ſuum Dominum non cognovit. Quod contigit, cum Romani ſuſcepto orbis imperio, coacto ex variis nationibus exercitu, alios interfecerunt, alios deduxerunt captivos, &c. Jeroſolymam vero & auguſtiſſimum templum ſolo exæquærunt. Ecce ruinam!


§. 11. *Idem Propheta Oſeas* Vaticinium Simeonis, meo judicio elegantiſſime exponit Rupertus ex verſ. 2. & 3. capitis 7. Oſeæ, ubi Propheta facit mentionem adinventionum, quibus hoſtes Chriſti conati ſunt illi contradicere, dum ait, *Tales fuerunt adinventiones, quæ illos circumvenerunt.* Ecce contradictionem & ruinam; pari incedunt greſſu. *Taliter cauſas mortis in uno homine invenerunt, ut merito dictum ſit, & merito fieri debuerit, illud dictum: Venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* L X X. legunt. *Circumdederunt eos cogitationes eorum.- Quoniam conſiliati ſunt conſilium peſſimum, fructum adinventionum, & operum ſuorum comedunt, & mala ſecundum opera manuum earum evenient eis.*

§. 12. *Epilogus ex S. Auguſt.* Tandem S Auguſtinus perpendens ſententiam Davidis ex Pſalm. 65. *Terribilis in conſilius ſuper filios hominum* ait. Machinati ſunt filii hominum conſilium ad crucifigendum Chriſtum. Crucifixus excæcavit crucifigentes. Quid ergo feciſtis ô filii hominum! machinando acuta conſilia adverſus Dominum veſtrum, in quo latebat Majeſtas & apparebat infirmitas? Vos machinati eſtis conſilia perdendi, ille, excæcandi & ſalvandi! excæcandi ſuperbos, ſalvandi humiles. Puto ſufficienter expoſitum eſſe thema Concionis.



CONCIO

Digitized by Google



CONCIO VI.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Cum factus esset Iesus annorum duodecim,
Lucæ 2. verf. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit tria. I. Sapientiæ jungendam esse pietatem & religionem. 2 In quo consistat. 3. Qui Deum piè colunt, ab illo non deseruntur.

§. 1. *Quare Christus D. duodennis docuerit in templo.*

§. 2. *Fides circa mysteria Infantia Christi debet conjungi cum pietate.*

§. 3. *Scientia & pietas sunt alæ Seraphica.*

§. 4. *Spiritus S. & Spiritus scientia & timoris Domini simile à cera & melle.*

§. 5. *Similitudo D. Bernardi.*

§. 6. *Spiritus S simul largitur scientiam & pietatem.*

§. 7. *Quid sit religio vel pietas.*

§. 8. *Felicitas Regum pendet à pietate erga Deum.*

§. 9. *Si Deo simus fideles; ipse nobis est fidelis.*

§. 10. *Deus miris modis talibus succurrit.*

§. 11. *Prosecutio.*

§. 12. *Qui Deum habet, fortis est.*

§. 13. *Digressio ad nostra tempora.*

§. 14. *Alia historia.*

§. 15. *Pulcher locus ex libro Iudith.*

CHristus D. anno ætatis 12. voluit Judæis dare infallibile signum, latentis in se Divinitatis; sedit proinde in medio Doctorum, respondens & interrogans de abditis legis quæstionibus, tanta ingenii dexteritate, ut omnes in sui admira- §. 1. *Quare Christus D. duodennis, docuerit in templo.*

Digitized by Google

admirationem raperet, & latentem Divinitatem perspicue patefecerit; captando argumentũ, non ab omnipotentiâ, sed sapientia sapientissimus Jesus; verum cur hoc fecit in templo? nisi ut ostenderet, sapientiæ conjungendam esse pietatem & devotionem, sive, ut sciamus, sine pietate sapientiam nos nunquam obtenturos. Quod paucis ostendam.

§. 2. Fides circa mysteria Infantiæ Christi debet conjungi cum pietate.

In feriis Natalitiis locum habuit monitum S. Pauli ad Ephes. 3. vers. 18. *Vt possitis comprehendere, cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, & scire eminentem scientiæ charitatem Christi.* Non ego à meis Auditoribus requiro scientiam Theologicam de excellentia, dignitate, Parvuli de Bethleem, & tam alti, profundique mysterii Incarnationis & Nativitatis Christi, sufficit illa, quam in nobis parit vera fides illorum articulorum, quos Ecclesia nobis credendos proponit, sed moneo; si illa in nobis debeat esse viva & efficax, necesse est, ut pietati & devotioni incumbamus.

§. 3. Scientia & pietas sunt alæ Seraphicæ.

Isaiæ 6. vers. 2. vidit Propheta Seraphinos, cum 6. alis; *duabus velarunt facies suas, duabus velarunt pedes, duabus volabant.* S. Bernardus hic serm. 4. per has duas alas intellexit scientiam & devotionem. Sicut enim avis, ut in altum se possit extollere & volare, duplici indiget ala, adeo, ut si alteram detrahas, volare non possit. Ita etiamsi una ala, id est, mentis ingeniique acie arcana fidei penetrare velimus, nunquam id fiet, sine alterâ alâ pietatis. S. Bernardus: *Ego autem opinor non incongruè, agnitionem & devotionem intelligi posse, quibus in eum, qui sapientia ipsa est Seraphini rapiuntur.* Nos hoc tempore hoc advertamus, non debere nos esse contentos, ut de Jesulo habeamus veram fidem, sed necesse esse, ut accedat tenera devotio & suavis devotio erga Jesulum.

§. 4. Spiritus Sanctus est Spiritus scientiæ & timoris Domini. Simile à cera & melle.

Cap. 11. vers. 2. ait Isaias, *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis.* Utrumque conjungit, scientiam & pietatem. Apiculæ ut scimus, conficiunt & ceram & mel. Prius ex cera quæ tenacior est mirabili industria conficiunt cellulas; illas deinde complent melle. Cera præterea lumini subministrat alimentum, & ob hoc significat sapientiam. Mel vero ad dulcedinem

dinem

Digitized by Google

dinem symbolum est pietatis. Ita divina apis Spiritus S. utrumque in nobis operatur, ceram Sapientiæ; fidei, de Jesulo, & mel devotionis erga eundem. S. Bernardus in psalm. 44. *Est quippe* (loquitur de tertia persona SS. Trinitatis) *Spiritus Sapientia & pietatis, qui instar apis ceram portat, & mel habet, unde accedat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ.* Memor deinde osculi, quod sponsa petiit à sponso Cant. 1. ait, Felix osculum, per quod non tantũ agnoscitur Deus, sed & diligitur. (applica hæc Jesulo) *qui nequaquam plene cognoscitur*, nisi cum perfectè diligitur. Nisi cum fidei nostræ accedit devotio.

Fides & scientia de Christo D. sine pietate, & timore Dei, non magnopere prosunt. Pulchrè S. Bernar. serm. 23. in Cantic. *Aliud est multas divitias scire, aliud & possidere; nec notitia divitem facit, sed possessio. Sic prorsus, sic aliud est, nosse Deum, & aliud timere, aliud cum pietate illum colere, utrumque requiritur, scire immensos thesauros absconditos in Christo, & eundem diligere.* §. 5. Similitudo S. Bernar.

Non sine mysterio oravit David psalm. 118. vers. 66. *Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me*, id est, ut Doctrinam hauriam, prius me bonitate & pietate orna; nisi enim prius virtutem infuderis, nullo modo disciplinam aut scientiam excipere potero. Actor. 2. vers. 3. dicitur: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis.* Lingua Sapientiam notat, ignis pietate animum inflammat. Utrumque simul largitur, nempe pietatem & scientiam, nec alterum sine altero conceditur. Sanctus Bernardus loquens de Apostolis: *Quos enim Verbum Patris; disciplinam & scientiam ante docuerat, & intellectu adimpleverat, corda eorum; adveniens utique postmodum ignis divinus inveniens jam receptacula munda, infundit uberius dona charismatum, & veram pietatem.* §. 6. Spiritus S. simul largitur scientiam & pietatem.

In quo vero hæc pietas, sive devotio, sive religio consistat, meo judicio bene exposuit Eusebius l. 1. de præpar. Evang. *Vera religio, est animi ad unum solum & verum Deum, firma stabilisque conversio, & consentanea illius præceptis vita.* S. Augustinus lib. 4. de civit. cap. 23. *Est verax veri Dei cultus.* Hæc religio homines, præcipue potentes, facit beatos. lib. 5. de civit. cap. 24. *Illos felices reges & beatos judicat Christiana religio, qui suam potestatem ad Dei cul-* §. 7. Quid sit religio vel pietas.

tum

tum maximè dilatandum, majestati ejus famulam faciunt, qui DEVM timent, diligunt, colunt; hos enim appellant felices, non autem qui diutius imperârunt, vel hostes reipublicæ domuerunt; hæc enim & alia vitæ hujus vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt.

§. 8. *Felicitas regum pendet à pietate erga DEVM.* Illi ergo reges felices sunt, illi beati, qui benè de DEO sentientes (juxta c. 1 Sap. v. 1. *Diligite justitiam, qui judicatis terram, sentite de Domino in bonitate*) majestatem suam altitudini famulam faciunt divinæ. Unde evenit, ut tales populos & regna optimè & pacificè gubernent, & diu multumque in majestate durent. Quod Sancti Patres dicunt de Regibus, verissima sunt in quovis statu. Felix v. g. mercator est, N. N. (potest fieri pulchra digresſio) sine DEO regna & imperia non sunt tuta, cum DEO tutissima.

§. 9. *Si DEO simus fideles, ipse nobis est fidelis.* 1. Reg. 2. 35. ait DEUS ad Heli, redarguens ejus remissum cultum: *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet* (hoc facit sancta religio) *& ædificabo ei domum fidelem.* Hæc duo scilicet conjuncta sunt, cùm DEO fideles sumus, cùm sumus solliciti, ut DEUM colamus; ipse nobis fidelis est, ut omnia prosperè succedant. Si DEUM colamus, non est v. g. hoc afflictissimo tempore, ut hostes (qui domos, qui civitates evertant) timeamus. DEUS pugnabit pro nobis.

§. 10. *DEVS miris modis talibus succurrit.* 1. Reg. 7. v. 7. *Audierunt Philistiim quod congregati essent filii Israelis in Maspha, & ascenderunt Satrapæ Philistinorum ad Israel, quod cum audissent filii Israel, timuerunt à facie Philistinorum.* Ratio timoris erat, quia in Maspha convenerant ex præcepto Samuelis, ad orandum DEUM, ad offerenda sacrificia, ideoque erant inermes, ad bellum imparati, cum hoc audiverunt Philistæi, inermes aggredi voluerunt. *Cum Samuel offerret holocaustum, Philistiim inierunt prælium contra Israel.* Quis non diceret, actum esse de Israele? erant inermes, loco non tuto, tractantes de sacrificio & oratione, in jejuniis, itinerum laboribus exhausti: hostes armati, fortes, præpotentes, innumeri, quis non æstimaret ruiturum Israelem, regnumque eorum funditus periturum? Contrarium eve-

Digitized by Google

evenit, pro orantibus & DEO servientibus DEUS pugnavit, qui & inimicos pessumdedit, & Samueli regnum stabilivit.

Intonuit autem Dominus, ait textus v. 10. *fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & caesi sunt à facie Israel.* §. 11. Prosecutio.
Quod factum sive miraculum luculentissimè enarrans Joseph libr. 6. Antiq. cap. 2. ait: *Prius enim quam totam victimam flamma absumeret, nondum sacro peracto, hostis in conspectu aciem explicat, rem factam se habere putans, interceptis Iudaeis imparatis ad pugnam, & tantum non inermibus, ut qui non in eum locum ad hoc convenerant. At longè aliter accepti sunt quam crederent, etiamsi quis praedixisset, primum enim terra, jubente DEO, sub pedibus eorum intremuit, & vacillante vestigio nutabant, nonnulli etiam in improvisos hiatus prolabebantur: deinde fulminibus crebris attoniti, & ignitis fulgoribus oculos ac manus semiustulati, ut non arma quidem retinere possent, in fugâ spem totam reponebant:* In qua Josephi enarratione duo praecipuè adverte. 1. DEI auxilium ita promptum fuisse, ut non sic velox fuerit flamma ad consumendum sacrificium, uti DEUS in campo ad debellandos inimicos. 2. Quod ad auxilium suis ferendum, & terram, & abyssum, & aerem, & ignem commoveat. Cùm DEUS vult, totus pugnat orbis terrarum. Ut videamus, quàm firmum, quàm stabile habeat regnum, dominatumque Princeps, qui verè DEUM colit.

Tunc Princeps, etsi omnibus sit stipatus armis, solus est, cùm DEUS non est cum illo, hic advertit David Psal. 7. v. 1. *Domine DEUS meus salvum me fac ex omnibus persequentibus me, ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat*; & quomodo hoc dicere potuit David cum exercitum, & multos Principes secum haberet? Respondet S. Chrysostomus in cit. Psal. *Quoniam ne universum quidem orbem terrarum auxilii loco habet, nisi opem divinam fuerit assecutus, nec se esse ducit in solitudine, licet solus sit, si sit illius auxilii particeps.* Sic est, solus est princeps, quando sine DEO, quando DEUM non colit, etsi orbis sit illi associatus. Cum DEO, si DEUM observet verâ religione, sine exercitu fortis est. §. 12. Qui DEUM secum habet, fortis est.

Digitized by Google


§. 13. *Digressio ad nostra tempora.* Pulchriorem discursum huic afflictissimo tempori accommodatum adducere non possum. Veri Philistiim congregati sunt super nos, N.N. nos inermes, O si DEUS illa miracula innovaret! N.N. (fieri potest pulchra applicatio) faciet hæc DEUS, cum illum verâ religione colemus.

§. 14. *Alia Historia.* Postquam Israelitæ vero DEO sacrificia rursum incenderunt. & in conspectu Domini effuderunt aquam, in signum, se ex corde detestari idololatriam, in signum se uni DEO velle servire, ait textus v. 13. *Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultrà, ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philistæos cunctis diebus Samuelis, & reddita sunt Urbes, quas tulerant Philistiim ab Israel Israeli.* En quanti proventus à verâ religione, hostium humiliatio, regni securitas, restitutio ablatorum, & quod caput est, continua, indefessaque DEI defensio, inimicorumque debellatio, *cunctis diebus Samuelis*, non equidem uno, aut duobus mensibus & annis, sed cunctis, totâ vitâ; quamdiu verum DEUM coluit. O quam libenter talia audiremus, afflictissimo hoc tempore, ô si tuba famæ insonaret, humiliati sunt Turcæ: (est locus pro pulchrâ repetitione & applicatione.) colamus verè, sincerè DEUM; & DEUS nobis aderit.

§. 15. *Pulcher locus ex libro Iudith.* Judith 15. miratus fuit Holofernes, resistere sibi Israelitas, & ait cit. cap v. 1. *Nuntiatumque est*, vide octo vel decem lineas. Quatuor quæsivit superbus belli Dux 1. Numerum civitatum. 2. Virtutem. 3. multitudinem hominum & 4. Principem vel ducem, in quibus putabat consistere hostium fortitudinem & confidentiam. Sapientissimus Achior non numeravit civitates, non magnificavit fortitudinem & multitudinem, nec Principem nominavit, sed ait, *Non fuit qui insultaret*, vide 8. lineas. & concludens sententiam, ait, *Nunc ergo mi Domine.* Nota bene, non ait, si iniquitas est, vinces, sed DEUS tradet, verba sanè, quæ in regum cordibus exarata adamantino deberent esse ungue, ut intelligerent, quantum eis necessaria sit vera fides, & verus DEI cultus, devotio ac pietas, hac deficiente - hac stante (ex his fiat epilogus.)

CON-

Digitized by Google



CONCIO VII.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ,

Joan. 2. vers. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRimâ parte commendat mulieres bonas: in altera vituperat malas.

§. 1. *Mulier bona, in domo, est columna aurea, super basim argenteam.*

§. 2. *Causa, ob quas mulier bona comparatur aurea columna.*

§. 3. *Mulier bona sit devota & laboriosa.*

§. 4. *Cur plasmatio Evæ vocetur ædificatio domus. Ingens bonæ mulieris laus, si sit Custos domus.*

§. 5. *Vocula Susanna, significat eximias laudes mulieris bonæ.*

§. 6. *Susanna Columna immota! coronata liliis, & rosis pudoris.*

§. 7. *Pars altera Concionis. Vituperantur mulieres malæ, præsertim lasciva, adulteræ, &c. qualis fuit uxor Putipharis.*

§ 8. *Et Dalila.*

§. 9. *Digressio ad Auditores.*

§. 10. *Fabula de Pandora.*

MUlieris bonæ encomium proponit Ecclesiasticus cap. 26. v. 23. & simul docet, qualem vir bonus uxorem desiderare possit. *Columna aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.* Quibus verbis ingens decus addit Hugo Card. *Sicut columnæ aureæ, collocatæ super bases argenteas, non moventur ad impulsum venti; & templi fabricam sustinent, speciosæ sunt, & pretiosæ; ita bona mulier stabilis est, non* dis-

§. 1. *Mulier bona in domo, est columna aurea, super basim argenteam.*

discurrens; familiæ suæ onus & gravamina portat, & sublevat, speciosa est Deo, & pretiosa viro. Amplissima honestæ fœminæ decora, vivis coloribus depinxit purpuratus Præsul; quod scilicet uxor bona, sit velut stabilis columna in domo, quæ familiam ædificet; maritum ad virtutem componat, prolium & servorum pœne labentes mores sustentet, ruinosa restauret, domesticorum familiarium labores & ærumnas sustineat, & sublevet. Observandæ sunt præcipue illæ voculæ; *Bona mulier stabilis est, non discurrens.* Partim sugillat muliebre ingenium, & animi mobilitatem, in quam sexus ille plerumque inclinat; partim laudat aliarum genium quæ in virtutis proposito radicatæ invariabiles perstant. Laudabilis fœminæ firmitudo, provenit ab odio discurrendi per compita, si proprios penates amans, domesticos viva servet custodia, præsertim pretiosissimum à Deo illis traditum thesaurum; filios, & filias, ne tanquam mulier vaga, quietis impatiens, per urbem discurrat, ob quam causam vel absentiam, domesticorum disciplina languescit, virtus corruit absente firmamento, & columna, quæ omnia in domo reddit stabilia. Ideo sacra scriptura dum fœminam commendat, omnis laudis addit compendium. *Pedes firmi stabilis mulieris.*

§. 2. *Causa, ob quas mulier bona comparatur aurea colũna.*

Causas comparationis inter auream columnam, & fœminam bonam colligo ex quodam discursu Joachimi Abbatis super vers. 13. capitis 3. Apocal. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Ubi firmamenti vel columnarum naturam & fines, ob quos ponuntur, his verbis illustrat: *Columna lapis est altus, & in modum cujusdam rectæ arboris ad superiora elevatus, ita ut non tam ea quæ infra sunt, quam ea quæ supra sunt, respicere videatur. Et quod eo majus est, ita per altitudinem & rectitudinem suam, superiora tangit, ut superpositum tamen tectum infatigabiliter portet.* Qui ergo, divina providentia aliorũ rectores & præsides constituti sunt, ut inter varios turbines superpositam ipsorum curæ, ac regimini fabricam, infatigabiliter portent; similitudinem habent columnæ marmoreæ, quæ multis tunsionibus expolitur. Tales columnæ in familiis bene constitutis, sunt insignes matronæ sanctitate & pruden-

Digitized by Google

& prudentia conspicuæ, quarum probitate & exemplo disciplina fulcitur, & religio velut humeris sustinetur.

Tales itaque columnæ esse debent mulieres bonæ, ut in altum aspiciant; hoc est, ut in studio & exercitio pietatis nihil patiantur detrimenti, ut virtutum studio, magno fervore incumbant, ut multum orent, &c. Simul tamen impositam suis humeris fabricam in magna patientia, & longanimitate portent. Res plane difficilis! nec multis concessa, nimirum providere suæ familiæ, sicut oportet, per vitam activam, quod est columnæ domus inferiora incumbere, dum omnia necessaria magno labore procurat. Et tamen inter tot occupationes, non privari dulcedine orationis & pietatis, quod est columnam superiora aspicere. Si itaque his columnis duo insignia encomia bonæ mulieris, aureis literis placeat inscribere, uni inscribite, *Mulier devota.* Alteri, *Mulier laboriosa.* Tales uxores Deo sunt speciosæ, viris pretiosæ, sunt enim velut columnæ aureæ, collocatæ super bases argenteas. E contrario; sicut verissime dixit Seneca. *Sublatis firmamentis, sive columnis, concidit fabrica,* eodem modo ruinosa erit domus sive familia mariti, si in domo desit aurea columna, quod fit, dum dici potest: Uxor hujus mariti est vaga, est discurrens, est inde nota, &c. Væ huic domui! corruit! *§. 3. Cur Mulier bona sit devota, & laboriosa.*

Mirabilem Evæ Psalmationem ex latere viri sacer textus Genesis c. 2. v. 22. his verbis describit. *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Et cur Eva producta, dicitur, quasi domus à nobili architecto ædificata? ut fœminæ sciant, se à Deo esse creatas & assignatas viro, ut gerant & habeant curã domus. Unde Clemens Alexandr. ait l. 3. pædagogi c. 11. *Honestum est, ut viri uxoribus suis fidem habentes, eis domus custodiam permittãt, ut quæ eis ad id datæ sunt opitulatrices.* S. Ambr. *Sicut vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur.* Philo Hebr. *Curia, tribunalia, & illa, quæ causis agendis, rebusq; gerendis, in bello ac pace peraguntur, viris conveniunt: fæminis verò cura rei familiaris, & domus custodia. Virgines penetralia; mulieres aulam non egrediantur.* Ideo Eva ædificata fuit tanquam domus, ut non forensis, non vaga, non deambulatrix, non cursitatrix, discurrat per publicum *§. 4. Cur plasmatio Evæ vocetur ædificatio domus. Ingens bonæ mulieris laus si sit Custos domus.*

Digitized by Google

cum, sed domi se contineat: omnemque curam, omne studium eò intendat, ut domestici lares, sint bene constituti. *Res pulcerrima* (inquit Clemens Alexandrinus libro 2. pædagogi cap. 11) *mulier! domus Custos, quæ & se, & maritum propriis ornamentis induit; per quæ omnes exultant; filii quidem propter matrem, maritus autem propter uxorem, ipsa autem propter eos, omnes autem propter Deum.* Tali uxore illustrata domus, est asylum pietatis, delubrum pacis, ara pudicitiæ, & requies quædam opulenta; cujus scilicet, mulier devota, laboriosa & solitudinis amans, fidelis & custos.

§ 5. *Vocula Susanna significat eximias laudes mulieris bonæ.*

Alia eximia encomia mulieris bonæ, exprimit nomen piissimæ conjugis, *Susanna*: à quo nomine vel potius ejus significationibus in conjugatas ingens derivatur honor. Inprimis enim Susanna, significat *lilium*, corporis & animi candore conspicuum, deinde idem est, quod candidissimum marmor; tertiò, exprimit *animi & cordis oblectationem*. O eximiam conjugem, si ob amorem pudicitiæ, *lilium*; si ob animi constantiam non aurea tantum, sed marmorea *columna*, si ob intimam cum marito concordiam & unionem, ejusdem *oblectatio*, dici possit. Eleganter de Susanna Eusebius Strom. 8. cap. 1. *Nihil ea religiosius, nihil verecundius. Erubescentia, quæ virtutis color est, commendabat speciem Susannæ, & ipsis barbaris non concupiscendam, sed venerandam fecit.* Illud in Susanna glorisissimum, quod teneræ ætatis ignis, ubique se raperet in fomitem castitatis, ut S. Ambrosius loquitur lib. 1. de virg. *Tam pura animi* (Sanct. Paulinus ep. 34.) *ut fere peccare nesciret. Matura semper, humilis, cauta, prudens, provida, omni necessitate contenta, quavis tribulationum tempestate tranquilla alteratio, contentio, rixa, &c quid sint ignorans.* S. Zeno. *Pudicissima puella, nec videri, nec videre volebat*, ne lilium conjugalis castitatis aliquibus sordibus coinquinaretur. *O felicem maritum! si invenisti adjutorium tibi, ad te habens conversionem suam* (Sanct. Paulinus & Tertullianus) *hoc est, uxorem quæ de nutu tuo pendet, & de tuo statu sistit, in vestigiis tuis ambulat; in anima tua animatur; pro vita tua deficit, ut in tua vita reficiatur.* Talis uxor, sine dubio, marito est animi cordisque oblectatio, gratia & gloria.

Quale

Digitized by Google

Quale marmor! qualis columna, coronata liliis esset Susanna, ostendit; cum pudicitiæ ejus hostes, *mulierem aggressi, virum invenerunt*. Tam fortem, ut virago dixerit, *Angustiæ sunt mihi undique; si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras; sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Gratulor Bambergæ, quæ non tantum amœnissimis his, sed talibus marmoreis columnis, & liliis est ornatissima: quod tamen elogium simul insinuat, non deesse inveteratos senes N N. qui tales columnas, sed irrito conatu, dejicere conantur, (habes locum pro acri invectiva, contra illos,) in quocumque statu sint (qui pudicitiæ conjugatarum insidiantur.) Itaque ex Susannæ comparatione (muto paululum verba Tertulliani) metiantur se; mulieres præsertim conjugatæ; an laudem vel vituperium mereantur.

§. 6. *Susanna Columna immota, coronata liliis & rosis pudoris.*

Laudavi conjugatas castas, & amantes conjugalis pudicitiæ; primo itaque loco jure merito reprehendendæ sunt fœminæ lascivæ, impudicæ, adulteræ. Talis fuit mulier Ægyptia, uxor Putipharis, dum insidias struxit castissimo Josepho, quam Sanct. Isidorus lib. ep. 236. ita depingit. *Callide ac singulari artificio Ægyptia mulier cupiditatis ac libidinis vela expanderat; laqueumque ut adolescentem caperet, statuerat: atque per oculos eum velut præstigiis quibusdam lædebat, & per aures eum deliniebat, nullum non tentationis genus admovens ac denique per promissa demulcebat, ac veluti quibusdam veneficiis inficiebat.* San. Chrysostomus aureo colore ita adulteram depingit. *Adeo fuit animo fracto adeo ardebat concupiscentia, ut forte & ad genua pueri captivi se ipsam abjecerit, forsan & lacrymabunda, genibusque illius prehensis obsecraverit verbis mollissimis, idque non semel, atque iterum, sed sæpius tentaverit. Videre licebat & oculos tum maxime splendentes. Neque etiam dubitandum, quin non temere ac negligenter, sed magna se curiositate ac sedulitate adornaverit, tanquam quæ multis retibus cupiebat Agnum Christi attrahere, & capere.* Talis fuit lasciva & propudiosa illa mulier Ægyptia. Nescio ego an tales inveniantur. Bamber-

§. 7. *Pars altera Concionis: Vituperantur mulieres malæ, imprimis lasciva, adultera &c. qualis fuit uxor Putipharis.*

Bambergæ, expandentes ubique vela & vexilla libidinis, ponentes laqueos ad capiendos NN (Ecce locum pro acri invectiva, quæ tempori & loco erit accomodanda, exaggerentur pathetice illa verba, ut rapiantur & lacerentur Agni Christi.)

§. 1. *Et Dalila*

Nequam talis mulier, & lasciva fuit Dalila pellex Samsonis; ad hanc mulierem venerunt Principes Philistinorum, ut Samsoni ejus opera insidias struerent, & quod aperto marte non poterant, per fraudem assequerentur. Compertum habebant in pangendis fraudibus, dolisque nectendis felicissimum esse lascivæ mulieris ingenium. Cum enim Dalila frustra conaretur expiscari arcanum Samsonis robur; tandem molesta illi fuit, & per multos dies jugiter adhæsit; spatiũ ad quietem non tribuens, imo defecit anima ejus, & ad mortem usque lassata est. Elegantissime Salianus. *Dalila venientem Samsonem blandissime excipiebat, tota corollis florens, unguentisque delibuta meretriciis, toto vultu ad hilaritatem, toto corpore ad delicias, toto ore ad mellea dicta composito.* Latet in his floribus anguis, præsentissimum virus illico evomitura, blanditur ut fallat, & in postremis mordebit ut coluber, persentiet Samson rubi hujus & rhamni sentes & spicula, occultata rosis, quæ robustum pectus saucient; persentiet felleam mortis, & absynthiam amaritudinem, sub mellitis alloquiis latitantem, & horrendam vastitatem sub dolosâ Dalilæ formâ. Nam teste S. Chrysostomo: Hunc tantum & talem virum, & pulcritudine, & virtute, & sanctitate conspicuum Dalila decepit, & ligatum hostibus tradidit; Unde illa mulier, illi tam forti viro prævaluit? *unde nisi ingenita malitiæ calliditas? non solùm enim curiosa, sed & subdola irrepsit in præcordia mariti simplicis; & importunis obsecrationibus, atque illecebrosis blanditiis fatigatum, arcano illo virtutis suæ mysterio spoliavit; atque ita derasis crinibus virtute nudatum funditus evertit; ut quem multa millia hostium armata non vicerant, & ab inermi prostrata corruerant; hunc una muliercula sine armis dolo malitiæ armata, convicerit.* Fugavit invictissimus Samson acies hostiles, vel solo aspectu suo, animi corporisque robore vinci nescio, gloria heroum, juvenum flos, fortis ille gigas! hunc tamen virum, inermis fœmina, dolo, fraude, blanditiis lasci-

Digitized by Google

lasciva mulier prostravit. Infert S. Ephrem. *Quæ enim unquam bestia, dic mihi, in maritum suum talia exercuit? quæ dracona conjugem proprium interimere voluit? quæ unquam leæna maritum suum ad cædem trahit? Verè res ita se habet: Non est malitia, super malitiam mulieris; præsertim lasciva. Qui igitur uxorem improbam nactus est, intelligat se delictorum suorum tulisse mercedem.*

Iterum nescio an Bambergæ inveniantur tales leæne, tales draconæ, tales bestiæ, verbo tales Dalilæ! Nescio, an hic sunt conjugatu, aliis molestæ; dies noctesq; adhærentes aliis maritis, adolescentibus; imo in Ecclesiastica dignitate constitutis. Nescio an aliquæ sint, quæ venientes alios maritos, vel amasios, blandissimè excipiant, florentes floribus, delibatæ unguentis meretriciis; toto vultu ad hilaritatem, toto corpore ad delicias, toto ore ad mellea dicta composita. Super caput mariti ex accenso ore detonant fulmina, fulgura, mille maledictiones & imprecationes; cum eadem lingua, alienos excipiat & tractet verbis melleis. O anguem! (ita si velis ex dictis poteris fusius prosequi hanc invectivam.) §. 9. *Digressio ad Auditores.*

Ut S. Gregorius Naz. lascivæ fœminæ ingenium describat, utitur quodam figmento, vel fabula, de Pandora. Pandoram enim ajunt, cum ignis à Prometheo furtim sublatus esset, vindicandi hujus sceleris causa, mortalibus adinvenisse, pro bono videlicet, atque utili igne; ignem alium malum ac pestiferum; quoque ardentius hominum animos inflammaret, omni eam pulcritudinis genere; à diis instructam & exornatam fuisse. ita cum suum quisque illecebræ ac fraudis genus in unum contulisset; tum verò confertam & cumulatam imposturam hominibus invectam esse; versutam nempe mulierculam, impudentem, dicendi suavitate præditam, perniciosum oblectamentum, facem perpetuò ardentem. Et statim addit, Pandoræ quippe filiæ sunt, procaces omnes mulierculæ, perfrictæque frontis. Ignoro iterum, an Bambergæ sint tales filiæ, &c. (Iterum habes amplum campum pro invectivis.) Itaq; ad formam mulieris Ægyptiacæ, Dalilæ & Pandoræ, metiantur se mulieres, ut videant, quales non debeant esse. §. 10. *Fabula de Pandora.*

Digitized by Google

CONCIO VIII.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Domine, si vis,

Matth. 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CUm hac Dominicâ frequenter egerim de bonis intentionibus, hæc Concio pro Auctario, duo proponit. 1. Ab intentione pendet bonitas operis. 2. In quo consistat puritas & perfectio intentionis optimæ. Miscentur variæ aliæ circumstantiæ, quæ hanc materiam concernunt.

§. 1. *Ab intentione pendet bonitas operis.*

QVod S. Ambrosius videtur voluisse insinuare eximiâ illâ sententiâ l. 1. off. c. 30. *Affectus tuus nomẽ imponit operi tuo. Quomodo à te proficiscitur, hic æstimatur. Vides, quem judicem habeas? quomodo opus tuum suscipias; tu prius mentem tuam inter-*

interroga. Considera has voculas, *Nomen operi imponit.* Hoc est, opus tuum, ab affectu, ab intentione sumit naturam; inde habet, ut sit; vel potius, quod tale sit. Si rem clarissimè velitis intelligere; conjicite oculos; hinc in opus omnium pulcherrimum: hinc in scelus flagitiosissimum; & advertetis, hoc ab illo, non nisi intentione & affectu discriminari; solumque affectum nomen operi imponere; Quis dubitat, incomparabile opus charitatis fuisse, cum æternus Pater dilectissimum Filium suum pro nobis, id est, suis inimicis in mortem tradidit. O inexhaustum amoris pelagus! Et quis dubitat, gravissimum fuisse scelus, cum eundem tradidit Judas, ut loquitur sacer textus. Quæ tamen duæ actiones, Patris & Judæ quoad substantiam suo modo videntur fuisse pares. Tradidit Pater Filium, tradidit & Judas. Tradidit Pater cœlestis Judæis: idem fecit Judas. Tradidit Pater Filium, ad tormenta, ad Crucem, in mortem. Idem peregit Judas. Christi ergo traditio, à Juda omnium pessimo, & à DEO Opt. Max. æquè quoad effectum, ad exitum est perducta. Proprio Filio non pepercit DEUS, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ad Rom. 8. v. 32. etiam Judas proprio Magistro non pepercit, sed in mortem Judæis tradidit.

Verùm quia idem met effectus, ab effectu & intentione omnino discrepante ortum duxit. Pater enim filium tradidit ex ardentissimo affectu amoris, & miserationis. Judas ex affectu avaritiæ, argenti lucro inescatus: ideo DEO Patri & Christo D. quantas capere maximas nostri pectoris angustiæ possunt; indesinenter agimus gratias; Judam verò perpetuo odimus & detestamur: DEum ob Filii traditionem optimum & benignissimũ dicimus; Judam ob eandem turpissimum monstrum appellamus. Ecce affectus nomen dedit operi. Sed audite verba S. Aug. tr. 7. in ep S. Joan. *Facta est traditio à Patre, facta est traditio à Filio, facta est traditio à Iuda. Vna res facta est. Sed quæ res discernit Patrem tradentem Filium: Seipsum Filium tradentem, & Iudam discipulum tradentem Magistrum suum? Quia hoc fecit & Filius in charitate, fecit autem hoc Iudas in proditione. Videtis, quia non quid faciat homo considerandũ est, sed quo animo & voluntate faciat.* Post pauca: *DEus cogitavit salutẽ nostrã, qua redempti sumus. Iudas cogitavit pretiũ, quo*

vendidit dam. filius ipse cogitavit pretium, quod dedit pro nobis. Iudas cogitavit pretium, quod accepit ut venderet. Diversa g. Intentio diversa facta fecit. Cũ sit una res ex diversis intentionibus, si metiamur, unum amandum, alterum damnandum: unum glorificandum, alterum datestandum invenimus. Hæc S. August.

§. 2. *S. Thomas vult nos ab ipso Deo discere, quam in operibus nostris debeamus habere intentionem.*

Præcipua pars hujus Concionis eò collimat, *In quo consistat puritas vel perfectio optima Intentionis.* Doctor Angelicus requirit talem intentionem in omnibus nostris operibus (opusc. 62.) *qualem habuit Deus in creatione mundi, & qualem habet in ejusdem gubernatione.* Sic loquitur. *Mos Dei est, quod in omnibus operibus suis nihil commodi sui respicit, sed pure & principaliter æternæ & immensæ bonitatis suæ abundantiã, & hoc ad Angelicæ & humanæ creaturæ utilitatẽ.* Postquã id fusius demonstravit, subjungit: *Ita in rebus omnibus pura debet esse intẽtio nostra, ut nec placentiam: nec displicentiam hominũ, aut nostrum commodum attendamus, aut gratiam in præsenti, aut gloriam in futuro; sed tantummodo purè & principaliter Dei admirabilem bonitatem & secundario proximorum salutem.* Quanto autem magis & purius partem Dei respicimus, & quanto minus nostram & aliorum utilitatem attendimus, tantò acceptabilius est Deo, & tanto Universitati fructuosius opus nostrum. *Heu quantum Deo deperit - quod in factis nostris aliud respicimus, quam pure Dei bonitatem.* O Angelice Doctor! quid quæso Deo deperit, aut deperire potest, cujus sunt omnia? Deperit illi de sua gloria, quã illi in omni opere nostro tanquam censum debitum, & tributum honorarium persolvere obligamur. Deperit illi de nostra sanctitate & perfectione, quam ille summopere zelat, & infinito desiderio desiderat. Deperit de fructu Passionis Christi dilecti Filii sui, quẽ participaremus multo abundantius, si in operationibus nostris purè respiceremus bonitatẽ Dei: deperit de gaudio, quod de operibus nostris habuisset majus, si purior & sublimor fuisset operantis intentio. Deperit consequẽter de gaudio, quod habuissent Angeli, & de gratulationibus, quas sancti fecissent Deo, si intentio nostra fuisset sanctior. Ecce fructum bonarum intentionũ, præsertim hujus, ut operemur propter D. bonitatem. Ita augemus ejus gloriam, ita crescimus in sanct. ita simus participes Passionis, ita Deum & Angel. oblect. &c.

Sed

Digitized by Google

Sed redeo ad S Thomam, qui vult intentionem Deo placendi & serviendi, debere esse tam puram, ut homo nec ad gratiã Dei, nec ad gloriam aut ullum præmium attendat, sed in omnibus pure spectet in omnibus Dei bonitatem. Cujus mentis ipse S. Thomas fuit, cum Christo crucifixo quærenti, quid pro suis laboribus exigeret, respondit. *Nihil præter te Domine.* Talem intentionem in suis operibus habuit S. Ignatius, de quo in bulla Canonizationis sic scribitur. *Omnem affectionem ad Dei dilectionem transferre conatus est. Hanc caritatem adeo puram in suo corde aluit retinavitque, ut etiam sui ipsius amorem prorsus amandarit.* Dixit enim aliquando; *se, si optio daretur, velle potius vivere cum incertitudine salutis, & interim servire Deo, quam cum certitudine tunc obire - dummodo Dei gloria augeretur, - & judicare sibi magis durum & pœnale futurum, audire blasphemias in Dei nomen, quam pœnas inferni pati, si unquam ad inferos detruderetur à Deo.* Tanto erga Deum amore flagrabat, ut tota die illum exquireret, & nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quam placere Deo, & ipsius obtemperare voluntati. Itaque se illi totum committebat, illum omnino sequi decreverat, etiamsi toto cœlo terraque privaretur. Omnes suas cogitationes, verba, opera in Deum, tanquam in finem referebat, atque hoc veluti symbolum, *Ad majorem Dei gloriam,* in ore semper ferebat. Ex his nimirum oriebatur illud magnum gaudium Spirituale, quo hic Dei servus plane repletus erat, illa serenitas, quam semper in vultu ferebat, illa pax interior animi.

§. 3. Quod fecit ipse S. Thomas & S. Ignatius.

S. Ignatii docilis filius fuit B. Stanislaus; de quo vita ait, *quod per sancta suspiria, per ardentes divini amoris actus, per altissimas intentiones non tantum per intervalla summi boni fontem regustarit, sed quantum mortalitas patiebatur assidue potans, & perpetuo summo illi bono inhærens.* Certè intra paucos vitæ religiosæ menses suopte nutu ita ferebatur, acquiescebatque in Deo, ut vita ejus fere omnis vere dici possit, perpetua oratio, & insigni dono consecutus id fuit, ut ubiq; ac semper in divino se stare conspectu sentiret; *imo se totum ac penitus in Oceanum immensum Divinitatis ita immerserat, ut quocunque se verteret, nunquam emergeret.* O vitam Seraphicam beatissimi Adolescentis! Stanislaus tempore totius meditationis

§. 4. Et B. Stanislaus.

Digitized by Google

totus immersus in oceanum Divinitatis. Stanislaus audiens sacrum, recitans rosarium, &c. imo inter suavia cum aliis de rebus piis colloquia; totus immersus in oceanum divinæ bonitatis, per ardentissima desideria illi soli placendi, sed quid ajo Stanislaum immersum fuisse in Oceanum? cum certum sit ipsum quoque ex animi redundantia, ita divini amoris incendio sæpe incaluisse, & corpus exæstuarit, ut veluti ex aperto pectore igneæ in altum eruperint scintillæ, ut cordi, ne opprimeretur ad mitigandum ardorem imbutos frigida panniculos necesse fuerit apponere. Igneæ scilicet hæ scintillæ fuerunt igneæ illæ voces, quibus cum sponsa internos animi affectus exprimere solebat, *dilectus meus mihi, & ego illi.* q d. Vivo, sed soli dilecto meo, ut illius faciam beneplacitū, quia bonus est, &c. Hâc praxi, per has sanctas intentiones, homo in hâc vitâ vivere potest, & operari ut Deus operatur, ex mente Angelici Doctoris.

§. 5. S. Paulus vult nos idem discere à Christo D. Qui debet esse fundamentum nostrarum intentionū.

Post Deum in cœlis & in terris, nihil est sublimius; nemo sanctior, nemo perfectior, nemo excellentior, Christo salvatore nostro. Est enim homo Deus & Deus Homo. Paucis verbis circumscribe omnem Christi D. excellentiam. Ab hoc, veluti Magistro nostro vult nos S. Paulus discere, quęnam sint intentionęs omniū perfectissimæ, & in quo consistant, sed antequam in hoc oculos coniiciamus, memores nos esse oportet verborum ejusdem Apostoli 1. Corint. 3. v. 11. *Fundamentum aliud* (scil. vitæ Spiritualis, sive totius Ecclesiastici ædificii & cujusque animæ fidelis in particulari,) *nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* (id est fides in Christum Salvatorem) *Et hoc est fundamentum fundamentorum* inquit S. Aug. quod scilicet per se, & se ipso subsistit, & omnia sustentat: *quia,* inquit S. Greg. *Christus est origo inchoantium, & constantia robustorum, & totus ordo supernaturalis gratiæ & gloriæ in ejus cœlesti doctrina & meritis fundatur.* In particulari verò idē S. Greg. explicans v. 13. c. 13. Job. *Super quo bases illius solidata sūt.* de sanctis intētionibus ita discurrit; *Bases unius cujusq; sunt intentio animæ suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur; ita vita nostra* (sc. supernaturalis) *in virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistunt; tunc autem bases illæ in fundamentis*

mentis sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Ex qua doctrina, idem S. Doctor veritatem, & monitum nobis valde utile elicit, ne in vanum ædificemus. Quidam enim in Ecclesia vel aliqua religione, v. g. in sanctâ nostra societate magna & magnifica coram oculis hominum videntur erigere ædificia, quæ homines mirantur & extollunt, sed coram oculis Dei non subsistunt; sunt aliqui veluti oracula, ita consuluntur, ita laudantur, &c. & tandē turpiter cadunt. Quæ causa? hanc crediderim præcipuam, *quia bases sive intentiones suas non posuerunt super fundamentum solidum, quod est Christus Iesus. In cassum,* inquit S. Doctor. *bases super se ædificia erigunt, si non ipsa in fundamenti soliditate consistunt, quia nimirum, quantumvis summa opera inaniter faciunt, si intentiones cordiū extra æternitatis certitudinem deflectuntur, tanto graviora super se ruinæ damna ædificant, quanto altiora ædificia extra fundamentum portant, &c.* Non ergo pensandum est, basis quid substineat, sed ubi sustineatur, quia profectò humana corda divinitus perscrutantur, non solum quod faciunt, sed quid in omnibus quærunt. *Intentio igitur nobis nostra pensanda est, ut nil temporale in his, quæ agit, appetat, sed totam se in solitudinem æternitatis figat, ne si extra fundamenta actionis fabrica ponitur, terra dehiscente solvatur.* Quisquis in suis actionibus temporale aliquid intendit, Christum pro fundamento non habet, qui à primo Conceptionis momento, usque in finem vitæ nil aliud intendit, quam gloriam æterni Patris.

§. 6. *Christus D. in omnibus quæsivit gloriam sui Patris.*

De quo ita Venerab. Beda *Notandum, quia Dominus in carne apparens, omnia quæ verbis docuit, exemplis firmavit. Qui enim nobis præcepit, sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est, & ipse in universis, quæ cœpit facere & docere, non suam ab hominibus, sed Patris gloriam quærebat.* Sicut ipse dixit Joann. 8. vers. 50. *Ego non quæro gloriam meam.* Quod cum magna emphasi nobis proposuit sanct. Paulus ad Rom. 15. v. 3. *Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Quia scilicet nunquam elegit, quæ suæ naturæ humanæ

erant

Digitized by Google

erant delectabilia, nec unquam quæsivit pro se in quantum homo est, sive pro sua humanitate, honorem, gloriam, consolationem, quietem, gaudia; sed elegit tormenta, dolores & ignominias, per quorum tolerantiam satisfaceret Patri, pro peccatis hominum eâ mente, ut quantum infinita illa Majestas inhonorata fuit, & quasi contempta, tantùm imo infinitè plus eam glorificaret & ita efficeret, ut homines in hac vita, & altera in æternum eandem juxta suum exemplum glorificarent.

§. 7. *Prosecutio.* Hoc spiritu sive zelo Christus D. cœpit glorificare DEUM à primo puncto suæ Incarnationis & Nativitatis, usque ad ultimum momentum vitæ mortalis in Cruce; absque intermissione hoc unum intendens, DEUM glorificare. Unde non sine mysterio SS. Angeli Christo nato accinuerunt, *Gloria in excelsis DEO*, ut manifestarent nobis finem, propter quem filius DEI fuit natus, propter quem laboravit, &c. scilicet ut DEUM glorificaret, & suo doceret exemplo homines, quomodo & ipsi DEUM glorificare possint & debeant. Quicquid Christus D. 33. annorum spatio fecit & locutus fuit, eò direxit, ut homines magis cognoscerent divinas perfectiones, omnipotentiam, sapientiam, misericordiam, bonitatem, &c. DEUMque suum ob eas magis æstimarent, diligerent, glorificarent, servirent. Et re ipsâ infinities magis honoravit & glorificavit DEUM in vitâ suâ, quam omnes homines suis peccatis eum inhonorârunt.

§. 8. *Præsertim in miraculis.* Singulariter hunc zelum divinæ gloriæ ostendit, quando patravit miracula. Adduco unicum ex multis, Marc. 5. v. 19. dixit homini quem ab integra legione dæmonum liberaverat: *Vade in domum tuam, ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi bona DEUS fecerit.* Ubi Theophilactus. *Non dixit denuntia omnia quæ tibi feci, sed omnia quæ fecit tibi Dominus, quia DEUM per hoc volebat glorificari.* Sed est hæc fusior materia, quàm ut modò deduci possit. Certum est Christi D. intentionem præcipuam in omnibus operibus fuisse gloriam Patris.

§. 9. *Quid sit gloria DEI, quam nos intendere possumus.* Sed merito quis hic quærere potest: Quid sit, & in quo consistat illa gloria DEI, quam in operibus nostris intendere debeamus? Respondeo esse duplicem; unam DEO intrinsecam,

quæ

quæ fundamentaliter est ipsa Divinitas ac Divinarum Personarum excellentia; nam ob hanc dignissimus est, qui ab omni creaturâ rationali cognoscatur, ametur, laudetur, glorificetur. Hæc est gloria fundamentalis, unde in scripturis passim excellentia Divinitatis & signa omnia hujus excellentiæ dicuntur Gloria DEI. Formalis verò sivè actualis gloria DEO intrinseca, consistit in hoc, quod cognoscatur sive comprehendatur, & infinitè ametur à se ipso, quantum cognoscibilis & amabilis est, & quantum cognosci & amari meretur. Hæc gloria, quod necessariò à *se ipso* sic cognoscatur & ametur, infinite major est, quam si ab infinitis angelis & hominibus cognosceretur & amaretur. Et hanc intrinsecã gloriam DEus ab æt. perfectissimam habuit, nec ad eam augendam creavit mundum, quia illa augeri non potest. De hac q. gaudere & gratulari DEO possumus, sed non intendere. Altera gloria DEO est extrinseca, quæ fundamentaliter consistit in excellentia & pulchritudine filiorum DEI, quales sunt omnes justi in hac vita, & beati Angeli & homines in cœlis, quia gloriosum DEO est quod habeat tales servos & aulicos, à quibus laudatur. Actualis verò gloria DEI extrinseca consistit in eo, quod ab hominibus in hac & alterâ vita cognoscatur, ametur, laudetur & glorificetur in omnem æternitatem.

§. 10. Ex discursu præcedentis paragraphi sequuntur aliqua Corollaria.

Ex quo fundamento hæc sequuntur corollaria. 1. Hunc esse finem ad quem homo est creatus, ut nimirum in hoc mundo, per gratiam sanctificantem, sit filius DEI adoptivus, amicus & servus DEI; & ut in hoc statu gratiæ, DEUM laudet, revereatur, amet. Ut tandem per sanctam mortem fiat salvus, & DEUM æternum laudet in gloria. 2. Quid sit facere omnia ad DEI gloriam, eamq; in se & aliis promovere. Est enim id agere & quærere ut magis cognoscamus & amemus DEUM, eumque in hac vita magis laudemus & glorificemus ac serviamus perfectius. Per hoc enim augetur semper in nobis magis gratia DEI, & homo fit sanctior. Quo autem majorem quis habet gratiam in hac vita, eò clariùs in altera DEũ cognoscet & amabit, quæ est major DEI gloria per totã æternitatẽ. Ob quã causam in cœlis inter omnes sanctos, prima, quæ DEum maximè glorificat, est B. Virgo, quia &c. In mea opi-

Digitized by Google

opinione, Virgini proximus est, dilectissimus ejus sponsus, S. Joseph, & ita debemus discurrere per omnes Ordines, & cœlestium spirituum, & hominum, v.g. Inter Apostolos DEUM maximè glorificat, qui fuit primus in gratia & sanctitate, &c. Consideremus hîc, quàm debeamus esse soliciti, ut per omnia opera, directa ad DEI gloriam crescamus in gratia, & amore DEI, unde nascitur major DEI gloria. Sequitur 3. quo studio conveniat nos sanctas instituere meditationes, divinas expendere veritates, DEI perfectiones contemplari, sacras scripturas legere, &c. quia hæc omnia juvant nos ad DEUM, ejusque perfectiones, & magnalia magis cognoscenda, & consequenter ad eum magis amandum; quò enim quis DEUM melius cognoscit, eò magis amat; & omnia, perfectione & zelo, quo potest, quærit DEI gloriã.


§. II. An exercitium puræ intentionis, sit facile, vel difficile.

In hoc discursu una adhuc oritur quæstio; An exercitium puræ intentionis sit facile. Ita videtur, quid enim facilius, quam per diem ante opera præcipua, v. g. orationem, studium, &c. ore menteque dicere: Propter te DEUS, volo id opus facere, sive ad tuam gloriam. Sed ex aliquibus responsis duo patebunt; esse hoc valde difficile, & inde patere perfectionem & summam excellentiam hujus exercitii: 1. Pura actualis intentio, est actus perfectissimæ charitatis erga DEUM, dirigens, informans & elevans opus hominis ad ordinem supernaturalem, & ordinans ad ultimum finem; unde fit, ut sicut continuata actualis charitas, homini præsertim occupato, &c. est difficilis, ita & pura actualis intentio. 2. Purissima intentio in hoc superat caritatem; licet enim hæc non permaneat cum peccato mortali, stat tamen cum venialibus; purissima verò intentio, etiam veniale peccatum excludit, quia opus etiam leviter peccaminosum, per puram intentionem offerri non potest; quod clarè patet, nam cùm fœdum sit, & purissimis illius oculis displiceat, ideoque DEUS illo offendatur, per illud ejus gloria augeri non potest; imo destruit illam gloriam. 3. Quod est difficillimum, sed perfectissimum, ideoque difficile est, quod pura intentio non tantum excludat levissima peccata venialia; sed etiam imperfectiones, quæ ex se peccata non sunt: patebit res in exemplo. Regula jubet ut

ma

mane servetur hora meditationis: idem intellige de examinibus. Est qui præscripto illo tempore vult studere, & cogitat millies, se facturum hoc ad DEI gloriam. Nihil valet hæc intentio, quia licet regula id non præcipiat sub peccato, quia tamen dubium non est, quin DEI beneplacitum sit, ut hoc præscripto tempore meditationem faciam, necessario illi displicet, quod tum studeam vel aliud aliquid agam; quia est imperfectio, quæ nulla intentione elevari potest, ut DEO placeat, & ut per illud gloria DEI augeatur. Qui igitur in omnibus particularibus actionibus habet rectam intentionem, nihil potest totâ die agere, quod peccatum sit, vel regula aliqua prohibetur. Quæ omnia quam difficilia sint, nemo non videt; Sed simul patet, quantæ excellentiæ sint tales intentiones, quomodo per omnes actiones nostras die & nocte possimus augere gratiam DEI, amorem, sanctitatem, & quod iterum sequitur, DEI gloriam, & nostram aliquando in cœlis. 3. Dicunt alii, intentionem perfectissimam, consistere in amore, sine dilectione DEI. S. August. tr. 7. in ep. S. Joan. *Semel ergo breve præceptum tibi promittitur; dilige, & quod vis fac. Sive taceas, dilectione taceas: sive clames, dilectione clames. Sive emendes, dilectione emendes: Sive pareas, dilectione pareas. Radix sit intus dilectionis; non potest de ista radice, nisi bonum existere* Nempe ea est bonæ intentionis, amoris & dilectionis DEI præstantia, ut omnia opera reddat bona; quadretque illud Senecæ, Ep. 118. *Perfectum bonum est, cujus contactu alia quoque bona sunt.*





CONCIO IX.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Motus magnus factus est in mari,
Matth. 8. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Ostendi aliquoties in meis concionibus, motum tempestuosi maris ponere nobis ob oculos inquietudinem, fluctus & alia tormenta malæ conſcientiæ; de quibus hic diſcurſus varia proponit.

§. 1. *Quid ſit conſcientia bona vel mala.*
§. 2. *Mala conſcientia ſemper eſt inquieta. Expertus id fuit S. Petrus.*
§. 3. *Patuit in Herode.*
§. 4. *Conſcientia, ſpeculum.*
§. 5. *Conſcientia non ſopitur.*
§. 6. *Mala conſcientia, Cerberus.*
§. 7. *Tormenta malæ conſcientiæ ulterius variis modis proponũtur*
§. 8. *Proſecutio ex Regio Pſalte.*
§. 9. *Mala conſcientia infernus.*
§. 10. *Peccatum in conſcientia Scorpius*
§. 11. *Alia comparatio.*
§. 12. *Mala conſcientia, gehenna.*

§. 1. **Quid ſit conſcientia bona vel mala.** Occaſionem hujus diſcurſus mihi præbent verba ſancti Chryſ. paulò ante citata; ſit aliquis nihil in ſe damnandum habens (hoc eſt, ſit aliquis bonæ conſcientiæ) quid hunc quæſo in triſtitiam poterit inducere? ſuppono, itaque conſcientiam nil aliud eſſe, quã judicium actuale intellectus, quo homo judicet, aliquid eſſe bonum vel malum; ideoq; illum habere conſcientiam bonam, qui agit, quod judicat eſſe bonum, Syndereſis autem & cognitio primorum principiorum in practicis, quæ docent aliquid eſſe faciendũ, vel fugiendum, licet quandoq; unum pro alio capiatur. Hoc ſenſu S. Auguſt. contra Secundinum

dinum Manichæum sic loquitur. *Senti de Augustino, quod libet; sola me conscientia in oculis Dei non accuset.* S. Nazian. *Conscientia, domesticũ & verum tribunal est.* S. Greg M. 27 mor. c. 17. *Humana judicia subter fugere male agens, sed non judicium conscientiæ.* S. Bern. Ser. 84. in Cant. *Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio; cũ veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt.* Tertull. *Potest hoc lumen obumbrari, quia non est Deus; non potest extingui, quia à Deo est.* Seneca ep. 43. *Quid opus est se recondere? bona conscientia turbã advocat; mala etiam in solitudine anxia est. O miserum! si contemnis hunc testem.* S. Greg. hom. 9. in Ezech. *In omni quod dicitur tacite recurrere debemus ad mentem, & interiorem testem, & judicem requirere; Quid enim prodest, si omnes laudent; conscientia accuset? aut poterit obesse, si omnes derogent, & sola conscientia defendat.* S. Bernardus. *Fortitudo nostra, fidelis conscientia.* S. Ambros. ep. ad Constantiam. *Etsi quis credat, se non posse convinci; se ipsum unusquisque, & animum suum, securum judicem, sui ultorem & vindicem criminis habet.* Seneca lib. de moribus. *Conscientiam magis, quam famam attende, falli namque sæpe fama poterit, conscientia nunquam.* Elegantissimè Hugo lib. 2. de anima cap. 12. *Conscientia, scientia cordis; cor enim & se novit sua scientia & multa alia: quando novit se, appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia. Est enim pædagogus conscientia, cui Deus tradidit animam cujuscunque.* Hæc de conscientia in communi.

§. 2. *Mala conscientia semper est inquieta Expertus id fuit S. Petrus*

In particulari; conscientia mali tota est inquieta, mox arguit & reprehendit reum. Explicatur simili, Matth. 26. vers. 74. cum Petrus tertia vice magistrum fuisset detestatus, *cum jurasset, quia non novisset hominem, continuo gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat, prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amarè.* Non sine causa fit mentio galli, quem Deus præfecit veluti excubitorem, qui inter nocturnas tenebras hominem ad opus urgeat, ut excutiat somnum, moneatq; adventare solem, & tempus laborum. Plinius l. 10. c. 21. *Proxime gloriam sentiunt, & hi nostri vigiles nocturni* (id est, galli) *quos excitandis in opere mortalibus rumpendoque somno, natura genuit.* Norunt sidera, & ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt

Digitized by Google

cubitum; quartaque castrensi vigilia ad curas, laboremque revocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu. Gallus igitur Petrum admonet; id est (Hugo Cardin.) gallus conscientia, Petrus vero peccator est, ergo sicut Deus gallum effinxit, ut hominem ad opus excitet, & laborem indicat, non aliter conscientiam nostram, excubitorem nobis præfecit, quæ nos statim, in tenebris peccatorum, criminum nos admoneat, quam si attente audiamus, in lacrymas & pœnitentiam mox solvemur. Vix sermonem Petrus expleverat, cum erroris sui & detestandi criminis, scilicet perfidę negationis gallus admonuit; quia conscientia, sine ulla mora in memoriam scelus revocat, statim animum lancinat, mox pungit & discruciat. Hinc timores, luctus, tristitiæ, dum conscientia semper oblatrat, nunquam increpationem interrumpit, donec sordes abluas, crimina elvas, mordere non desinit. Audi Hugonem. Post Petri negationem statim gallus cantat, quia in gallo conscientia significatur, dum impius intus ab illa reprehenditur.

§. 13. *Patuit in Herode.*

Cum Marci 6. vers. 16 mentio fieret S. Joannis Baptistæ, Herodes ait, *Quem ego decollari Ioannem*, ecce dum nomen ejus audit, turbatur, angitur, dum scilicet oculis mentis ejus objecta fuit tristis species, & funesta imgao decollati Joannis; illa imago fuit veluti speculum, in quo nefandum scelus effusi innocentis sanguinis agnovit. Caveamus ergò, ne quid impium committamus, v. g. ne hoc sacro tempore Passionis, Christum filium Dei rursum crucifigamus, ne sanctissima ejus vulnera renovemus, nam tristis & tragica forma Christi pendentis in Cruce, nobis objicietur, non ad veniam, non ad compassionem, & ad misericordiam, sed ad terrorē. Conscientia impii est clarissimum speculum, est imago, per quam peccatori objicit commissa scelera. Audi luxuriose! inspice hoc speculum! inspice conscientiam tuam, est locus pro pathetico affectu.

§. 4. *Conscientia speculum.*

Adverte iterum, conscientiam esse instar speculi, quod memoriæ objicit, si quid peccatum fuerit; neq; unquā mens aut animus alio se convertere potest, ut diram illam imaginem vitet, neq; dirum patiatur spectrum, de quo super v. 22. c. 16. S. Lucæ, *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos,*

cum

cum esset in tormentis, vidit Abraham, super hunc, inquam, locum, ait Hugo. *Elevans autem dives depauperatus oculos suos; cum esset in tormẽtes, id est, in flagello conscientiæ; quod fit ex tribus funiculis.* Quorum primus est consideratio dammi, tolerabilius fuisset divitẽ, id est, justum non fuisse, quã tantis divitiis excidisse, & ex hoc quod vidit se tot divitias amisisse, magis affligitur & torquetur. Unde Job. c. 3. v. 20. *Quare misero data est lux?* id est, cognitio suæ miseriæ. Secundus est, condemnatio proprii judicii; conscientia ipsum accusat & condemnat. Tertius est timor periculi, certus est homo, cum ceciderit, de pœna æterna, si in hoc deprehendatur. Unde dicitur Sapien. 18. cum sit timida nequitia, dat testimonium condẽnationis; semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.

Sed quare, (quærit S. Chryso. hom. 4. de Lazar.) *nobis judicem in animo sic perpetuo vigilantem & attentum Deus constituit? conscientiã loquor, neque enim est ullus inter homines adeo vigilans, ut est nostra conscientia; nam externi judices, & pecuniis corrumpuntur, & assentationibus deliniuntur, & metu simulant, denique multa sunt alia, quæ rectum illorum judicium depravant; at conscientiæ tribunal nulli hominum novit cedere; sed quamvis dederis pecunias, quamvis quodlibet feceris, justam tamen fert sententiam; neque id simel atque iterum, sed sæpius, imo per totam vitam.* Theodoretus in c. 17. Jeremiæ, *nihil potentius conscientia, in qua scilicet infixa sunt literæ.* S. Bern. 2. de consider. *Nullus de tanta numerositate spectantium, molestior oculo suo, & etiam fidelior.* §. 5. *Conscientia non sopitur*

Expertus fuit impius Cainus; cum Abelem interemisset, statim ait illi Dom. Gen. 4. v. 6. *Cur concidit facies tua?* scilicet cur, mœrore, ira, odio, invidia contabescis, eaq; vultus tristitia & dejectione prodis? cur lividis & dejectis in terram oculis parricidiũ incipis meditari? quia male egisti, statim ad fores tuas adest peccatũ, sive pœna peccati, quæ simul peccati est vindex, sive adjacet animo tanquam Cerberus, qui Caino allatravit, momordit, lancinavit. Talis Cerberus est vermis conscientiæ, mentis turbatio & indignatio, ira Dei capiti peccatoris imminens, tribulatio, angustia omnesq; ærumnę, præsentes & æternæ, quibus Deus peccatũ punit. Unde Chaldæus vertit, *in diem judicii peccatum servatũ est, in* §. 6. *Mala conscientia Cerberus.*

Digitized by Google

quâ ulciſcetur de te. Nota elegantem proſopopœiam. Peccatum enim inducitur quaſi Tyrannus, qui cum ſuis aſſeclis tam lictoribus, quam moloſſis peccantem aſſiduè inſequitur. De quo Horat.

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Certè magna eſt pœna. Ita Alexander Macedo, cum Clytum ſibi chariſſimum & fideliſſimum temulentus occidiſſet, mox conſcientia ſceleris furens, ſibi mortem intuliſſet, niſi à ſuis prohibitus fuiſſet. Ita Nero, auctore Dione, matre trucidatâ, ajebat ſe ſpecie maternâ exagitari verberibus furiarum, tædisq; ardentibus, nulloq; loco tutum poſſe conſiſtere. S. Auguſt. in ſent. *Nullæ pœnæ graviores ſunt, quam mala conſcientia, in quâ cum non habetur DEVS, conſolatio non invenitur.* (hinc metus) *ideo liberator invocandus eſt, ut quem tribulatio exercuit ad confeſſionẽ, confeſſio perducat ad veniã.*

§. 7. *Tormenta malæ conſcientiæ, ulterius variis modis proponuntur.*

Eleganter id fecit nobilis auctor, Novarinus l. 2. ſacrorum ſelectorum per pœnas Ixionis. Fabulantur Poëtæ, Ixionem ob enormia ſcelera ad inferos detruſum, rotæ volubili alligatum perpetuò illic volutari. Ita Ovidius:

Volvitur Ixion, & ſe ſequiturque, fugitque.

Virgilus addit circa rotam angues plures circumvolutos fuiſſe, ſic enim canit:

Invidia infelix (dicamus nos conſcientia mala)
furias omnemq́; ſeverum,
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues,
Immanemque rotam;

Tibullus. *Illic Iunonem tentare Ixionis auſi,*
Verſantur celeri noxia membra rotâ.

Unde res in proverbium abiit, ut Ixionis ſupplicia, dicantur ſupplicia maxima. Et quidem inquietam conſcientiam, eſſe quandam Ixionis rotam, qua ingenti cruciatu inquietus animus torquetur, ſentiunt ipſi, qui gravium ſcelerum, & cupiditatum, v. g. ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ ſunt mancipia, ſi ſeriò conſcientiæ murmura & accuſationes & ſtimulos velint audire & ſentire. Petrus Bleſenſis ep. 91. *Non deeſt tibi rota Ixionis, dum cupiditate torqueris.* Quod

Digitized by Google

Quod impiorum hominum supplicium indicare videtur regius Propheta Pſ. 11. v. 9. dum ait: *In circuitu impii ambulant*, ac si diceret, rerum temporalium & passionum cupiditate, scelerumq; commissorum conscientia, tanquam rotâ volvuntur homines, quæ rota circuitus dicitur, quia continuâ repetitione, tanquam rotâ volvuntur. Diceres eos à sceleribus & vafro Dæmone, deludi, sicut ab Heliogabalo Parasiti, de quibus Lampridius ait in ejus vita: *Parasitos ad rotam aquariam ligabat, & cum vertigine sub aquas mittebat, rursusq; in summum revolvebat, eosque Ixionis amicos vocavit.* Quos Seneca videtur allocutus his verbis de beata vita c. 28. *Nonne nunc quoque, etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat, & involvit fugientes, petentesque eadem, & nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit?* Modus loquendi fundamentum habet in sacris literis Sap. 4. v. 12. *Inconstantia concupiscentiæ* (dicamus, inquietudo conscientiæ) *transvertit sensum.* In Græco, pro inconstantia ponitur *turbo*, quo exacerbata & stimulata impii conscientia rapitur atque rotatur, dies noctesq; juxta illud B. Laurentii Justin. *Fallax suavitas, in sceleribus infructuosus labor, vana spes, perpetuus timor, & periculosa inest jucunditas: cui initium sine prudentia, progressus absque rubore, sed finis cum pœna.* Igitur torquentur jugiter impii ac cruciantur, qui à mala conscientia scelerum furiis agitantur; in volubili jacent rota. Rota est, memoria tot blasphemiarum; rotæ sunt nefanda scelera luxuriæ, infelices Ixiones! tantem in infelici æternitate igneis alligantur rotis, ut infernalium hostium sint ludibrium. §. 8. *Prosecutio ex Regio Psalm.*

Videantur licet tales, scelerum scilicet conscientiâ agitati, quiete ac delectatione frui, non fruuntur, cum etiam in hac vitâ dum vivunt, eorum quies sit in quodam inferno. Audiendus hîc S. Ambrosius l. 1. off. c. 12. *Transivit requies ejus, evanuit delectatio, licet ipsa quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno sit; viventes n. in inferna descendunt. Vide convivium peccatoris, interroga conscientiam ejus, nonne gravius omnibus fœtet sepulchris? Intueris lætitiam ejus? & salubritatem miraris corporis, filiorũ atq; opum abundantiã? introspice ulcera, et vibices animæ ejus, cordisq; mœstitudinẽ.* Elegantiss. S. Aug. ser. 255. *Quale gaudiũ conscientia illa habere potest, in cujus anima multis vitiis occupata, magis diabol⁹ probatur habitare, quã Christ⁹, veri sc. gaudii fons* §. 9. *Mala conscientia infernus.*

Christus, unde tam à veri gaudii fonte animus abest, quam abest à Christo suo. Et quæ voluptas in ejus animo esse posset, qui peccatum excipit maximum omnium suppliciorum supplicium. Exulet necesse est ab illo corde gaudium, pax, voluptas, à quo exulat DEI gratia, quæ illorum pax & nutrix. Verus in hac re S. Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ. *Quæ possit illic esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum exspectatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi Iudicis Ira, ubi gladius, ubi carnifex, ubi barathrum.*

§. 10. *Peccatum in conscientia Scorpius.* Inanem quandam, fallamque voluptatem initio præfert peccatum, tandem amaritudinis venenum conscientia exhibet, & cruciat. Falsa suavitate blanditur, ut verâ amaritudine repleat. Cave ne ejus blanditiis credas, ac venenum sentias. Simile scorpioni peccatum est, qui facie blanditur, in cauda venenum defert, & percutit, ut torqueat. Ugo Carensis in Ps. 59. *Scorpionis modum & naturam habet diabolus, & peccatum, facie blanditur, & caudâ pungit & venenat*; quod teste Sidonio Apollinari l. 2. ep. 3. expertus fuit magnus quidam Aulicus, de quo ait: *Non fefellerunt futura, namque cum omnes aulicos honores securissimè percurrisset, tandem aulam turbulentissimè rexit inter tumultus militum, quod & exitus probavit novus, celer, acerbus, quem cruentavit fortunæ diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, ut scorpius ultimâ sui parte percussit.* Talis scorpius est mala conscientia (poterit hoc pulchrè dilatari.)


§. 11. *Alia comparatio.* Timorem & inquietudinem conscientiæ Petrus Abbas Cellensis l. de panibus c. 13. hoc explicat simili. *Cogita aliquem à suis hostibus circumdari, undique ab armatis inimicis inermem obsideri, quàm miser, quàm infelix, morti proximus, neque ullum adest effugium, nemo est, qui hostium rabiem coërceat, nemo qui molliat iram. Huc anima etiam evadit, quæ vitiorum & criminum hostibus circumvallatur.* Istam vitiorum aggressionem eleganter explicat citatus Cellensis. *Habitans anima in corpore, hostium circumvallatur multitudine; aggreditur siquidem eam concupiscentia, scutum arripit ira, lanceam luxuria, gladium invidia, clypeum temeritas, equum jactantia, calcaria impatientia, galeam superbia.* Talis hostis, sive ipsa conscientia armatur scuto, lanceâ, gladio, telis, calcaribus, stimulis, sævire non desinet etiam in æternum, nisi deleatur pec-

Digitized by Google

peccatum, dum tempus est pœnitentiæ. DEUS ipse ut impium torqueat, commissorum peccatorum auxilio uti videtur, probè sciens, nihil hominis mentem sic torquere, quam peccati memoriam. Job 13. v. 26. *Et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* LXX. *Circumposuisti autem mihi juventutis peccata.* ac consequens sit, ut à peccatis, quæ in juventute commiserat, circumvallatus bonis omnibus, vitâq; ipsa spolietur, & ad extremam consumptionem redigatur. A peccatis consumitur, qui peccata committit, ut consumi sit idem, ac inter gravissimos cruciatus, peccatorum memoriâ undique ambiri.

Imò ideo gravis est peccati vel malæ conscientiæ cruciatus, & pœna, ut videatur esse gehenna. Infernus sibi est conscientia mala, gehenna sibi peccator est; scitè S. Aug. in Ps. 102. *Quanta solucitudines hic in ira vitæ? Omitto gehennam. Vide ne jam tibi gehenna sis. Es, dum peccas. Rea namque conscientia delinquentis infernus est, & peccatoris.* Hinc illud S. Bern. serm. 4. in Assumpt. B. V. *Infernus quidam & carcer, anima rea conscientia est.* Serm. 2. de eâdem fest. *Cæterùm enim tunc* (cùm peccatis serviebat) *nec carcer illi deerat, neque infernus. Ab ipso namq; conjurationis, & perditionis pessimæ deprehensa principio, non alibi quàm in domo propria carcerali, est mancipata custodia, nec aliis quam sua illius familiæ data tortoribus.* Erat enim conscientia illi carcer, erant tortores ratio, & memoria; atq; hi quidem crudeles, austeri & immisericordes. S. Petrus Dam. l. 2. ep. 5. *Notandum verò quia & reproba cujuslibet anima fit confusio tartari, atq; in sanctâ- munda & perfecta species Paradisi.* Mens enim otiosa, cupida, curis tantummodo sæcularibus dedita, libidinis igne succensa, nonne tibi videtur infernus, in quo videlicet & diabolus habitat, & concupiscentiarum ignis ardere non cessat. Illic enim de luxuria sulphureus fœtor oboritur, & de cogitationum crebrescentium tenebrosa caligine tanquam teterrimi fumi volumina generantur. Nam dum hoc amat, illud timet, in aliis gaudet, hoc odit: illud avidè concupiscit; fit infelix mens, suspecta semper & vaga, curiosa, anxia simul & solicita, quæ curis impellentibus in multa dividitur, diversarumq; passionum morsib. laceratur. Hæc itaq; flebilis anima gehenna est facta, tartar⁹ & infern⁹, quem & cruciant tormenta curarũ, & vitiorũ vastat incendiũ, hæc modo de consc. mala.

§. 12. *Mala conscientia, gehenna.*



CONCIO X.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ite & vos in vineam meam,

Matth. 20. verſ. 7.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ÆQuiſſimum eſt, ut pro donario, mercede & bravio gloriæ æternæ, laboremus multum, & adverſa atque tribulationes fortiter toleremus. Præter plurimos laborum tribulationisque fructus, remuneratio æterna eſt certa.

§. 1. *Vita hominis eſt labor ſuper terram.*

§. 2. *Requiritur in nobis promptus & alacer animus ad bibendum calicem Paſſionis.*

§. 3. *Qui libenter tolerat & patitur; vertit amaritudinem calicis, in dulcedinem.*

§. 4. *Quid in laboribus & tribulationibus à Deo debeamus petere.*

§. 5. *Deus eſt, qui immittit labores & tribulationes.*

§. 6. *Præſertim electis & dilectis.*

§. 7. *Labores & tribulationes, ſternunt nobis viam ad Deum.*

§. 8. *Digreſſio ad Chriſtum Crucifixum.*

§. 9. *Permittit labores, ut eò confidentius ad eum confugiamus.*

§. 10. *Cum omnia videntur deſperata, DEVS præſto adeſt.*

§. 11 *Præſertim in magnis adverſitatibus.*

§. 12. *Remuneratio eſt certa.*

Militia

MIlitia est vita hominis super terram, Job. 7. verſ.1. alia lectio habet, *Labor est vita hominis*. S. Greg. l 8. mor. c. 7. advertit latere metaphoram, ſumptam à mercenario, qui magnum ſibi beneficium collatum putat, ab eo, qui ejus opera utitur & ad laborem conducit; ad cujus menſuram ſcit infallibiter dandam mercedem. Sanct. Gregor. *Sic ſciendum quoque eſt, quod mercenarius ſollicite curat inſpicere, ne unquam dies vanus labatur ab opere, & exſpectatur finis operis & temporis, ne inanis veniat ad remunerationem, quod ſi decurſus præſentis temporis penſat, dies cum operibus numerat, & ne à labore vacua tranſeant vitæ momenta, formidat.* Talis in nobis debet eſſe ſollicitudo, reſpectu Remuneratoris noſtri, qui eſt DEUS; & reſpectu denarii, ſive mercedis, quæ eſt gloria æterna. §. 1. *Vita hominis labor ſuper terram.*

Magnis animis opus eſt, ad laborandum in vinea Domini, ſive ad patiendum. Cum duo diſcipuli, Joannes & Jacobus primas præfecturas in regno Chriſti ambirent, eorum arrogantiam Chriſtus D. his verbis reprehendit Matt. 20. v. 22. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Reſpondent, *Poſſumus*. Quæ verba alacrem animum & promptum ad ebibendum calicem malorum ſonant. Ac ſi dicat Chriſtus D. Nullo medio facilius & certius ad exoptatum dignitatis culmen conſcendere poteritis, quam ſi ſtrenue laboreris, & multa ardua fortiter excipiatis. Hæc fuit mens Origenis tr. 11. in Matth. & in probationem adducit verſ. 12. Pſalm. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Hanc quæſtionem propoſuit David, cum hinc agnoſceret & multitudinem, & magnitudinem beneficiorum à Deo ſibi collatorum; hinc vero flagraret deſiderio agendi DEO gratias; tum inquam quæſivit, *Quid, &c.* & reſpondit, *Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini invocabo.* Ubi verbum *accipiam*, ſignificat, ut ante inſinuavi, libentem animum laborandi, patiendi; & promptum atque paratum, ad tollerandum omnia mala, quæ DEUS immiſerit. Nihil enim Deo gratius & jucundius, pro tantis ejus beneficiis offerre poſſumus, quam ſi adverſa, pro Deo & mercede §. 4. *Requiritur in nobis promptus & alacer animus ad bibendum calicem Paſſionis.*

Digitized by Google

æternæ gloriæ, patienter & libenter toleremus adversa. Origenes. Calicem salutaris accipiam. *Nihil enim dignum reddere possumus Deo, pro omnibus bonis quæ fecit nobis, nisi ut calicem salutarem prompte accipiamus, & nomen Domini invocemus, ut possimus magnanimiter bibere eum, in quo bibendo vota nostra reddimus Deo in conspectu omnis populi.* Verbum *invocare* non tantum idem est, quod orare, obtestari, deprecari Dominum, sed significat etiam eundem laudare, benedicere, magnificare; proinde David hoc in citato versu voluit dicere; *Bibam calicem*, id est, patiar pro Deo, sustinebo, laborabo, & simul sanctissimum ejus nomen, laudabo, benedicam, magnificabo. Discite Auditores à Davide quomodo nobis laborandum & patiendum sit.

§. 3. *Qui libenter tolerat, amaritudinem calicis vertit in dulcedinem.*

Latet alius pulcherrimus sensus in his verbis Davidis, *Calicem salutaris accipiam*, q. d. ex mente Origenis, licet calix passionis & persecutionum mihi propinatus, sit valde amarus, nihilo minus bibam, & faciam mihi salutarem, faciam ut tristitia & ærumnæ meæ in lætitiam & gaudium convertantur. O Sancte David, qua ratione id efficies? *Accipiam*, id est, lubens & gaudens ultro accipiam, Clarius. Dum tribulationes & labores immissos quis detrectat, calix sunt, sed amarus & fæculentus, murmurationes, querelas & tristitiam inducens: si quis vero cum gaudio accipiat, calix sunt, sed salutis, sed gaudii, & lætitiæ. Vel sic. *Calicem salutaris accipiam*, id est, labores, & difficultates, in quas Deus me conjicit, non ego labores & ærumnas reputo, sed potionem à Domino datam tanquam à sapientissimo medico ad animi salutem; ideo non labores, non miserias appello, sed calicem salutarem. Si autem est calix salutis, non est rejiciendus, non repellendus, neque solum degustandus, sed usque ad fæcem ebibendus, ut qui potionem medicam sanitatis causa accipit, non partem ebibit, & partem effundit, sed totum haurit. Orig. *Si ergo calix salutaris est, necesse est, ut salvemus calicem illum, totum illum bibentes, quia calix salutaris est, nihil ex illo effundamus.* Sed patiamur, & laboremus, quamdiu Deo Remuneratori placitum fuerit.

Psalm. 118. vers. 76. ait David: *Fiat misericordia tua.* Hoc est,
§. 4. *Quid in la-* ostende te erga me benignum & misericordem; sed quem effectũ miseri-

misericordiæ postulat? nunquid ut è manibus eruatur Saulis? nunquid ut liberetur à rugiente leone, &c. Minime sane. *Vt consoletur me*, ait, id est, ut in tribulationibus addat mihi animos, ut me faciat fortem & magnanimum ad quævis ardua toleranda. Vir sapientissimus & sanctissimus Rex non petivit liberari à tentationibus, sed patientiam, & consolationem. Eleganter S. Ambros. in hunc psal. *Egregiam & singularem Propheta spectate virtutem, alius enim humiliatus ærumnis posceret ut circa eum tentamenta desinerent, & sedare Dominus adversa dignaretur, ne tribulationum procella in eum sæviret. Iste autem tanquam athleta fortis, qui exerceri & angi animã suam tribulationibus nosset, non tristia dimovere, non impugnantia declinare desiderat, sed magis in tempore laboris sui, adversus tentationum procellas dari sibi verbum consolationis expostit, quæ ingruunt, mente tolerare.*

Laboribus in tribulationibus à Deo debeamus petere.

Psalm. 38. vers. 10. de se ait, *Obmutui, & non aperui os meum.* Etiam cum Semei illi maledixit? Obmutuit. Etiam cum coactus fuit relinquere Jerosolymam? Obmutuit inter tot pericula? obmutuit. Ærumnis attritus ne verbulum protulit contra Deum. Rationem subdit, *Quia tu fecisti*, scilicet tu ô Deus, mihi infers hæc mala, quæ patior, tu inquam, qui me ardenter amas, qui conspicis omnia, qui, quid nobis sit utile, & conveniens, optime nosti, hæc inquam, ratio me, cogit, ut quidquid immiseris, nullo delectu amplectar, suspiciam, curam habeam. Ob eandem rationem Psal. 37. vers. 17. pene obrutus miseriis, & undique cinctus ab inimicis ausus fuit dicere, *quoniam ego in flagella paratus sum*, id est, me ipsum ad omnia mala sufferenda objicio, nullum malum respuo, nullum declino, nullum subterfugio. Quoniam sciebat se flagellari à manu Domini, & amantissimi Patris. S. Ambr. *Ad omnia itaque superiora pulcrum remedium, quod in flagella paratus est, & offert se Domino, ut quæ placuerint Deo flagella, sustineat & recipiat imperterritus.*

§. 5. *Deus immitit labores & tribulationes.*

Sibi caros & dilectos Deus vult exerceri laboribus & adversis. Postquam Christus D. Matth. 14. magnam multitudinem populi cibavit quinque panibus & duobus piscibus, relicta in littere multitudine, subdit Evang. vers. 22. *statim compulit discipulos ascendere*

§. 6. *Et præsertim electis & dilectis.*

ascendere in naviculam, &c. Et mox fœdâ exortâ tempestate, huc illucque navis fuit jactata, cum magna illorum consternatione, scilicet turbam imperfectam reliquit in tuto; discipulos verò quos elegerat in Apostolos, quos amabat, in ingens conjecit periculum, & mortis discrimen. Hoc enim DEO familiare est, ut eos, qui sibi cariores sunt, pluribus difficultatibus exerceat. Orig. hom. 14. in Matth. *Observa, quoniam fidelis DEVS non sinit tentari turbas supra id quod possunt. Discipulos compulit in navim, ut valentiores quidem possent ad medium usque maris pervenire, & sustinere fluctuum jactationem.*

§. 7. *Labores & tribulationes sternunt nobis viam ad DEVM.*

Exodi 3. apparuit Dominus Moysi in flamma, & in rubo; accurrit illico Moyses, ut alloquio Domini frueretur, ait DEUS, v. 5. *Solve calceamenta de pedibus tuis*; q. d. si vis accedere, si placet mihi loqui, si meâ frui desideras præsentiâ, si faciem meam videre, nudis pedibus accede. Sed! O Domine! locus est plenus spinis & sentibus; Moyses in aula Pharaonis delicatè enutritus, cur calceos debeat abjicere? nunquid lædet se? nunquid vulnerabitur? an non sanguinem fundet? scilicet (quod advertit S. Ambr. l. de fuga sæculi cap. 5.) DEUS cominus videri non potest, nisi per tribulos & carduos ad eum videndum pergamus. Ille suavi fruetur præsentiâ, qui multo cruore madens accedit. S. Ambr. *Transi sicut Moyses ut videas DEVM Abraham, Isaac & Iacob, & videas visum magnum; sed si videre vis, solve calceamenta pedum tuorum.*

§. 8. *Digressio ad Christum Crucifixum*

Potest fieri pulchra digressio ad Christum Crucifixum, v. g. Ecce rubum! ecce SS. Crucem! ecce salvatorem tuum illi affixum! nunquid placet illi loqui? nunquid placet abscondi in illius SS. vulneribus? nunquid desideras ruere in amabiles amplexus? laudo tua desideria. Sed fili, abjice calceos mundanorum affectuum; nudis pedibus accede! sed via est horrida spinis, &c. hanc & non aliam debent tenere electi, & dilecti filii, hanc viam tenuit Moyses, &c.

§. 9. *Permittit labores ut eò confiden-*

Et hoc intendit DEUS, dum tribulari nos permittit, ut eò ardentius ad illum confugiamus, & ipse eò mirabilius nobis succurrat. In exorta tempestate, cujus ante feci mentionem

Digitized by Google

ex c. 8. S. Matth. probabile est jactatos discipulos, prius omni labore annisos fuisse, eluctari ex fluctibus, sed fracto gubernaculo excitârunt dormientem Dominum altis vocibus, *Domine, salva nos, perimus*, v. 24. S. Petrus Chrysol. ser. 20. *Mare, quod pedibus Christi, tumentia terga submisit, modo quid est, quod usque ad periculum sævit, furit, contendit anchoris?* & respondet: *Fratres! gubernatoris peritiam non probat tempestas serena, sed procellosa tempestas. Blandiente aurâ, navim regit ultimus nauta; in confusione ventorum, prima quæritur ars Magistri. Hinc est, quod discipuli, postquam viderunt sibi industriam nauticorum deperiisse, ad ipsum gubernatorem, rerum rectorem trepidi confugerunt.* rium ad illum confugiamus.

Joannis 11. periculose decumbebat Lazarus; sorores id illicò nuntiant Christo D. ut veniat, ut arceat morbum; sed distulit venire, donec Lazarus quatriduanus vermibus scatens jaceret in tumulo. Tam diu distulit auxilium, donec omnia humana subsidia defecissent, nullaque spes restaret; tum venit, &c. S. Chrysologus ser. 63. *Videtis, quemadmodum dat locum morti, sepulchro licentiam, atque agit, ut humana spes tota pereat, & tota vis humana desperationis accedat.* Tum adest, &c. §. 10. Cum omnia videntur desperata, DEUS præsto est.

Pulchrè S. Ambr. super v. 2. Psal. 45. *DEUS noster, refugium & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Bene nimis, ad utrumque respondet, & ut in tribulationibus, quæ nos nimis invenerunt, & adjutor nimis possit intelligi: quantò enim majores tribulationes fuerint, tantò majora nobis, & vehementiora adjumenta sunt necessaria.* Ps. 33. v. 19. *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit.* S. Bern. serm. 16. in Ps 90. *Unde scimus quod nobiscum sit in tribulatione? Ex eo scilicet, quod sumus in tribulatione. Quis sustinet? quis sustineret? sine eo? omne gaudium existimemus fratres, cum in varias tribulationes inciderimus: Bonus DEUS non tantum nobis aderit; sed suo tempore ditissimam dabit mercedem.* §. 11. Præsertim in magnis adversitatibus.


Quod Isaias cap. 3. v. 10, videtur voluisse prædicere, & nos consolari, cum ait: *Dicite justo, quoniam bene; quoniam fructum* §. 12. Remuneratio est certa.

adinventionum suarum comedet: Si enim hæc non de Christo D. sed de quovis justo in universum cum D. Chrysostomo velimus intelligere; aut de pie viventibus in Christo, ejusque sectatoribus, & passionum æmulis, quibus in hac vita data est stipulatio tribulationum, & laborum pulcherrimum theorema Christianæ Philosophiæ proponitur. Postquam Isaias multis egisset, de Pharisæorum persecutionibus contra Christum, de iniquo consilio, illum crucifigendi, ait: *Nihilominus dicite huic justo, quoniam benè: ut hac verba sint ipsius DEI in spem erigentis justum, cum ei scelesti hostes omnia adversa minantur.* Dixit hæc illi Dominus, ut spei anchora firmaret inter tantas procellas, animum extolleret, impavidumq; redderet in conflictu, & laboribus, nec mentem decidere sineret, impetitus convitiis, lacessitus opprobriis, q.d. quod filius meus Unigenitus sit comprehendendus tanquam latro; quod flagellabitur; quod conspuetur, quod crucifigetur, &c. nihil illi oberit; non erit illi malè, sed benè. Ita intrabit in gloriam suam, &c. hæc est via ad cœlum. Pari omnino ratione, illis, qui in vinea SS. Crucis laborant, & mala perpetiuntur, iis, qui in virtutis stadio currunt, bonis operibus insudantes; carnem macerantes & excruciantes; coercendis cupiditatibus, inhibendis animi motibus; &c. illis, inquam, hoc effatum Isaiæ, & promissio mercedis, & gloriæ; reponendum est in intimis præcordiis, & accuratè exarandum in tabulis cordis. *Dicite justo quoniam benè, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Etenim laborum gloriosus est fructus. Qualis autem sit ille fructus expresse non aperit, quia nulla lingua hîc loqui potest, qualis merces sit justis servata. Unde Vatablus legit. *Dicite justo, quoniam bonum.* hoc est. Bonum pro justis in cœlo repositum, est thesaurus immensus Bonum in quo sunt omnia bona; & sine quo nihil est bonum: *quia nec oculus vidit, nec auris audivit, &c.* Itaque laborantibus in hac vita, bona est ærumna, proficuus labor, utilis adversitas, bonorum fons, persecutio. Ita optimum est, laborare & pati pro CHRISTO & æternæ mercedis bravio. Fit mentio cibi, ut jucunditas & deliciæ, æternæ patriæ, aperiantur. Imo

etiam

Digitized by Google

etiam in hac vita, sub amaro cortice Virtutis & pœnitentiæ, dulcissimus nucleus, & medulla virtutis pretiosissima latitat, quam veluti suavissimum cibum degustant; qui exantlatis laboribus, ardua virtutum fastigia scandunt, quo refecti & confortati, inter labores & passiones, suavissimum reperiunt refrigerium. *Dicite justo, quoniam bene*, (potest fieri affectuosus epilogus.)



CONCIO XI.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Semen est Verbum DEI,

Lucæ 8. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DUas habet partes; in prima proponuntur varii effectus Verbi DEI, cum certis conditionibus, quibus debet audiri. In parte secunda explicatur conditio præcipua, scilicet: Puritas animæ, sive immaculata innocentia, & simplicitas cordis boni, & optimi.

§. 1. *Peccatoris conversio, frequenter pendet ab auditione Verbi DEI.*

§. 2. *Vox DEI impiis incutit terrorem; qui est primus gradus conversionis.*

§. 3. *Vt pisces capiuntur hamo; sic peccatores Verbo DEI.*

§ 4. *Vt verbum DEI proferat fructus, debet custodiri in corde bono. Elegans simile S. Augustini.*

§. 5. *Similitudo S. Ioannis Chrysostomi.*

§. 6. *Alia desumpta ab agris & semine.*

§. 7. *Quomodo Verbum DEI sit fons; quomodo torrens.*

§. 8. *Verba DEI debent inscribi lapidi.*

§. 9. *Comparatio verbi DEI cum manna.*

§. 10. *Oportet Verbum DEI audire, & facere.*

§. 11. *Comparatio, sive analogia, inter verbum DEI, & Cor humanum.*

Digitized by Google

§. 12. *Semen Verbi Dei, ut ferat fructum, debet cadere in cor purum.*

§. 13. *Aurea clavis ad aperiendum fontem sapientia, est puritas.*

§. 14. *Sponsus, ut audiretur à sponsa, cur illam voluerit habere oculos columba.*

§. 15. *Mens exceptura Verbum Dei, debet prius evacuari ab affectibus terrenis.*

§. 16. *Exponitur causa.*

§. 17. *Verbum Dei conservat in nobis puritatem, & castitatem.*

§. 1. *Peccatoris conversio frequenter pendet ab auditione Verbi Dei.*

UT subinde magni peccatores convertantur ad pœnitentiam, ab hoc pendet, ut veniant ad conciones, ad audiẽdum Verbum Dei. Ita S. Augușt. exponit v. 17. Pſ. 76. *Viderunt te aqua Deus, & timuerunt, & turbata sunt abyssi,* hoc est, conturbati sunt peccatores; & qui in limo peccatorum hærebant, eruti ad meliores vitæ spem translati sunt; si rationem quæras, subdit: *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.* Hoc est, Verbi Dei præcones hos animi motus excitaverunt. S. Aug. *Qua sunt abyssi? & altitudines aquarum? quis non turbatur cum conscientia pulsatur? Quaris altitudinem maris? quid profundius humana conscientia. Ista profunditas turbata est, quando in brachio suo redemit populum suum Deus. Quomodo turbata sunt abyssi? quomodo omnes conscientias suas confitendo foderunt? Vocem dederunt nubes. Inde iste sonitus aquarum, inde abyssorum perturbatio, quia voces dederunt nubes* (quia nubes emiserunt fulgura, tonitrua, & fulmina.) *Qua nubes? pradicatores Verbi Dei. Qua nubes? de quibus minatur cuidam vinea Deus, qua pro uva fecit spinas, & dixit; mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem.* Hæc scilicet est gravissima peccatorum pœna; si sua culpa amittant affectum ad audiendum Verbum Dei, tum enim vix ulla superest spes conversionis; sin verò veniant ad cõciones; si subinde contingat illos terreri, aliquo vehementi fulmine, id est, ferventi concione, de inferno &c. turbantur, timent, (est locus pro pulchra superiorum repetitione).

§. 3. *Vox Dei impiis incutit terrorem qui est primus gradus*

Contingit frequẽter, ut impius conversus ad pœnitentiã, dicere possit, quod Adamus dixit in paradiso: cum enim lapsus in peccatũ à facie Dei sese absconderet, Deus verò quęreret, *Adam ubi es* respondit, jam dolens de suo lapsu, Gen. 3. v. 15. *Vocem tuam audivi, & timui*: en causam timoris & doloris, vocem Domini? O felicissima peccatrix! O S. Maria Magdalena? quid times? quis turbavit abyssum

Digitized by Google

abyssum conscientię tuæ?&c.ni fallor dicere potest cum Adamo: Audivi fulminantē vocem salvatoris de securi posita ad radicem arboris,audivi terribilem ejus vocem de inferni ignibus;& doleo me peccasse!surgam! ibo & quæram Medicum, qui sanet profunda mea vulnera.Infert ex his S. Ambr l.de par.cap. 14. *Ille qui vocē Dei audit,facile ad pænitentiam adducetur,etiāsi in peccati cæno volvatur. Adhuc in his remedium est,qui audiunt Verbum Dei.*

Joannis 8.v.37. ait Christus D.ad Judæos, *Scio,quia filii Abrahæ estis,sed quæritis me interficere,* q. d. agnosco quidem,vos filios Abrahæ, sed secundum originem carnis; cordis fidem, qualem habuit Pater vester Abraham, in vobis non invenio. *Abraham desideravit videre;quod vos videtis,*Messiam vestrum Ipse si videret me, crederet ,vos non creditis; imò quæritis me interficere; & in hoc odio permanebitis,donec id opere compleatis.Sed! mi Jesu! an nulla est spes ut convertantur? ut resipiscant? nulla; hanc enim addit causam,*quia sermo meus non capit in vobis.* Quæ verba S. Augustin. tr. 42. in Joan. elucidat, sumpta metaphora à piscatoribus, qui hamo capiunt pisces. Neque enim piscator capere valet, nisi prius hamum esca inclusū deglutiant; eadem ratione non potest Verbi Dei Concionator rationales pisces ex peccatorum vorticibus extrahere, nisi hamum Verbi Dei ore excipiant,deglutiant, & in intimis visceribus abdant. S. Augustinus: *Sermo meus non capit in vobis; si sermo meus caperetur, caperemini; intra retia fidei,tanquam pisces includeremini, quid est ergo non capit in vobis? non capit cor vestrum,quia non recipitur à corde vestro. Sic enim est sermo Dei,& sic debet esse fidelibus tanquam pisci hamus; dum capit, capitur.*

§. 3. Ut pisces capiuntur homo sic peccatores Verbo Dei.

Hęc metaphora duo utilissima documenta nobis insinuat.1.Necessarium omnino esse sacris interesse concionibus illis,qui volūt converti ad Dominum,& mores suos pię cōponere ad virtutē.2. Hoc tamen non sufficere,quocunq; modo audire Verbū Dei,sed necesse est pręterea,ut divinū hoc semen cadat in terram bonā,id est,ut mandetur memoriæ, & in corde conservetur. S. Ambr. *Propono vobis pabulū spirituale,in interioribus nostris ruminandum,& in memoriæ thesauro recōdendū.* S. Aug de piis cogitationibus,quę dū audimus verbū Dei,exoriri solent, loquitur veluti de pullis aviū, occasione

§. 4. Ut Verbum Dei proferat fructus, debet custodiri in corde bono

Elegans simile S. Aug

Digitized by Google

occasione versus 4. Psalm 83. *Et enim passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi ponat pullos suos.* S. August. *quando donante Deo de lectione sanctarum scripturarum,* (de verbo Dei) *sanctas concipitis cogitationes, in cordibus vestris Spiritualem nidum componite. & veluti, castissimæ turtures, divina verba Sancti Spiritus in nido cordis vestri fovere contendite.* Neque permittatis, ut in vobis semen Verbi Dei peccatorum frigore congelescat, propter illud scriptum est; *abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum*; estote magis, sicut Apostolus dicit, *Spiritu ferventes*; Sicut enim columbæ vel turtures postquam genuerint ova, si illa permiserint refrigerari, perdunt fructum illorum: ita & vos, si per oblivionem, conceptum Verbum Dei, refrigerari permittatis, desiderabilem fructum habere non potestis. Præstate in vobis nidum sermonibus sanctis secundum quod scriptum est, *Turtur invenit sibi nidum, ubi reponat pullos suos.* Sicut enim columbæ ovis inhærendo, & calefaciendo, animant; eâdem prorsus ratione oportet Verbum Dei confovere, mente volvere, & pertractare, ut vigere possit, & ad optatum vitæ statum perduci.

§. 5. *Similitudo S. Ioannis Chrys.*

Sanctius Chrysostomus rem declarat hac similitudine. Ut enim hi, qui haustam ex flumine, vel fonte aquam domum portant, id in primis curant, ne urna decidat, ne aqua diffluat, & ita operam perdant. Etenim aquantes non tantum apud fontes habent vasa plena, domum autem abeuntes evacuant, sed illic ipsa maxima cum cautela reponunt, ne subvertantur, & labor fiat inanis. Hos autem nos imitemur, & domum profecti, dicta cum studio servemus.

§. 6. *Alia desumpta ab agris & semine.*

Iterum S. Chrysostomus ut hanc veritatem elucidet, duos Prophetarum conjungit versus. Tertium cap. 4. Jeremiæ. *Renovate vobis novalia*, & v. 13. c. 2. Joëlis, *scindite corda vestra.* Latet similitudo desumpta ab agrorum cultoribus, ut enim terræ mandaturus agricola semina, sæpius aratro eam proscindit, & postquam jactum fuerit semen, iterum inverso solo, terra occulit, ne avibus pateat: non aliter semen Verbi Dei oportet alto corde premere. *Propterea* (S. Chrysostom.) *& profundum sulcum ducere, necessarium erit. Illud enim Propheta admonuit, ita dicens, renovate vobis novalia, & nolite seminare in spinis: quemadmodum enim aratrum*

Digitized by Google

trum infernè terram proruit, tutam seminibus custodiam parans, ne jacta in superficiem remaneant, sed in ipso terra sinu custodiantur; & in tuto radices figant; sic & nos facere necessarium est, & tanquam aratro (considerationis, meditationis &c.) *cordis profundum scindere; hoc enim & alius Propheta admonet dicens; scindite corda vestra.*

§. 7. Quomodo Verbum Dei sit fons: quomodo torrens.

Super vers. 15. Psalm. 73. *Tu dirupisti fontes, & torrentes; tu siccasti fluvios Ethan,* ait S. Augustin. *In aliis fit Verbum Dei fons aquæ salientis in vitam æternam; alii autem audientes Verbum, & non sic habentes, ut* (illius sint memores) *& bene vivant, torrentes sunt,* id est, excipiunt vel hauriunt dulces aquas, sine fructu. Pari ferè ratione exponit vers. 7. Psalm. 10. *pluet Dominus super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum.* Idem verbum Dei, & pluviam vocat, & ignem. Nimirum illis, qui audita retinent, & exequuntur, imber est salutaris, quo irrigata anima omnia virtutum germina profert. Illi verò, qui dictorum obliviscuntur, germinant scelerum spinas, ut olim ardeant in inferno. *Non enim Propheta tantum.* (S. Augustin.) *sed omnes, Verbo Dei animas irrigantes, imbres dici possunt; qui cum male intelliguntur* (cum verbo Dei abutuntur) *pluit Dominus super peccatores laqueos, cum autem benè intelliguntur, fœcundant pectora.* Quid prodest uberes fructus excipere, si statim putrescant? eodem modo nihil prodest verba Dei auribus excipere, nec tamen ad componendos mores perducere.

§ 8. Verba Dei deberit inscribi Lapidi.

Subtiliter idem S. Augustinus tr. 33. in Joannem expendit factum Christi D. Joannis 8. v. 7. cum enim Judæi, coram illo acriter accusarent mulierem adulteram; & Judæis nollet dare occasionem murmurandi, si dimitteret, neque illam vellet condemnare; digito quædam scripsit in terra, non in pulveribus tantum, ut aliqui putant, sed in solido lapide; eadem verba, quæ ore proferebat, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Nimirum Christus D. voluit verba sua non inani tantum sonitu in aures abire, sed Judæorum cordibus, quæ erant saxea, altum imprimere. S. Aug. *Quid vobis significat, cum digito scribit in terra? Digito lex Dei scripta fuit in tabulis lapideis, tales tabulæ debent esse corda nostra, ut verbum Dei ita in illis scribatur, ut imprimatur, ut maneat.*

Digitized by Google

neat, ut fructum ferat. Dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat.

§. 9 *Comparatio Verbi DEI cum manna.* Ser. 91. de temp. S. August. perpendit capitis 16. verf. 20. Exodi, & componit Verbum DEI cum manna. Manna enim interpretatur, *quid est hoc?* vide, si non ipsa nominis virtus ad discutiendum te provocat, ut cum audieris recitari legem DEI, in Ecclesia, semper interroges, ut dicas Doctoribus, *quid est hoc?* hoc enim est, quod indicat manna, ut auditum verbum DEI, bene perpendamus & examinemus. Præterea Moyses dixit ad eos, *Nullus relinquat ex eo in mane.* Qui non audierunt eum, sed dimiserunt usque mane, scatere cœpit vermibus. Manna quod dignè sumentibus, in omnem saporem, & gustum vertebatur, indignè asservantibus in vermes computruit; Verbum DEI refert, quod si dignè audiatur, & in opus prorumpat, mirâ replet homines dulcedine. Si verò indignè tractetur, neque executioni, quæ jubet, mandentur, instar vermis corrodit conscientiam. S. Aug. *Sed dicet aliquis, si manna verbum DEI esse dicis, quomodo vermes facit? Verum est fratres, non aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex verbo DEI, sic enim ait, nisi venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Post susceptum autem verbum DEI, qui peccat, efficitur ei ipsum verbum vermis, qui ejus semper conscientiam perfodiat, & arcana pectoris rodat.*

§. 10. *Oportet Verbum DEI audire, & facere.* Proinde quemvis dicere oportet cum Regio Psalte Ps. 118. ver. 66. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Cum enim* (S. Aug.) *alia sint, quæ dicuntur, ut tantummodo sciamus; hic verò, ut etiam faciamus; quando DEUS ea docet, sic docet, ut facienda faciamus; imprimendo suavitatem. Nec enim frustra ei dicitur, doce me, ut faciam voluntatem tuam: sic inquit, doce me, ut faciam, non tantummodo, ut sciam. Ipsa quippe recte facta fructus est noster, quem reddimus Agricolæ nostro. hæc duo conjungenda sunt: Dominus dabit suavitatem, & terra dabit fructum suum. Psaltes non dixit, doce me voluntatem tuam; hoc enim ad speculationem referendum videretur; sed doce me facere, quod praxin respiciat. Scire enim bonum, nisi executioni detur, potius damnat. Itaq; Dominus dat benignitatem* (Ps. 84. v. 13.) *hoc est, doce me, quæ ad virtutem instruunt; ego autem cordi, ut subacta terra,*

ver-

Digitized by Google

verbum mandabo, multo cum fœnore fructus virtutis. Psalm. 36. ait: Os justi meditabitur sapientiam; hoc est, legem DEI libenter excipiet auribus; quid inde? nunquid satis est audire, satis est legere? minimè sanè: & lingua ejus loquetur judicium, hoc est, audita sæpius voce & memoriâ volvet. Nec hoc satis, nisi efficiat, quod adjungit, & non supplantabuntur gressus ejus, hoc est, audita ad componendos mores pertrahat.

Cum S. Joan. Chrysost. hom. 48. in Matth. miro eloquentiæ penicillo depinxisset imaginem virtutis, dum ad præcipuum hominis membrum, ad cor devenit, dixit: *Cor autem magna scripturarum peritia, veri dogmatis conservatio.* Appellat itaque Verbum DEI, *cor virtutis*, sive hominis Christiani; ob varias analogias. 1. Galenus, In formatione corporis humani primo loco formatur cor, & alia omnia ex corde motum habent. In anima primum mobile, ex quo omnes virtutum actus demanant, & ad cujus motum moventur, est verbum DEI. 2. neque ullum animal interire potest, quin cor ab agendi munere esset: ita rarò homo in scelus se præcipitem dabit, nisi verbi DEI repagulo fracto. 3. In corde fundantur omnes virtutes morales, quod patet ex hoc, quod complexionem cordis variatam, sequitur variatio virtutum moralium. In re nostrâ cunctarum virtutum officia ex uno Verbo DEI pendent. 4. Cor est officina spirituum vitalium; pari ratione Verbum DEI. 5. Corde vulneratis promittenda curatio non est, morientur enim: quodcunque aliud membrum vulneretur, medelam excipere potest: si verò cor vel minimum vulnus excipiat, nullâ arte curari potest. Cor vulneratum habet ille peccator, qui contemnit Verbum DEI; proinde non promittas illis curationem; morientur enim, & æternum peribunt. 6. Aristoteles l. 3. de part. an. c. 7. loquens de corde, ait, *locum enim adesse aliquem, quasi lares focumque oportet, quo naturæ fomites, & primordia ignis nativi contineantur, & conserventur; eundemque tutum esse, & veluti arcum corporis totius necesse est.* Ut enim focus igni conservando aptus est; non aliter verbum DEI innatos virtutis igniculos conservat & auget; oportet autẽ id in tuto esse loco, ne facile ictib⁹ aut contrariis qualitatib. pateat, nec facile deserendum studiũ audiendi conciones, & verb. DEI.

§. II. *Comparatio, sive analogia inter verbum DEI, & cor humanum.*

§. 12. *Semen Verbi DEI, ut ferat fructû, debet cadere in cor purum.*

Cor bonum & optimum, quo Christus D. Salvator noster in hodierno Evang. Luc. 8. vult audiri verbum DEI, est cor purum & liberum à gravioribus vitiis. De triumphali & connubiali ferculo, sive curru, sive throno Salomonis, dicitur Cant. cap. 3. v. 10. *Quod columnas ejus fecerit argenteas, reclinatorium aureum.* Quæ sunt columnæ istæ argenteæ, nisi eloquia divina, & Verbum DEI, quo fulcitur domus sapientiæ, & sancta Christi D. Ecclesia; cujus totus honor, veritas & excellentia, auctoritate scripturę sive verbi divini nititur. Sed in medio columnarum Salomon aureum reclinatorium constituit; quia animus purus, tranquillus & charitate ornatus, requies est sapientiæ. Ita sancti Patres. Theodoretus in Comment. in Cant. *Reclinatorium ejus aureum, id est, mentis ipsius* (sive sponsæ) *tranquilitatem, præcipuam sibi, ubi quiesceret, sedem constituit.* In pectus turbulentum, vitiorum & passionum agitatum pelagus, ubi pravi & monstrosi habitus, velut tyranni sunt in continuo conflictu rixantes, & digladiantes, non ingreditur DEI Verbum; sed domum quærit tranquillam, pacatam, omni perturbatione carentem, ubi placidè recumbat; sine perturbationum murmure, sine strepitu passionum. Eleganter S. Basilius prooemio in Isaiam: *Quemadmodum Prophetarum, puræ & pellucidæ animæ, veluti specula factæ, divinæ operationis; imaginem integram & inconfusam, nullaque ex parte turbatam affectibus repræsentabant. Nam omnibus quidem adest S. Spiritus; verum in iis, qui puri sunt affectibus, peculiarem vim ostendit: cæterum qui gubernatricem animi partem, confusam habent peccati sordibus; his non inest.* Ex mente S. Basilii, auditio verbi divini, *aquam summe purgatam requirit.*

§. 13. *Aurea clavis, ad aperiendum fontem sapientiæ, est puritas.*

Quod sponsus sponsæ eleganter insinuavit, Cant. 5. v. 2. nocte pulsans ad ostium sponsæ, ait: *aperi mihi quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*: Et opto ut hæ guttulæ, tibi convertantur in gemmas, ad summam elegantiam & ornatum. Ros scilicet ille est symbolum fontis sapientiæ, desideravitque sponsus, ut ille ros, ut suum eloquium, ut scientiæ divinæ latices ad mentem sponsæ influerent.

Cla-

Digitized by Google

Clarius, voluit ſponſus ſuam ſponſam cum guſtu audire verbum, & colloquia Domini; ſed, quid opus fuit addere inſignia nomina Amicæ, Columbæ, Immaculatæ? ideo, quia ad cognitionem cœleſtis eruditionis, & divinorum myſteriorum, nulla eſt aptior, quam immaculata puritas. Cœleſtis ſponſus Chriſtus Salvator noſter, eſt ille fons ſapientiæ & Paradiſi, è cujus capite, jugi ſcatebrâ manant fluenta verbi divini, & eloquia Domini, ſed ut ejusmodi limpidiſſima flumina, in ſponſæ animum exundent, reddantque fructus cœleſtis diſciplinæ; ut mens noſtra penetrare valeat tantorum myſteriorum adyta, neceſſe eſt, ut habeant aureas claves, quæ ſunt animi candor, quies & puritas, quibus cœleſtis myſteriorum aperitur porta, & ſacræ litteraturæ ſigilla reſerantur. D. Nyſſenus hom. 11. in Cant. ad audiendum verbum DEI cum fructu - - *oportet habere in natura columbæ perfectionem, hoc autem eſt, eſſe plenum omni innocentiâ & puritate. Hæc nomina* (Columbæ, Immaculatæ) *cum veluti quasdam claves acceperis, O anima, per ea aperi ingreſſum veritatis.*

Ob eandem cauſam ſponſa de oculis ſponſi ait: *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima.* Super quæ verba ait S. Ambroſius t. 5. in cap. 5. *Oculi Chriſti ſunt viri ſpiritualibus ornati ſenſibus, qui ad videnda myſteria ſunt acuti, & parati, ad penetranda ſcripturæ ſecreta divinæ, rationabili lacte fulgentes, in quibus non ſit aliqua doli maculoſa confuſio, ſed ſimplicis affectus pura & immaculata ſinceritas.* Quid pulchrius? Non tam ſolertis ingenii acumen, aut humana prudentia juvat ad introſpicienda divina myſteria, quam columbina ſimplicitas, & purificatus animus à ſordibus vitiorum; non Mundi ſapientibus aut prudentibus, qualicunque ſapientia tumidis, pectoris ſui ſecreta revelat Chriſtus; ſed humilibus & parvulis, qui ſicut columbæ candidæ reſident juxta divinorum eloquiorum fluenta pleniſſima, acutos & perſpicaces habent oculos, aquarum profunda penitus intuentes, pretioſasq; ſenſuum & ſententiarum margaritas de profundo extrahentes.

v. 14. Sponſus ut audiretur à ſponſa, cur voluerit eam habere oculos columbæ.

Digitized by Google

§. 15. *Mens excepturа Verbum Dei, debet prius evacuari à rebus terrenis.*

Cum Deus Genesis cap. 15. Abrahamo manifestare vellet mysterium venturi Messiæ; ait textus vers. 12. *Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abraham.* LXX. legunt *ecstasis*: ut ita omnibus abstraheretur cogitationibus terrenis, & ut ita purus animus in Deum intenderet, corpus coactum fuit suspendere exercitium sensuum. Mens humana debet prius veluti evacuari à rebus terrenis, ab animi perturbationibus debet esse pura & immaculata, *quando repleri debet Deo*. S. Ambros. l. 2. de Abraham c. 9. *Ante evacuavit se cogitationibus, & disceptationibus sæculi hujus; ut advenienti gratiæ spirituali puram se & exinanitam præberet.* Hæc fuit dispositio sapientis Abrahami, ut arcanorum Dei sedulus esse tauditor, integer vitæ, scelerisque purus, & ab inordinatis affectibus liber. Ita & nos debemus esse dispositi, dum cum fructu volumus audire Verbum Dei, & eloquia Domini.

§ 16. *Exponitur causa.*

Ratio est clara, fructus Verbi divini est, ut non proni aspiciamus terram, more brutorum, neque in ventrem vergentes imitemur sues, sed ut animum gestemus erectum, excelsum & sublime, ut contemplemur alta, ut ex illorum contemplatione aspernemur voluptates, ut contemnamus apparentia bona, cum tempore peritura, ut ita toti rapiamur sursum, verum mens gravata pondere scelerum, mens affixa rebus terrenis, quomodo poterit rapi sursum? Ut rapiatur, levis debet esse & pura, libera à vitiis, & perturbationibus, avulsaque à peccatis. De descensu Verbi in uterum Virginis intelligenda sunt verba sponsæ de sponso Cant. c. 6. v. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis & lilia colligat.* In quæ verba Psellus apud Theodoretum fatur: *Arcana ratione descendit sicut imber super lanam, sicut ros in vellus, in uterum pura atque immaculata Virginis, ut in aromatum divinorum phialam mundam. Unde in animas hominum puras influxit.* Adverte, phialas aromatum, hoc est munda & pretiosa vasa vocari animas puras, *per hortum autem intellige hunc mundum, in quem descendit Christus, ut fideles sanctis pasceret eloquiis. Divina enim eloquia vocantur lilia.* Venit enim in mundum, abbreviatum Dei Verbum, ut divinorum eloquiorum convivio fideles pasceret. Sed ille, qui tanquam pluvia in vellus, & tanquã ros

Digitized by Google

ros descendit super flores, gaudere puritate cordis; ut ejus eloquia sunt lilia ita Auditores oportet imitari puritatem liliorum.

Et hæc est peculiaris efficacia Verbi Divini, ut in animabus, in quas influit, puritatem & castitatem conservet, defendat & augeat. Quis sanctum Joseph in florida juventæ ætate continuit in virtutis studio, ne ab illius curriculo exorbitaret inter tot adversa & discrimina, nisi Domini Verbum, dulceque eloquium, quod in animum se se insinuabat, & mirifica suavitate complebat, ut temperaret acerbitatem passionum, & exasperantes fratrum contumelias. Hujus veritatis testes advoco Davidem Ps. 104. vers. 18. & 16. *Ferrum pertransiit animum ejus, donec veniret verbum ejus: eloquium Domini inflammavit eum.* Ubi Euthymius de mirabilibus effectis hujus eloquii hæc addit. *Eum* (scilicet Josephum) *in afflictionum & calamitatum fornace constantem atque invictum reddidit, ac veluti igni examinatum purgatissimi auri instar, summa cum munditia & puritate conspicuum demonstravit, atq; effecit, ut castitatis Zelo succensus Dominæ appetentis laqueos præterfugerit.* Hinc Joseph ab Ægyptiaca sirene gravissime tentabatur, sed hinc, intus, Dominus ad cor ejus mellita facundia sermocinabatur, suumque erudiens alumnum, adversus insidias fœminæ præmuniebat, cum in pectore mulieris, libidinosi ignis incendium, sufflante dæmone excitabatur, sacratum pueri pectus intus inflammabatur à divino Verbo, & urebatur amore divino. Per dulcia divini sermonis eloquia præservatus est Joseph à lapsu, ne in errorem, & decipulam lascivientis audaciæ incurreret. Eloquium Domini inflammavit eum. Huic nos quoque, si corde mundo suscipiamus, debemus, quod gravissimas tentationes, præsertim carnis, gloriose superemus. Paradisum, postquam ejectus fuit Adam; custodivit Dominus, dum ante illum collocavit (Gen. 3. v. 24.) Cherubim cum flammeo gladio atque versatili. Non aliter Dominus custodit Electorum animas, scilicet gladio Spiritus, quod est Verbum Dei. Hic gladius nos tutatur contra tentationes dæmonum.

§. 17. *Verbum Dei conservat in nobis puritatẽ.*

Digitized by Google



CONCIO XII.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Ecce ascendimus Ierosolymam,

Luc. 18. v. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DE conviviis, ad quæ hoc triduo bacchanalium invitamur à diabolo: & de mensa Eucharistica, ad quam nos invitant Christus D. & Societas Jesu.

§. 1. *Describuntur ex Exodo, convivia mundi & diaboli.*
§. 2. *Tragica Historia.*
§. 3. *Cur Ecclesia per triduum bacchanalium in Evangelio nobis proponat mysteria Passionis.*
§. 4. *Prosecutio.*
§. 5. *Quomodo S. Paulus describat convivas diaboli præsertim quod plerumque sint libidinosi.*
§. 6. *Quomodo illos describat Ieremias.*
§. 7. *Ioseph, elegans figura Christi Domini, hoc triduo.*
§. 8. *Ad alias epulas nos invitat Christus D. Figura fuit Pater filii prodigi.*
§. 9. *Et Rex Assuerus. Pulchra de magnificis conviviis.*
§. 10. *SS. Eucharistia effectus.*
§. 11. *Ardens, & frequens sitis poculi Eucharistici.*

§. 1. Describuntur ex Exodo convivia mundi & diaboli.

COnvivia frugalia & honesta, vel licitos lusus, permissas in hoc triduo recreationes, ego non reprehendo; sed carpo illas mensas, & compotationes, ad quas mundus & diabolus non invitant. Illas descripsit Spiritus Sanctus Exodi cap. 32. vers. 6. *Et sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere,* in hebræo ponitur vocula *letsacheq,* לְצַחֵק quod verbum

bum idem est, quod duellare, pugnare, persequi alios, vexare, idola colere, tripudia & saltationes instituere. Sensus ergo est, populus celebravit convivia, hinc rixæ, odia, saltationes, libidines & alia gravissima scelera; utinam hodie talia dici non possent de conviviis Christianorum, præsertim hoc triduo, in quibus convivæ non tantum inter se duellant & pugnant, non tantum verbis & scyphis, sed absentes gravissimis contumeliis, injuriis, & detractionibus persequuntur & vexant; & per hæc enormia scelera, ipsum Jesum Salvatorem nostrum.

Nota vobis est sine dubio tragica illa historia, quæ refert, viro sancto nocte apparuisse Christum, plenum vulneribus & cruore, qualis ad columnam stetit in palatio Pilati. Vir optimus, ausus fuit quærere *Mi Iesu! quis iste crudelis, qui te ita tractavit? quis iterum flagellavit? quis vulneravit? quinam sunt rei tantæ crudelitatis?* Resp. *ita in vicina popina me tractarunt, qui horrendis blasphemiis, nefandis luxuriis, Divinam offendunt Majestatem.* Mi amantissime Jesu! quam metuo, ne hoc triduo à multis, iterum tam crudeliter tracteris. Instituentur convivia, in quibus postquam aliqui biberint, & comederint, larvati diaboli pergent ad choreas, discurrent per plateas, faces præferet Cupido, choros ducet Venus, cantabit & psallet Asmodæus; cantilenæ erunt blasphemiæ, verba obscœna, horribiliora scelera spectabit luna; tales lusores & bibones, cum videritis, cogitate esse fratres illorum, qui olim Christum flagellarunt; pugnant, duellant contra Christum, vexant & persequuntur illum.

§. 2. *Tragica historia.*

Ne miremini sanctam Matrem Ecclesiam in hodierno Evangelio nobis proponere præcipua mysteria Passionis. Conviva mundi & diaboli, fuit dives epulo, quem describit S. Lucas, de quo S. Petrus Chrysologus Ser. 121. hoc observavit; *purpura, delicatis vestibus, epulis blandis ferrea viscera nutriebat*: hoc est, obdurato corde vixit in gravissimis sceleribus. Nihilominus advertite infinitam Dei bonitatem & misericordiam. *Quem Deus*, (pergit S. Chrysol.) *humanæ salutis avidus inquisitor, emollire cupiens*, objecit ejus oculis Lazarum in miserabili casu constitutum, an forte tam tristi spectaculo ferreum cor epulonis commovere posset

§. 3. *Cur Ecclesia per triduum bacchan. in Evangelio nobis proponat mysteria Passionis*

ad

ad misericordiam; sed frustrà! in impietate suâ mortuus, sepultus est in inferno.

§. 4. *Prosecutio.* Ah! in hodiernum usque diem habet diabolus tales epulones, qui purpurâ, delicatis vestibus, & blandis epulis, in gravissimis sceleribus ferrea nutriunt viscera: sed quid facit bonus JESUS? avidus humanæ salutis exquisitor, ut vivat impius, & non pereat! dubitatis an illi hoc encomium debeatur; aspicite Vulnera, aspicite ebullientem undique cruorem, aspicite spinas & clavos; & audite, quid aliud clament, O impii, quàm quod JESUS vestram exquirat & sitiat salutem. Quò ruitis? sistite scelerati; ecce JESUM flagellatum? an tristis species horrorem necdum incutit? ecce affixum cruci! affixerunt vestra scelera! & miserabile spectaculum necdum vos movet, ut moveamini ad misericordiam; ut cessetis vestris comessationibus, & libidinibus vexare & persequi! eheu! res mihi est cum ferreis visceribus! ita! edite, bibite, ludite, donec repentina & infelicissima mors vos sepeliat in inferno. Tertullianus de talibus comessatoribus dixit: *Hi Paracleto controversiam faciunt.*

§. 5. *Quomodo S. Paulus describat convivas Diaboli, præstertim, quod plerumque sint libidinosi.* Clarius de illis loquitur S. Paulus, & simul paucis sed mysteriosis verbis describit ad Philip. c. 3. v. 18. *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem, & flens dico, inimicos Crucis Christi.* Sancte Apostole, quinam sunt illi inimici, illius qui pro nobis in Cruce mortuus est? respondit v. 19. *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum,* hoc est, qui ad ebrietatem usque comedunt, & bibunt ut ventri satisfaciant, tandem eò deveniunt, ut dicant, & agant, quæ plena sunt ignominiâ & confusione, ut persona DEO dicata, quia comedit, & bibit, loquatur deinde, & agat turpissima! ut DEum procacissimè offendat, qualis confusio! &c. Ad Timoth. Ep. 1. c. 5. v. 6. ait: *quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Per delicias S. Chrysostomus intelligit epulas, in quibus bibitur usque ad ebrietatem; sed quonam modo, talis conviva mortuus est? *Ventri solummodò vivit, sensibus cæteris mortuus: neque enim aspicit, quæ aspicienda sunt, neque audit, quæ necessario audire convenit, neque ea loquitur quæ decet loqui, nihilque in se, præter ventris ingluviem vivere indicat.* Quid congru-

Digitized by Google

gruentius ad hodiernum Evangelium? Ecclesia nostris oculis proponit Jesum traditum, flagellatum, illusum, crucifixum! hæc spectacula isti helluones deberent videre; sed non vidēt, &c. Clamat cæcus: *Jesu fili David miserere mei*; talia illi quoque deberent audire & loqui! sed audiunt & loquuntur contraria; obscœnitates & blasphemias; imò faciunt nefanda. Nemo miretur, S. Paulus ad Ephes. c. 5. vers. 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* S. Hieron. in c. 1. ad Titum. & ep. 83. *Vbicunque saturitas, & ebrietas, ibi libido dominatur - nunquam ego ebrium, castum putabo.* Tertullian. de spect. cap. 10. *Duo ista dæmonia conspirata & conjurata inter se sunt, ebrietatis & libidinis.* Præponitur ebrietas, tanquam alterius mater. Luxuriosa res est vinum. Alii apud Salazar legunt. *Derisorem facit vinum*! addo ego ex hod. Evangelio, illusorem Christi. Alii. Prodigum est vinum; adeo ut quis pro modica voluptate diabolo etiam animam suam, cum Christi Sanguine tradat & vendat. Alii. *Indomitum; incastigatum, effrænatum.* Cogitate quinam in conviviis hujus mundi, si vinum prædominetur, sequantur effectus; quænam scelera!

Jeremias c. 25. vers. 27. ita illos describit. *Bibite, & inebriamini; vomite & cadite.* Elegantissime hic S. Ambros. lib. de Elia c. 13. *Spectaculum triste Christianorum oculis, & miserabilis species! Cernas juvenes* (viros) *terribiles visu hostibus, de convivio portari foras* (utinam non Ecclesiasticos & Sacerdotes) *& inde reportari ad convivia, repleri, ut exhauriant, & exhauriri ut bibant. Vino madidi & somnolenti, nesciunt mente, quid lingua proferant. Rident servuli Dominorum opprobria. Itaq; huc atq; illuc, tanquam navigia sine gubernatore fluctuant.* Quid mirum, si diabolus, caro, & Venus talem naviculam facillime evertant? §. 6. *Quomodo illos describat Ieremias.*

Itaq; repetitur tristis historia Josephi. Cum fratres illum conjecissent in cisternam, Gen. 37. v. 15. ipsi sederunt comedere, bibere; ludere; *& nihil patiebantur super contritione Joseph.* Joseph in cisterna gemit, plorat, suspirat: ipsi rident, psallunt, ludunt. Nullus fuit compassus. Quid Joseph captivus nisi figura Christi venditi & captivi; quis cōpatitur. Divinus Joseph gemit, fundit lachrymas; suspirat ad columnā, inter spinas, sub pondere Crucis, in Cruce! quis cōpatitur super contritione & angustiis morientis Jesu! eheu! ah mi Jesu! §. 7. *Ioseph elegans figura Christi D. hoc triduo.*

Digitized by Google

quam multi hoc triduo epulones, comessatores! libidinosi! blasphemi! non tantum non compatiuntur tibi sed vexant te, sed pugnant contra te! sed persequuntur te! inimici Crucis tuæ! amici sathanæ! Amantissimi Auditores; nos compatiemur, (est locus pro piissimo affectu) sed discedamus ab his conviviis.

§. 8. *Ad alias epulas nos invitat Christus Dominus. figura fuit Pater filii prodigi.*

Converto me ad convivium ad quod benignissimus Jesus nos invitat suavissimis verbis Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Figura fuit amantissimus Pater filii prodigi, de quo Tertull. ait l. de pœn. c. 8. *Pœnitentem libens suscepit, immolat vitulum praeopimum, convivio gaudium suum exornat.* O metamorphosin! paulò ante miser cupivit (Luc. 15. vers. 16) *implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* Tam crudelem & barbarum babuit herum. Reduci à patre illi proponitur dulcis esca pinguis vituli. Idem fecit benignissimus Jesus; si liquas nobis offert mundus; ipse Agnum immaculatum, Corpus suum & sanguinem. O helluones! quid cũ porcis vos impletis siliquis? nos Auditores, apes esse volumus, de quibus S. Ambr. ser. 14. in Ps. 118. *Bona pascua, divina Sacramenta! carpis illic novum florẽ, qui bonum odorem dedit; carpis lilium, in quo splendor cælestis; carpis rosam, hoc est, Dominici Corporis Sanguinem.* Iterum piissimas advertite causas, ob quas Evangelium nobis proponit mysteria passionis, v. g. Christum flagellatum: ille idem, qui pro nobis flagellatus est, illud corpus tot vulneribus saucium; ille divinus cruor, verbo, Christus non solum nobis præsens est; sed si volumus, cum filio prodigo comedere possumus dulcissimas carnes immolati vituli in ara S. Crucis, si volumus, apes esse possumus & haurire ejus Divinissimum Sanguinem, offert siliquas mundus, Jesus lilia! rosas! suam carnem, suum sanguinem.

§. 9. *Et Rex Assuerus Pulchra de magnificis conviviis.*

Figura Christi D. fuit Assuerus, qui Esth. 1. v. 3. *fecit convivium grande ut ostenderet divitias regni.* Magnificentiam Assueri vicit ille Romanus Augustus, *qui in pretioso liquore liquefecit margaritas, ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritæ, atque ut mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis absorbendos dedit.* Idem facit amantissimus noster salvator, margaritarum & unionum omnium pretiosissimus, formatus à Spiritu


ritu S. in concha virginalis uteri. In Litaniis de nomine Jesu, hoc inter alia habemus encomium, *Jesu gemma pretiosa, miserere nobis*. In fine vitæ ante Passionem, ut ostenderet divitias sui amoris, & thesauros suę beneficentiæ, cœnam instituit Eucharisticam. O inventiones amoris! cujus ignibus & flammis, instar gemmæ se totum liquefecit, & ut ipse experiretur, quid saperet ejus caro, quomodo sanguis; ipse manducavit Corpus, & bibit sanguinem suum, atq; ut mirifice placuit, ne solus hoc sciret, ait ad Apostolos; *accipite, & comedite, hoc est corpus meum, bibite, hic est calix Sanguinis mei*. Vale munde cum tuis siliquis, pasce porcos tuos. Nos alias quæremus epulas; ad quas Christus D. nos invitat.

Qui de sacro calice bibit (S. Cyprianus de cœna Dom.) *amplius sitit, & ad Deum vivum erigens desiderium, ita singulari fame uno illo appetitu tenetur, ut deinceps ferrea horreat peccatorum pocula, & omnis sapor delectamentorum carnalium, sit ei quasi rancidum, rodensque palatum, aucta mordacitatis acetum*: quod confirmat Paschas. l. de corp. Christi. *Isto repleta vino, nullum, præter Christum amare novit, nullum alium esurire, nullumque alium sitire, quoniam summum bonum ejus est*. S. Cyprianus de cœna Domini. *Esus carnis hujus quædam aviditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso. Per quod sic inprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem caritatis, ut hæreat palato nostro, & visceribus, sapor delectationis infusus penetrans & imbuens omnes animi, corporisque recessus*, juxta v. 9 Psal. 67. *Cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël; scilicet, manna, & pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*. Pagnin. *pluviam munificentiarum*. Vatabl. *liberalitatem*. Cajet. *Voluntatum, sive appetitionum populi* appetentis cibum & carnes. S. Cæsarius hom. 7. de pasch. *Vnumquemque variis & alienis saporibus reficiebat mellifluum pluviæ illius donum, & multiplex sicci imbris obsequium*. §. 10. *SS. Eucharistiæ effectus.*

Unum objici potest, quod pro hoc triduo velim Auditores meos invitare ad S. Communionem, sed respondeo, qui subinde gustant dulcedinem Eucharisticam, semper sitiunt, volupe illis est frequentissime in his epulis haurire sanguinem Christi. Joan. c. 19. v. 34. *Vnus militum lancea latus ejus aperuit & cõtinuo exivit sanguis & aqua*. Aquæ: cur ergo paulo ante mortem ait Evange- §. 11. *Ardens & frequens sitis poculi Eucharistici.*

 gelista

lista, *sciens IESVS, quia jam omnia consummata sunt, ut consumaretur scriptura, dixit sitio.* Quid hoc mysterii? in corde, veluti fonte latuit in morte sanguis & aqua, & tamen ait, *sitio*! ergo in eodem corde, sitis & aqua; Arnoldus Carnotensis; tract. 4. de 7. verbis. *Mirum dictu, tremendum relatu, profluentibus de sacro latere aquis viventibus & emanantibus, de fonte uberi, sacris liquoribus Christus sistere se perhibet, & ipse mundum irrigans & fœcundans de ariditate causatur.* Hic videtur latere sensus mysticus. Licet Christus Dominus jam copiosum pro genere humano effudisset sanguinem; tamen ait, *sitio*, q. d. plus sanguinis, vel eundem sæpius desidero effundere, ut testetur amorem, &c. Et ita nos docuit, qualis in nobis debeat esse sitis, ut ad testandum mutuum amorem, nos sitiamus illum sanguinem frequenter bibere (Est affectuosus locus) præsertim hoc triduo, quo pretiosus ille sanguis à tam multis pedibus conculcatur, &c.



DA-

DAVID POENITENS
SEX DOMINICIS QVADRAGESIMÆ TOTIDEM CONCIONIBUS ILLUSTRATUS.

CONCIO XIII.
DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Miserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam, Ps. 50. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Proponuntur causæ lapsus Davidis in tam gravia scelera.

§. 1. *Post peccatum commissum, David pœnitentiâ placavit iratum DEUM.*
§. 2. *Lapsus Davidis.*
§. 3. *Prima ejus causa: fervor concupiscentiæ, quæ excæcat.*
§. 4. *Applicatio.*
§. 5. *David vincens alios, se vincere non potuit.*
§. 6. *Samson à concupiscentia devictus.*
§. 7. *Vii & Salomon.*
§. 8. *Testimonium S. Hieronymi.*
§. 9. *Altera causa: Saturitas, otium, &c.*
§. 10. *Luxus Babylonicæ meretricis.*
§. 11. *Applicatio.*
§. 12. *Tertia causa: Curiosi oculi: ingentia illorum damna.*
§. 13. *Pudicissimi oculi Iosephi.*
§. 14. *Et Regum quorundam gentilium.*
§. 15. *Libido facit crudelem.*
§. 16. *Tragica historia.*

SEx concionum, quas sex Dominicis hujus Quadragesimæ dicturus sum, materia & objectum erit David pœnitens. Trium gravium peccatorum, quæ David commisit, meminit scriptura. 1. adulterii. 2. homicidii. 3. superbiæ. O infelicem & ingratum Regem, qui inter tot beneficia, DEO suo fuit tam ingratus! O felicem in hoc, quod per pœnitentiam statim se DEO reconciliarit. Momento quo Nathan illi dixit, *tu es vir iste*, adulter, homicida, ruit in genua, & ait, *peccavi, miserere mei DEUS*; & DEUS cor contritum & humiliatum humiliati Regis non despexit. Pari ratione

§. 1. *Post commissum peccatum David pœnitentiâ placavit iratū DEUM.*

Digitized by Google

2. Reg. 24. David superbiâ quadam & animi elatione graviter offendit DEUM; in throno regni Israelis, jussit numerari populum, ut sciret numerum ejus; mox tamen agnovit displicuisse hunc fastum Domino, ait enim v. 10. *Peccavi valde in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis.* Exaudivit Domiuus ejus preces, misitque Gad Prophetam ad eum, per quem talia dixit DEUS: *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his ut faciam tibi, aut septem annis veniet fames in terrâ tuâ, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, aut tribus diebus erit pestilentia in regno tuo.* In re dubia, ob tam triste & severum nuntium respondit David: *Coarctor nimis, sed melius est ut incidam in manus Domini (multa enim misericordia ejus sunt) quam in manus hominum*; immisitque Dominus pestilentiam in Israel; inter aliquot horas mortui sunt septuaginta millia virorum, viditque David super Jerusalem in aëre Angelum Domini cædentem populum, (hinc comunissa pictura, Angeli offerentis Davidi gladium, virgas & calvariam) & dixit: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi, isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me.* Eâdem adhuc die rediit Gad, & dixit ei: *Ascende & constitue altare Domino, offer holocausta*; fecit omnia David, *& propitiatus est Dominus terræ, & prohibita est plaga ab Israel.* Tristissimâ memoriâ, Auditores, si volumus, recolere possumus virgas & flagella, quibus justus DEUS à triginta annis Europam castigavit, & adhuc hodie præcipua ejus regna castigat. Loqui potest Germania de bello, fame, peste, sed justus est Dominus, gravissimis sceleribus id fuit merita. Utinam non nova quotidiana scelera justam DEI iram provocarent! cum certum sit id à multis fieri, nostrum est Auditores, ut debitis mediis illam avertamus, illa suggerit historia quam ex libro Regum narravi. Oportet scelera agnoscere, de illis dolere, inclamare misericordiam, illi fidere, ascendere montem calvariæ, erigere altaria, ut sacrificium offeramus, non boves, non agnos, sed spiritum contribulatum & cor contritum. Verbo dicam omnia. Sola pœnitentia iratum DEUM placare possumus, ideo statui hac quadragesimâ animis vestris proponere Davidem

pœ-

Digitized by Google

pœnitentem. Modò faciam initium, & in tribus punctis declarabo tres causas lapsûs Davidis. Prima fuit fervor concupiscentiæ sive libido. Secunda saturitas, otium, somnus, deambulatio. Tertia oculi curiosi.

Lapsum Davidis, ejus adulterium, homicidium Viri prudentes meritò mirantur. Ille David, ille servus Domini, ille vir secundum cor DEI, ille, quem tulit Dominus de pascuis sequentem greges, ut esset dux super populum Israel, cui Dominus fecit nomen grande, per quem operatus est mirabilia, de quo l. 1. Reg. c. 16. v. 13. ait, *Directus est spiritus Domini in David* : illéne adulter? illéne homicida? quis in hanc abyssum, in hoc profundum, in hunc infernum, ut ipse loquitur, infelicem regem præcipitavit? quænam fuerunt causæ tanti lapsûs? triplicem invenio apud SS. PP. *§. 2. Lapsus Davidis.*

Prima fuit, fervor concupiscentiæ, sive libido; hæc gravissimorum virorum excæcat mentes, oculosq; obnubilat, hæc viris sanctissimis multoties abstulit intellectum. Pulchro simili illud declarat Oseas c. 4. v. 11. *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Sensus est (secundum P. Sanctium) sicuti vinum homini eripit mentem, ut nesciat, quid faciat; pari ratione id præstat libido. Est ebrietas intellectus, in qua piissimus Rex lapsus est in adulterium. Ideo Philo libidinosos vocat cæcos. *Necesse est ut puellarum amator animum habeat in suis deliciis, & huc tantùm acres intendat oculos, cæteris in rebus tum privatis, tum publicis cæcutiat hebetatus cupidinibus.* Homerus Iliade 14. *amor & cupido furatur mentem prudentia cogitantium.* Nunquid David Rex sapientissimus cogitare debuisset, quid dicet populus, quid Joab? nunquid memor esse debuisset beneficiorum DEI? nihil horum cogitavit, quia mentem furata fuit libido. S. Hieronymus l. 1. advers. Jovin. *Amor rationis oblivio est, & insaniæ proximus.* S. Chrysostom. hom. *quod nemo lædatur, nisi à se ipso: his, qui in luxuria vitam ducunt, sensus sunt obtusi, & quodammodo consepulti.* Galenus, Aëtius, aliique expertissimi medici vocant hanc concupiscentiam, sensuum stuporem, mentis spasmum, intellectûs torporem, qui intelligentiam quodam- *§ 3. Prima ejus causa: fervor concupiscentiæ, quæ excæcat*

modo

Digitized by Google

modo congelat, & stupefacit. Plautus ait: *Iactor, agitor, versor in amoris rota miser*, tali vertitur cerebrum, turbatur ratio, ut ignoret ubi sit, vel quid agat, pari ratione (applica omnia Davidi.)

§. 4. *Applicatio.* Horret animus meminisse scelerum, quibus feriis Bacchanalibus Deus offenditur, per libidinem, luxuriam. Proponit Ecclesia Christum Dominum v. g ad columnam, flagellis cæsum, proponit spinis coronatum, cruci affixum; nunquid dicere potest concionator! O impie quid agis? an Salvatori tuo novas paras virgas? an novas spinas? novos clavos? clavi, spinæ, virgæ sunt verba impudica, nonne cogitandum tibi esset, quem offendas (est locus pro pulchra invectiva) ah miserere Jesu tui, miserere animæ tuæ. Sed surdis hæc cantantur, cæcis, ebriis talia monstrantur. Ardet in cordibus eorum flamma libidinis, quæ est veluti rota, (fac pulchram repetitionem) ante omnia ergo hæc flamma sanguine Christi hoc tempore Passionis debet restingui.

§. 5. *David vincens alios, se vincere non potuit.* Huic bestiæ, sive concupiscentiæ libidinis fræna sunt inijcienda. Etenim vehementes ejus motus, & libidinis igniculos compescere, quos natura ipsa parturit, quos fovet carnis appetentia, quos ætas, & alia blanda irritamenta inflammant, sopire & infringere, hoc grave certamen est. Ecclesiasticus inter elogia Davidis ait, cap. 47. vers. 3. *Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in ursis similiter fecit, sicut in agnis ovium in juventute sua. Nunquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente? in tollendo manum saxo funda dejecit exultationem Goliæ.* Quibus autem S. Ambrosius in apol. David. lib. 2. cap. 3. talia subjunxit. *Vir quidem magnus, & qui gigantem immanem corpore armisque bellicis inhorrentem fide vicerit: sed utinam se ipse vicisset; utinam sicut ille adversariũ stravit, sic interiorem adversariũ suum sternere ac superare potuisset. Gravior est pugna ejus, qui intus, quam illius, qui foris dimicat.* Qui alienæ carnis portentum detriumpharit, propriæ carnis non devicit passionem. Bestiarum domitor, feram libidinis belluam vincere non potuit. Fudit David circumquaque hostiles acies & præclara ubique statuit tropheæa, trucidavit monstra, inflatos hostes traxit in ruinam, mox in ruinam præcipitatus à propria concupiscentia.

Sacer

Digitized by Google

Sacer Hercules fuit generosus Samson. In omni certamine victor & laureatus, in concupiscentiæ verò lucta enervatus, mollis, infelix. De quo pulcherrime S. Ambros. cit. *Samson validus & fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum; messes incendit alienas; & unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit.* Fores cum postibus domus custodiæ humeris sustulit, à fundamentis revulsas: sed utinam portas animi sensusque corporis vigili custodia clausisset, ne intraret mors per fenestras suas, solvit hostium nexus, recentesque funes & lora validissima, sed amoris unius scorti vilissimi implicatus fuit funiculis. Et qui sacri verticis exuviis & cincinnis terrificus, & invictus apparuit hostibus; detonsus à pellice, & exutus divinæ virtutis spoliis, funibus lasciviæ implicatus risus & sibilum factus est Philistæis. S. Paulinus ep. 4. *Vtinam tam prudens ad cavendam mulierem, quam fortis ad strangulandum leonem fuisset: sed carnali victus illecebra, qui gratia spiritali vicerat, cum prævaluisset forti, ab infirmitate superatus est.* Idem contigit Davidi, idem continget nobis, nisi concupiscentiæ nostræ frænum inijciamus, nisi hanc belluam devictam ad pedes Jesu Crucifixi alligemus, ne nos discerpat. §. 6. *Samson à concupiscẽtia devictus.*

Quis sapientior Salomone? nihilominus fatetur in Ecclesiaste cap. 7. vers. 17. *Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est.* Ubi pulchrè S. Hieron. de Salomone? Illud in sua se quæsivisse sapientia, quod in rebus humanis malum universa antecedat mala, & quæ res impietatis, stultitiæ, erroris, vecordiæ teneat primatum. Et dicit se omnium malorum caput, mulierem reperisse. Causam subdit Glossa. Lyr. *Quia separat animam à suo creatore, mors autem à solo corpore, prima autem separatio amarior est, quia separat à bono infinito.* Et Hugo Card. *Et inveni amariorem morte corporali mulierem, quia cum mors tantum separet animam à corpore, mulier separat DEVM ab anima, & ita aufert ab anima dulcedinem vitæ spiritualis, quæ in infinitum major dulcedine corporali, quæ per mortem aufertur. Præterea amaritudo mortis momentanea est, amaritudo mulieris æterna est, &* §. 7. *Vti & Salomon.*

Digitized by Google

ideo major. Omnia hæc, & deteriora magno suo damno expertus fuit Salomon, ut bene advertit S. Augustinus l. 14. de civit. Dei cap. 11. *Nec Salomonem, credibile est, errore putasse, idolis esse serviendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum.* Eadẽque reperit lib. 11. de Gen. ad lit. c 42. *Salomon vir tantæ sapientiæ, nunquidnam credendum est, quod in simulachrorum cultu, crediderit esse aliquid utilitatis? sed mulierum amori, ad hoc malum trahenti, resistere non valuit, faciens, quod sciebat non faciendum, ne suas, quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret.*

§. 8. *Testimoniũ S. Hieronymi.* Heroës hactenus nominatos simul conjunxit sanctus Hieronymus, cum dixit, *Ipse Salomon sapientissimus virorum, & Samson fortissimus, & David mansuetissimus, à muliebri decipula; & Origenes* (qui post Apostolos Ecclesiæ Magister erat, quamdiu rectè sapuit.) *ab hæretica decepti & devicti sunt.* Ex quibus facile advertimus, quâ curâ & vigilantiâ, nos hanc peccandi occasionem & illecebram fugere & devitare debeamus; præsertim hoc tempore, quo de pœnitentia & seria vitæ emendatione nobis cogitandum est.

§. 9. *Altera causa: Saturitas, otium.* Alteram causam lapsus Davidis sumo ex lib. 2. Reg. cap. 11. vers. 2. *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ.* Probabile est Regem ante meridianam quietem bene & delicate comedisse, itaque saturitas, somnus, otium fuerunt dispositiones ad adulterium Davidis. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ-saturitas, & abundantia, & otium ipsius.* Idem de Davide dico, ecce hæ fuerunt dispositiones. Philo l. de Abraham. *Est autem ingens malorum initium-nimia bonarum rerum copia, quam quidam non ferentes, tanquam jumenta* (in bonis pascuis) *lasciviunt*, patet in Davide; quamdiu fuit pastor, quamdiu fuit miles, quamdiu vixit in campis & præliis, sanctus & innocens fuit David, in aula, inter regias dapes, in regio lecto, in amœnis hortis factus est adulter & homicida. Omnem hanc pompam regiam Jeremias comparat amœnæ arbori, sic ait cap. 2. v. 20 *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix.* Sub tali arbore, in paradiso primum peccatum à primis parentibus est perpetratum. Quis vestrum nõ audivit

Digitized by Google

audivit de peccatis Sodomæ & Gomorrhæ, quomodo clamarint in cœlum. *Omnes autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis*, c.13. Gen. v.13. sed occasio magna fuit amœnissimus situs, & fertilissimi circum agri, de quibus textus sacer ait cit. cap. vers. 10. *Elevatis Loth oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur sicut paradisus Domini.* De his campis & hortis loquuntur illi impii Sapient. 2. versu 8. *Venite coronemus nos rosis, - non sit pratum per quod non transeat luxuria nostra.* In aulis, in hortis, in solariis præsertim post epulas illa habitat.

§. 10. *Luxus Babylonicæ meretricis.*

Apocalyps. 17. vers. 1. ait Angelus ad Joannem, *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*, sive causas ob quas in tanta lapsa est scelera; fuit *mulier circumdata purpura, & coccino, & auro, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua.* Pari ratione sanctus Lucas ait capite 16. versu 19. *homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide.* O impium! ô durum erga pauperes! ô immemorem mortis! ideò, *mortuus est, & sepultus est in inferno.* Venite nunc, & ostendam vobis causam adulterii & homicidii Davidis; in pastoritio habitu, in armis sanctus fuit & innocens, postquam indutus purpura epulatus fuit splendidè, in auro, coccino & margaritis, postquam bibit ex poculis aureis, factus est adulter, Dei misericordiæ adscribendum, quod talis non sit mortuus.

§. 11. *Applicatio.*

Si quis ex me quærat, quænam sint causæ gravissimorum scelerum, quibus his feriis DEUS offenditur (est locus pro accommoda invectiva) illi ex dictis respondeo: Ecce hæc est, sive inde oritur iniquitas etiam hoc sanctissimo quadragesimali tempore, instituuntur convivia, litatur Baccho, instituuntur choreæ, itur ad strata, fiunt discursus per ædes, forte in mascatis; circumferuntur aurea pocula cum vino abominationis! prô quales abominationes! in verbis, factis! quæ scelera! qualia crimina committuntur? sed non miror; saturitas, otium, deambulationes, luxus vestium, epulæ, choreæ sunt causæ gravium scelerum.

Digitized by Google

§. 12. *Tertia causa: Curiosi oculi, ingentia illorum damna.* Tertiam causam adulterii Davidis proponit cit. versus 2. c. 11. l. 2. Reg. *Viditque mulierem.* Oculi curiosi viros etiam magnos in gravia scelera præcipitant. Ideo suadet S. Gregor. M. l. 21. moral. c. 2. *Vt munda mens servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam.* Expertus est David, si oculos depressisset, nunquam factus fuisset adulter. SS. Patres in hâc materiâ sunt eloquentes. Salvianus l. 3. de provid. dicit oculos esse fenestras mentium, per quas veluti naturales cuniculos, omnes improbæ cupiditates in cor hominis introeünt. S. Hilarius hom. 3. in die Paschatis. *Qui alienam mulierem importunis oculis, & mortem ad se trahentibus conspicit, hic toxicato spiculo in corde percussus est.* S. Ambrosius l. 1. de pœn. c. 14. *Ipsi nobis oculi nostri retia sunt, -- quibus dæmon gravibus sceleribus nos involvit.* Nicet. *Sæpe accidit ut per importunum aspectum aculei mortis in pectus irrepant.* Ut importunos hos aspectus Ecclesia & Societas JESU impediant, alia objecta & spectacula objiciunt, v. g. Christum Dominum orantem in horto. In hoc theatro cupio oculos vestros esse fenestras, ut per illas compassio, contritio, similesque affectus introëant.

§. 13. *Pudicissimi oculi Iosephi.* Castissimum Josephum hoc sanctissimo tempore debemus imitari, de quo D. Ephrem. orat. de illius laudibus dixit, *Ioseph timore DEI undique munitus, ne simplici quidem aspectu intuebatur in illam.* Oculorum custodia & clausura Josepho fuit compendiaria via, detriumphandæ libidinis. Super versum 1. cap. 6. Gen. *Videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchræ*, eleganter dixit S. Chrysost. hom. 22. in Gen. *Magnam illorum intemperantiam insinuat, quod à pulchritudine victi sunt, & frænum imponere inordinatæ suæ concupiscentiæ non valuerunt, sed spectando capti, submersique sunt, & ob impium hoc opus* (ob oculos impudicos) *indignos se fecêre, quorum DEVS supernè curam ageret.* (Ecce lapsum Davidis) tantum malum causavit intuitus pulchritudinis immodestus, inverecundus, nec cohibitus frœno timoris, & prudentis cautionis, quo inhiberetur regius oculus ad spectandam mulierem.

Re

Reges gentiles in hoc fuêre longè prudentiores, & cautiores. S. Isidorus Pelusiota scribit ad Paulum Presb. l. 2. ep. 62. Lectione didici, Regem quendam cum Ephesiam Sacerdotem, cujus incredibilis quædam ac singularis pulchritudo erat, conspexisset: statim ex Ephesina urbe digressum esse, illud videlicet metuentem, ne præter voluntatem, nefarii aliquid admittere cogeretur. Cyrus quoque Persarum Rex, Tympanistriam (cui omnium testimonio admirabilis & supra quam credi posset, tribuebatur elegantia corporis) ne videre quidem sustinuit. O præclarum Regibus & Potentibus consilium, avertere oculos à mulierum decore, ne libidinis appetentia, quæ in Magnatibus solet esse robustior, vincantur, & qui hostiles vicerunt acies, à puellarum specie detriumphentur. Turpis aspectus via est recta deducens ad operationem flagitii. Prov. cap. 6. v. 27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus.* Hugo Cardinal. hîc. *Ignem in sinu abscondit, qui mulieri libenter loquitur: super prunas ambulat, qui affectus suos in speciem mulieris figit.* Ad has prunas multi se calefaciunt cum Petro, Christum negantes Matth. 26. has prunas accendit diabolus suggestionibus pravis. Job. 41. v. 12. *halitus ejus prunas ardere facit.* Amplius hoc simile illustrat S. Chrysostom. hom. 3. de verbis If. Uti enim ignis, ubi fœnum vel culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul ut attigit materiam, lucidam accendit flammam; itidem & ignis concupiscentiæ, quæ est in nobis, simul atque per oculorum intuitum, elegantem ac venustam attigerit formam, portinus exurit animum. Itaq; curiosis oculis injiciendum est frænum timoris Domini, ne cum Davide labemur.


§. 14. Aliquorum Regum gentilium.

Alterum scelus Davidis fuit homicidium. Scripsit enim epistolam ad Joab cum hoc mandato; *Ponite Vriam ex adverso belli, ubi est fortissimum prælium, ut percussus intereat.* D. Chrysostomus: *Cruoris plenam epistolam ferens Vrias abibat.* Quis non stupeat? mitissimus Rex tam cruentas exaravit literas? quid miramur? ut cæca, sic crudelis est libido.

§. 15. Libido facit crudelem.

Ideò Poetæ finxerunt Venerem esse filiam Vulcani, cui arma cudit, arcus, tela & clavos, non horret luxuria fundere sanguinem. Satiari Herodias non potuit, nisi cruore Baptistæ. Pari ratione, libidinosi licet sciant se suis sceleribus novos Christo salvatori parare clavos, virgas, & cruces, licet sciant se conculcare sanguinem Christi, non curant, modo concupiscentiæ satisfaciant.

§. 16. *Tragica Historia.* Horret animus, meminisse horrendi facinoris, impiæ & crudelis matris; cum adverteret se alteras nuptias ab adolescente, quem deperibat, obtinere non posse, quamdiu duo filii viverent, pueri formosissimi; utrumque suâ manu peremit, & strophiolum plenum cruore misit amasio, in signum remoti obstaculi. Horretis impii ? vos crudeliorem luditis tragœdiam. Delicias, voluptates, amores, quos quæritis, Sathan vel Venus concedere nec volunt, nec possunt, nisi detis sanguinem Christi, nisi JESUM de novo crucifigatis. Ite ergò, strophiolo cruori Christi immergite, & dæmoni date. hoc facitis, quoties DEUM lethali crimine offenditis (fiat patheticus affectus.) Nos verò Auditores corda nostra alio modo sanguine Christi aspergemus. Est locus pro affectuoso epilogo, tempori Passionis, accommodo.



CONCIO XIV.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

Miserere mei DEUS, secundum magnam misericordiam tuam,

Ps. 50. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DAvid velociter pœnitens. Dilatio pœnitentiæ est periculosa.

§. 1. Cur

Meminceritis Auditores, elegisse me pro materiâ sex Quadragesimalium Concionum Davidem pœnitentem; ante octiduum tres adduxi causas gravissimi ejus lapsus in gravissima scelera. In abyssum illam piissimum Regem impulerunt concupiscentia, saturitas, otium, & oculi curiosi. S. Ambrosius præfatione in Ps. 37. putat, DEUM hos lapsus permisisse, *ut S. David nobis sequendum proponeret magisterium; qui ideò illi videtur gustasse peccatum, ut doceret, quemadmodum peccatum posset aboleri. Vnde enim medicina, nisi de vulnere sumpsit exordium.* Fundata est in principio Theologico, nam DEUS absolute non potest velle vel probare peccatum, potest tamen permittere, relinquens homini liberum arbitrium, & si permittat, cum vult, potest admirabilibus modis inde elicere majus bonum, sic canit Ecclesia, *O felix Adæ lapsus, qui talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Turpissimum vulnus fuit adulterium Davidis, lethale vulnus homicidium, sed ejus pœnitentia ostendit nobis antidotum, herbam, fontem, oleum, balsamum, quibus vulnera illa sanari potuerunt, hoc antidotum, hæc herba, hic fons, hoc oleum, hoc balsamum fuit pœnitentia Davidis; in illâ multa occurrunt consideranda: modò in memoriam vobis revoco c. 12. l. 2. Reg.

§. 1. Cur DEVS permiserit lapsum Davidis.

Post-

Digitized by Google

§. 2. *David agnoscẽs sua scelera statim pœnituit.*

Postquam Vrias cecidisset in prælio, & in aulam regiam ad Davidem introducta esset Bethsabee, facta ejus Uxor, Dominus misit Nathan ad David, qui dixit ei c. 2. v. 3. & 4. *Duo viri fuerunt in Vrbe, unus dives, alter pauper, dives habuit oves plurimas, pauper nihilominò præter ovem unam parvulam, quæ de pane ejus comedens, & de calice ejus bibens, dormiebat in sinu ejus veluti filia; dum verò peregrinus venit ad divitem, hic parcens suo gregi, vi tulit ovem pauperis, præparavitque inde cibos suo hospiti*; dum hæc diceret Nathan, iratus indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc*, dixit autem Nathan, *tu es ille vir*. Nimis longum esset, in exordio narrare illam concionem, qua Nathan regi objecit adulterium & homicidium: effectus hic fuit, David agnoscens suum crimen, statim ruit in genua, corde contrito dicens. *Peccavi Domino*. S. Ambros. ait. *Ille rex tantus ac potens ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed præmatura confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino*; hinc illud elogium, *David statim pœnitens*; hoc erit materia præsentis concionis; ut & nos statim, hodie, hoc momento pœnitentiam agamus.

§. 3. *Ps. 6. petit à Deo gratiã perfectæ pœnitentiæ & ut statim fiat.*

Psalmo 6. vers. 11. ait regius Psaltes; *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur & erubescant valde velociter*. Videtur David his verbis suis æmulis malum imprecari, sed bene advertit S. Gregor. M. in ps. pœnit. continere hunc versum ferventissimam orationem, qua rogat Deum, ut adversariis suis tribuat gratiam perfectæ conversionis, & pœnitentiæ; hæc enim exigit, 1. ut peccator à creaturis aversus convertatur ad Deum creatorem suum juxta notissima verba Prophetarum, *Convertimini*. 2. ut conturbetur metu mortis & judicii, salutari timore debet concuti, hoc petit David. 3. ut erubescat de gravitate scelerum, quæ erubescentia si perfecta sit, dolorem & propositum emendationis necessario includit. Addit vero David, ut hoc fiat, *Valde velociter*, nam hærere, expectare, morari, differre conversionem de hora in horam, de die in diem, res est periculosa, tales plerumque in agone pœnitere non possunt,

id

Digitized by Google

id ostendo ex pulchris locis sacræ paginæ, quæ SS.PP. suo more eleganter illustrant.

Notum vobis est, Pharaonem cum suo exercitu submersum esse in mari rubro, Exodi 15. vers. 5. *Abyssi operuerunt eos; descenderunt in profundum quasi lapis.* Verum (si judicia Dei scrutari licet) cur rex impius in aquis periit, cur non gladio, ut sceleratus Senacherib? cur non ferro incubuit ut Saul? cur non voratus est à vermibus, veluti Antiochus? nunquid deturbari potuit de turri & devorari à canibus, ut Jezabel, nunquid transfigi sagitta ut Achab, 2. Paral. 18.? nunquid flammis vel fulmine de cœlo tolli potuit? hæc quæro cum S. Chrysost. hom. 4. de pœnit. & cum eodem respondeo; *Periit in aquis, quia hoc genus mortis vocem & mentem statim præripit,* qui videt à longe mucronem, potest adhuc dicere, *Jesu miserere,* qui voratur à vermibus, habet tempus pœnitẽdi, si Saul voluisset, potuisset veniam consequi; sed qui submerguntur, sunt veluti lapis, qui in profundum descendit, ut in versu ante citato insinuavi. Speculum ergo est Pharao, in quo videre possumus quomodo moriantur impœnitentes. Apud SS.PP. nil est communius, quam quod angustiæ & timores agonizantis comparentur fluctibus; itâne? ô miser, qui differs converti ad Dominum DEUM tuum, veniet hora qua clamare voles, *Miserere Deus*; sed fluctus, sed metus agoniæ non permittent; hoc genus mortis mentem & vocem tibi eripiet. Hinc videmus, tales in agone esse quasi lapides (est locus pro pulcherrima inductione (NB) si concio hæc incidat in Dominicam 1. Quadrag. potest fieri pulchra digressio ad Evangelium. Ipse Christus D. tentatus est à diabolo. S. Greg. hodie in horis: audire Christum raptũ in montem à diabolo, mens refugit credere, humanæ aures hoc audire expavescunt; O miser quid tibi fiet? & quomodo resistes? inter illos fluctus? in illis angustiis? quæso, quæso valde velociter agite pœnitentiam, & convertimini ad Dom. Deum vestrum.

§. 4. Dilatio pœnitentiæ est periculosa, ut patet in Pharaone submerso in aquis.

A mari rubro venio ad mare Galileæ Marci 6. vers. 47. *Et cum sero esset factum, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra, & videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis, circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans*

§. 5. Pulcherrimus locus ex S. Marco.

Digitized by Google

super mare, & volebat praterire eos. At illi ut viderunt eum ambulantem super mare, putaverunt phantasma esse, & exclamaverunt. Omnes enim viderunt eum & conturbati sunt. Prô! in quantis periculis & angustiis fuerunt Apostoli!. 1. In mari in parva navi. 2. in tempestate vento contrario. 3. tempore noctis. 4. non agnoscentes Christum. 5. qui simulavit se præterire. 6. territi spectro, pleni timore, & conturbatione. Omnium causam innuit sacer textus, illis verbis, cum sero esset factum, id est, nimis diu hæserunt in alto mari, tempestive se debuissent recipere ad portum, de die à tantis periculis deprehensi non fuissent, tum facilè Christum Magistrum suum potuissent agnoscere, ex hoc loco sic discurro: Vita hominis est veluti navigatio in mari hujus mundi, ut attingamus portum cœlestis gloriæ, è portu solvimus, cum nascimur, navigamus quamdiu vivimus, portum attingimus dum morimur. Sed cum magna differentia; pij illum attingunt de die, morte pia & pacifica, quieta conscientia, nullus ventus est contrarius; quia dies est; agnoscunt Christum sibi assistentem, quia tempestive, dum sani fuerunt per pœnitentiam, per ardentes preces se receperunt in vulnera Christi. O miseros, quos in hoc mari, nocte mors deprehendit, interventos, inter angustias turbatæ conscientiæ. S. Chrysost. hom. 29. in Matth. *Semper stimulat nos conscientia peccatorum, sed præcipue cum debemus trahi ad terribile judicium, tunc enim tota congeries criminum innovatur.* O miseros, qui in tenebris & umbra mortis Christum non agnoscunt, offert ille quidem sua vulnera (est locus pro pulchro affectu) sed quia de die noluerunt agnoscere, multo minus in tenebris agnoscunt, imò putant esse phantasma, unde subinde contingit, ut impii agonizantes reiiciant à se Christum crucifixum. O felices econtra, qui in ejus amplexibus expirant. O impii, statim, velociter cum Davide agite pœnitentiam, ne improvisa vos mors obruat; in illis angustiis difficilis est pœnitentia. O miseri, viderunt eum discipuli, & conturbati sunt, quid vobis fiet?

§. 6. *Impœnitentes in agone* Ne vobis accidat, quod uxori Loth accidit, Gen 19. v. 26. educitur cum viro è Sodoma, jubente Angelo, ne ascendentes in montem

Digitized by Google

montem respicerent, vix urbe egressi fuerunt, & *Dominus pluit super Sodomam sulphur & ignem de cœlo; respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis*, id est, (prout Philo explicat l. 2. de alleg.) *adeo obriguit & obduruit, ut fuerit quasi versa in lapidem*. Hoc modo moriuntur impii! dum in agone sistuntur judici, dum infernum aperiri vident, dum æternales flammę oculis obversantur, tanta est turbatio, tantus metus, tantæ sunt angustiæ, ut vertantur in statuam salis, id est, nihil cogitant de Deo, nihil de contritione, quia non possunt, ob induratum & impœnitens cor, &c.

Sunt similes uxori Loth conversa in statuam salis.

Impletur in talibus Prophetia Zachariæ c. 5. v. 7. *Ecce talentum plumbi portabatur: ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit, hæc est impietas*, amphora est genus mensuræ, itaq; hic est loci sensus, cum impleta est mensura scelerum, impiis à Deo constituta, adest mors, quæ impios vocat ad judicium, sed quid fit, *Et misit massam plumbeam in os ejus*. Hæc est merces protractæ iniquitatis cor plumbeum, lingua plumbea, sine omni sensu devotionis. Ah Auditores! in illis angustiis levi & ignea lingua opus erit, quæ clamare possit, *Jesu fili David miserere mei*, (poni possunt aliqua ardẽtia suspiria agonizantis) sed ut talis sit, tempestive illis assuescere debemus. Sed quare multis est lingua plumbea? cur cor plumbeum? (est locus pro pulchra induct.) jam dedi causam, sic moriuntur impœnitentes. Itaque statim, velociter, cum Davide agite pœnitentiam.

§. 7. *Pœna certè est lingua plumbea, cor plumbeum.*

Ps. 6. v. 6. ait David, *quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* clarum est, regium Psaltem non loqui de omnibus morientibus! multi enim moriuntur sãctę, memores Jesu Crucifixi (denuo est locus pro pulchro affectu) sed de impiis, quo sensu duplex in illis verbis latet simile: primum est, sicut illi, qui sepulti sunt, incapaces sunt pœnitentiæ, pari ratione ii quoq; tales sunt, qui multis annis jacuerunt in sepulchro scelerũ; tum velle surgere est difficile. Secund. est, sicut damnati in inferno pœnitent quidem, sed sine fructu, igneas & æternas lachrymas plorant, nec tamen illis proderunt, quia non habent verã & meritoriã contritionem; sic impii in agone dolent quidem, ejulant se cogi discedere, sed non est pœnitentia seria, quia est nimis sera.

§. 8. *Duo pulchra similia ex quibus patet, pœnitere tum non posse impios.*

§. 9. *Praeoccupandus est Iudex.* Sequamur & exemplum, & consilium Davidis, & *praeoccupemus faciem ejus in confessione*, ps. 94. v. 2. Voculam illam *praeoccupemus* explicat S. Chrysost. hom. 5. de pœnitentia, & ait: *quemadmodum prudenter facit reus, qui tempestivè judici causam suam exponit, & pravenit adversarium; pari ratione & nos pravenire debemus. Veniet, veniet illa hora, quâ Sathan acerrimè nos accusabit, tum quasi momento, omnibus querelis velle satisfacere, & simul placare judicem, erit difficile.* Statim velociter cum Davide id facite. Ps. 138. v. 7. quærit, *Quo ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam*, præcipuè in illo agone, cum iratus erit judex, respondet effugio fore locum, si assumpserimus pennas diluculò, & habitaverimus in extremis maris: id est, si gementes simus turtures, in cavernis maceriæ, in sanctissimis Crucifixi vulneribus; sed faciamus hoc diluculò; ideò Felix prima verba cit. versus sic vertit, *assumam pennas auroræ.* tales pennas & alas debet habere vera pœnitentia.

§. 10. *Cito quaerenda est pax cum Christo.* Lucæ 14. vers. 31. ait Salvator noster, quis Rex iturus ad bellum contra alium Regem, si advertat se resistere non posse, non prævenit, mittens legationem rogat ea quæ pacis sunt. O impii bellum geritis cum DEO vestro, & quomodo resistere poteritis? modo offert pacem, 2. Paral. c. 18. *filii Israel nolite pugnare contra Dominum DEUM patrum vestrorum, quia non vobis expedit, dies erit cum desiderabitis cum illo reconciliari, & non obtinebitis* (est locus pro pulcherrimo affectu, v. g. clamabitis misericordiam, & non obtinebitis.)

§. 11. *Simile desumptum à militibus.* Strenui milites tempestivè ante pugnam parant arma, ideò Alexander M. teste Plutarcho, cum instructâ jam ad prælium acie, cerneret militem quendam id temporis adoptantem tela, veluti inutilem amovit ab exercitu. Ex hoc loco potest fieri pulcherrimus Epilogus, v. g. armis erit opus in agone, v. g. scuto fidei, quære velociter, loricâ Justitiæ, &c.

§. 12. *Dilatores pœnitentia puniuntur horribili* Impoenitentes dilatores punit DEUS repentinis mortibus. Finiam duabus parvis historiis. Audite aliquid tragicum, quod habeo à fide dignis Patribus. In Sicilia jacet nominatissimus mons Ætna; continua fornax naturæ;

sin-


Digitized by Google

ſingulis noctibus erumpunt ignes; certis annis ejicit igneos flu- *morte. Duplex tragica historia. Prima.*
vios; apertura montis in vertice, in circumferentia continet tres leucas. Ad radices tamen jacent pagi, & prædia; inter alia Catana, in quâ eſt Collegium Societatis, contigit quodam veſpere Patrem ſocietatis ex monte redire in urbem, & ecce obviat cohors equitum; facies nigræ, truculentæ, terribiles aſpectu! in medio duxerunt captivum quendam in aſino, ligatum pedibus; dum Pater curioſiùs aſpicit, advertit eſſe Dominum ſibi optimè notum, Advocatum urbis, vultu tetro; hic pater, *Quò, quò Domine mi?* nihil reſpondit; ſed manu oſtendit verticem montis Ætnæ, ex quo erumpebat ignis. Dum pater pergit, obviant pedites, ſimiliter nigri, ſumit tamen animos, quærit, *quonam ducitur ille captivus?* reſpondet unus, *ad montem, ut dejiciatur in ignes.* Urbem ingreſſus, ſtatim accedit ædes viri notiſſimi, & ecce invenit uxorem, prolesque flentes; referunt maritum ante duas horas ſubito extinctum. Huc, huc ô peccatores! ſcio, ſedetis in jumento concupiſcentiæ, ligati ſunt pedes funibus; interim pergitis in lata via perditionis, dæmon eſt à latere, ſed quæſo quo tenditis? tacetis? neſcitis? ego oſtendo, ad montem Ætnæ, ad ignes, ad inferos; ah per veſtram ſalutem, poenitentiam agite, ne præcipitemini, dum tempus eſt recedendi. O vos uſurarii, ô vos odioſi, verbo, ô vos omnes qui eſtis in peccato mortali, qui ſedetis in jumento concupiſcentiæ ligati pedibus, quæſo quò pergitis? neſcitis? oſtendam; ſed per vulnera rogo, per ſanguinem Chriſti, pœnitentiam agite, dum tempus eſt recedendi.

Necdum hæc hiſtoria movet, moveat terribilior de quadam §. 13.
fœmina primariâ. Raptus fuit ſanctus Vir in ecſtaſin, ductus in *Altera.*
infernum, vidit Luciferum in ſolio igneo; dum trepidat, vidit adduci fœminam ſibi bene notam; ducebatur à dæmonibus: Lucifer quærit, quænam illa? illi, eſt NN. Lucifer, illáne? afferte ſedem, videtur feſſa; mox dæmones ponunt igneam ſedem; ſine dubio ſitit, date potum, mox infunditur ſcyphus plenus ſulphure: audivit libenter muſicam impuram; mox auribus impoſitæ tubæ igneæ inflatæ à dæmonibus, *æternitas*! & ipſa libenter cecinit, canat; canere cœpit infelix vel potius ejulare: *Maledicta ſum*! altius! *maledicti Cælites*! altius!

Digitized by Google

Beata Virgo, altius; *IESVS*! *DEVS*! hic Lucifer; sic sic canendum est in æternitatem. Dum vir sanctus ad se redit, affertur nuntius, illam fœminam subitò mortuam. O dura corda, quid hîc cogitatis? (fac pulchrum epilogum; pœnitentiam agite, non placet illa sedes, quam tamen peccata vestra meruêre? ille potus? pœnitentiam agite, dum tempus est recedendi, sed hodie, hæc fortè ultima festa, quæ DEUS concedit, &c.



CONCIO XV.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Miserere mei DEVS, secundum magnam misericordiam tuam,

Ps. 50. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DAvid pœnitens habuit perfectissimam Contritiònem.

§. 1. *DEI judicia abyssus multa.*

§. 2. *Pulchri versus ex Psalmis pœnitentialibus, quibus David contritionem cordis sui explicat.*

§. 3. *Ex his sumi potest pulchra conglobatio definitionum contritionis.*

§. 4. *Contritio est scissio cordis.*

§. 5. *Humilis contritio placat DEVM.*

§. 6. *Pulchra figura ex Levitico de duabus columbis.*

§. 7. *De S. Bernardo, gemens turtur.*

§. 8. *Alexander Magnus pœnitens.*

§. 9. *Pulchra testimonia SS. Patrum.*

§. 10. *Pulcher locus ex Iobo quid sit contritio.*

§. 11. *Declaratur pulchro simili quid sit contritio.*

§. 12. *Prosecutio.*

§. 13. *Epilogus.*

O ab-

Digitized by Google

O Abyssum & altitudinem judiciorum DEI! Omnipotens æterne DEUS! non sum qui illa scrutari possim vel velim, sum vermiculus, profiteor! sum pulvis & cinis, tantum miror duos pœnitentes Reges, quos proponit nobis sacra Scriptura, & unius pœnitentiam habuit acceptam, non verò alterius; loquor de Saule & Davide: ambo fuerunt Reges Israëlis: ambo electi à Domino: ambo peccatores, peccavit Saul; peccavit David, & hic quidem graviùs illo. Saul fuit inobediens mandato Domini, invidus: David adulter & homicida! utrumque DEUS per Prophetam monuit ad pœnitentiam, Saulem per Samuelem, Davidem per Nathan; uterque respondit, Peccavi Domino, & huic Dominus ignovit, huic dictum est, transtulit Dominus peccatum tuum, non verò illi. Quis scrutabitur judicia Domini? quis consiliarius ejus fuit? Sancti Patres hanc dant causam; dicunt pœnitentiam Davidis fuisse veram, cum magna interna cordis contritione: Saulis verò falsam & simulatoriam. Id colligunt ex sacro textu, quamprimùm enim dixit, *Peccavi*, 1. Reg. 15. v. 30. addit; *sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel*, in quo fuit magis solicitus de honore proprio, quam honore DEI. S. Chrysost. hom. 4. super ep. 1. ad Cor. *Pœnitentia ista larva & umbra fuit.* Hac larvâ hodie plurimi utuntur; itaque illos instruam, quomodo exemplo pœnitentis Davidis (prout ante dies 14. incepi) verè pœnitere debeant, id est, cum vera contritione, ad quod necesse est explicare, quid illa sit, tanquam præcipua pars veræ pœnitentiæ, quod hac concione faciam, præcipuè ex psalmis pœnitentialibus.

§. 1. Judicia DEI abyssus multa.

§. 2. Pulchri versus ex psalmis pœnitentialib. quibus David contritionem cordis sui explicat.

Contritionem Davidis meliùs explicare non possum, quam illis verbis, quibus ipse in Psalmis pœnitentialibus illam expressit. Psal. primo pœnitentiali v. 2. 3. ait: *Miserere mei, quoniam infirmus sum, conturbata sunt ossa, turbata est anima mea.* v. 6. *laboravi in gemitu meo, lavabo lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* v. 7. *turbatus est à furore oculus meus.* v. 8. *exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Psal. 2. pœnitentiali v. 4. *conver-*

versus sum in ærumna, dum configitur spina. v. 8. *in diluvio aquarum multarum.* v. 9. *in tribulatione quæ circumdedit me.* ps. 3. Pœnit. v. 2. *quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* v. 8. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei; Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* ps. 4. pœnit. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* ps. 5. pœnitent. v. 5. *aruit cor meum.* v. 7. *similis factus sum pelicano solitudinis, factus sicut passer solitarius in tecto.* ps. 7. pœnit. v. 4. *anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Ex his & similibus verbis à pœnitente Davide prolatis scire possumus, quid sit vera & interna cordis contritio.

§. 3. *Ex his sumi potest pulchra conglobatio definitionum Contritionis.*

Contritio est infirmitas, & turbatio animæ ex dolore, quod dolet se Deum summum bonum offendisse. Contritio est labor quidam cordis, quod gemit, plorat & dolet se peccasse. Contritio est torcular quoddam, quod ex corde veluti botro, amaras exprimit lachrymas, quibus pœnitens peccator, non tam lectum & stratum, quam cor suum lavare nititur. Contritio est diluvium quoddam, in quo peccata etiam gravissima submerguntur, est fons & balneum, in quo anima super nivem dealbatur. Contritio est vox fletus, lachrymarum & oculorum, quo clamore pœnitens Dei misericordiam implorat. Contritio est tribulatio animæ, est ærumna cordis, est spina, vel sagitta, quibus cor pœnitentis transfigitur; hinc illa vulnera, quæ clamant Jesu doleo, Jesu doleo: Jesu amo, amo! talia suspiria rugiunt à gemitu cordis, qui gemitus non sunt absconditi, sed foras erumpunt, sic David de capite dejecit coronam, exuit purpuram, induit cilicium, dormivit humi. Contritio est gratissimum Deo sacrificium, per quod Spiritus contribulatus & humiliatus Deo offertur. Contritus est veluti Pelicanus, qui in monte Calvariæ, in nido sanctissimæ Crucis, inter myrrham doloris cor & pectus aperit, ut sanguis fluat cum sanguine JESU ex benedicto ejus corde. Sanct. Gregorius Nyssen. orat. de Pacilla: *Lachrymæ sunt tanquam sanguis vulnerũ animæ.* Mox passer est, vel gemens turtur, qui in tecto sive vulnere sanctissimi hujus cordis se abscondit, ibi anxiatur, ibi turbatur, ibi tribulatur, ibi configitur, ibi

Digitized by Google

ibi gemit, quod summum bonum, quod jam amat super omnia, unquam offenderit. Ex his advertite, qua præparatione hoc sacro tempore accedere debeatis ad tribunal pœnitentiæ (habes locum pro pulchrâ & affectuosa inductione.)

Ad hanc contritionem nos exstimulat Joël c. 1. vers. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro*; hæc conversio ad Deum, & aversio à creaturis, prima est radix veræ contritionis. Pergit Joël, *scindite corda vestra*, quid ergo est contritio? est scissio & divisio cordis, ex qua ingens oritur dolor. De corde Christi ajunt, à lancea Longini fuisse quasi totum scissum in duas partes; tam immane & hians fuit vulnus! Talis lancea est contritio, dividit, findit cor; hinc dolor. De his cordibus ait Hispanus quidam, dicere Salvatorem: Aquila real soi, que me sustento de coraçones, applica pulchre Davidi, & Auditoribus. NB. noster cibus in Venerabili est Cor vulneratum JESU; cibus JESU, cor vulneratum peccatoris (est suavis locus) sed contritum & humiliatum esse debet. §. 4. *Contritio est scissio cordis.*

Esther ingressura ad regem Assuerum, ad impetrandam misericordiam pro populo Israelis, duas formosissimas virgines elegit socias; quarum brachiis, ne in deliquium laberetur, fuit innixa. Movit triste spectaculum cor regis, ut statim obtulerit summitatem sceptri deosculandam, in signum clementiæ. Eja David quid oculos demittis? quid horres conspectum Dei tui? quid terga deprimis? video, gravat illa adulterium, deprimit onus homicidii. Sed ne timeas, duas assume Virgines, alterius nomen est Contritio, alterius Humilitas; his innitere, & salvus eris, fecit David (pulchrè) & misericordiam obtinuit. Idem facite animæ piæ; ecce Assuerū in throno sanctissimæ crucis, quid timetis? accedite cū fiducia, sed corde contrito & humili (est locus pro pulchro affectu; præsertim si videas v. 16 c. 4. ep. ad Hebr. §. 5. *Humilis contritio placat Deum.*

Levitici 12. jussit Deus in sacrificium offerri præter reliqua, par turturum aut columbarum. Sed si aves volebat, cur non aquilam elegit? cur non Philomelam? hæc causa placuit Radulpho Fluviacensi, quia hæ aves gemendo cantant. De turture ait Virgilius: §. 6. *Pulchra figura ex Levitico de duabus columbis.*

Nec gemere aërea cessavit turtur ab ulmo.

de columba Isaias cap. 59. verſ. 11. *quaſi columbæ meditantes gememus*. Talis columba fuit David, cum dixit, *quis mihi dabit pennas columbæ, & volabo.* Tales turtures hoc ſacro tempore ſunt animæ pœnitentes, quæ cum S. Petro ſe includunt antro pœnitentiæ, vel cum S. Magdalena in vulnera crucifixi, ibique gemunt & plorant, ſe ſummum bonum offendiſſe, hoc enim debet eſſe motivum contritionis juxta illud S. Chryſoſt. hom. 4. ſuper 2. ad Corinth. 2. *Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis; ſed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique ſaluti tuæ appenſum, ut filium quoq; ſuum tradiderit cauſa tui. Et cum peccaverimus non doleamus, quia punimur, ſed quia Deum exacerbavimus, mentem enim habenti, gehenna quoque formidoloſius eſt Deum offendere, & ei regno deſiderabilius Deo placere.*

§. 7. *De S. Bernardo gemente turture.*

Talis gemens turtur fuit S. Bernardus, qui uberrimis lachrymis ex corde contrito profluentibus ſolebat peccata ſua deflere, adeo ut veſtes rigarentur. Sed ô felix columba! vidit aliquando Merardus in Claravalle religioſus, ſub tali oratione Chriſtum Dominum deſcendentem de cœlo, ad S. Bernardum, eundemque amplexatus magno temporis ſpatio ſic inter brachia retinuit. Davidi hoc fecit Nathan, quam primum enim ille pœnitens dixit, *Peccavi*; hic in ejus ruit amplexus, verbis ſolatio plenis: *tranſtulit peccatum tuum.* Ex oculis veſtris adverto Auditores, dum Chriſti crucifixi expanſa & ſaguinea brachia aſpicitis: O quis mihi det ut ruam in amplexus Jeſu! ô ſalvator tuis brachiis me committo: ad hoc piiſſimus Redemptor offert ſua brachia Auditores, ſed vos hoc facite, dicite cum Davide, *peccavimus*; gemite cum S. Bernardo (eſt locus pro pulchra inductione) nam, (ut Thomas de Kemp, lib. 3. cap. 52. ait.) in vera contritione & cordis humiliatione naſcitur ſpes veniæ, reconciliatur perturbata conſcientia, reparatur gratia perdita, tuetur homo à futura ira, & occurrunt ſibi mutuo, in oſculo ſancto, Deus & pœnitens anima (eſt locus pro ſuavi affectu.)

§. 8. *Alexander Magnus pœnitens.*

De Alexandro Magno legimus quod cum vino inebriatus Clitum ſibi amiciſſimum occidiſſet, tanto fuit poſtea dolore percuſſus, ut ad funus ejus ſe ipſum gladio vel lancea perimere voluerit

Digitized by Google

luerit. Majoris homi-imo Deicidii es reus, ô peccator! tu scelerum tuorum lancea filium Dei peremisti, tu crucifixisti, in ebrietate tuorum scelerum, vidisses in Cruce tristes exuvias! si doles, hoc age eadem lancea cor tuum transfige, ut sanguis effluat lachrymarum. An non Jesum amas? (est locus pro suavi affectu) ergo dole.

S. Gregorius in moralibus. *Cum vehemens pænitentiæ Spiritus mentem occupat, omne gaudium perturbat, ut nihil jam nisi flere lubeat, nihil nisi quod terrere possit attendat.* S. Cyprian. Serm. 2. de lapsis. *Agite pænitentiam plenam doloris, & clamantis animi probate mæstitiam.* S. August. Serm. 3. in Nat. D. *Pænitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei, quando sic pænites, ut tibi amarum sapiat, in anima, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc benè ingemiscis ad Deum.* De S. Magdalena ait S. Gregor. hom. 33. in Evang. *Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit* (est locus pro pulchra descriptione.) videmus hæc omnia in Davide, pulchrè applica. §. 9. Pulchra testimonia SS. Patrum

Pulchrum exercitium cordis contriti describit Job cap. 7. vers. 11. *Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei.* Hunc versum sic interpretatur S. Gregor. libro 6. moral. cap. 10. *Ori suo non parcit, qui confiteri quod fecit, non erubescit; loquitur in tribulatione Spiritus sui, quando sic reatum lingua loquitur, ut nequaquam expers à mæroris stimulo per alia Spiritus vagetur,* quænam illa alia? multa dici possunt, maneo hoc sacro tempore apud Vulnera Salvatoris. O animæ piæ; per illa vagamini à dextero pede ad sinistrum, ab una manu ad alteram, à pedibus ad manus, inde ad sanctissimum Cor Jesu; sed cum tribulatione Spiritus! sed cum stimulo mœroris! & non parcite ori vestro, dicite cum Davide, *peccavimus* dicite *miserere Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Verum in confessione sacramentali præcipue non debetis parcere ori vestro (potest fieri digressio ad integram confessionem. §. 10. Pulcher locus ex Iob quid sit contritio.

Sed cogor properare; Quid est Contritio? id intelligere possumus ex simili. Tempore hyemis solet aqua intensiore §. 11. Declaratur

 frigore

Digitized by Google

pulchro simili quid sit contritio. frigore gelari, appropinquans vero sol suis radiis & calore illud liquefacit. Pari ratione frigus peccatorum constringit & congelat cor humanum, sed sol ille divinus, in meridie amoris, in sanctissimo ligno Crucis facilè radiis suæ misericordiæ cor illud liquefacere & mollire ita potest, ut per meatus oculorum, per rimas cordis fluant lachrymæ, ut verificetur v. 17. ps. 147. *mittit crystallum suam sicut bucellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? emittet verbum suum* [scilicet loquetur JESUS verbum ad cor, pulchre] *& liquefaciet ea: flabit spiritus ejus* [ex sanctissimis Vulneribus spirabunt zephiri gratiæ] *& fluent aquæ.* Idem est sensus versûs 8. ps. 113. *qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Alludit David ad cap. 20. v. 8. Numer. ubi DEUS ex silice eduxit aquas. O jucunda spectacula hac quadragesima! cum multi peccatores accedunt ad JESUM, quorum corda sunt rupes; sed à radiis Crucifixi mutantur in ceram, imo fontes, ut largas profundant lachrymas. In hoc consistit contritio.

§. 12. *Prosecutio.* Denique dico contritionem consistere in vehementibus motibus, præcipue occasione mysteriorum passionis; unum aut alterum tantùm delibo. Christo bajulanti crucem Veronica obtulit sudarium; placuit charitas illa Christo Domino, impressitque sui imaginem [pulchrè describe] sed, DEUM bonum! quis motus in corde Veronicæ, cum illud aspexit? quis gemitus? [est locus affectuosus] dic peccator, cum hanc faciem intueris, quis tibi est sensus? cor habes contritum? Hoc modo discurre de Maria Magdalena, cum vidit aperiri latus JESU.

§. 13. *Epilogus.* Tali contritione statim placatur DEUS. S. Cyprian. serm. de cœna Domini: *Non supervacuè mendicant lacrymæ veniam, nec unquam patitur cordis contriti holocaustum repulsam. Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera fuerit contritio, excludit à venia, sed in amplitudine sinûs sui, mater charitas prodigos suscipit revertentes.*

Digitized by Google



CONCIO XVI.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Miserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam, Pſ. 50. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

VEra pœnitentia exigit magnam fiduciam in bonitate DEI; quæ in pœnitente Davide fuit eximia & excellens.

§. 1. *Converſio gravium peccatorum, eſt aliis utilis.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *David in pſalmis frequenter facit mentionem divinæ miſericordiæ.*

§. 4. *Hinc excellentiſſimi affectus ſpei & fiduciæ.*

§. 5. *Probatur eleganter ex cap. 8. Joannis de Chriſto & adulterâ, à Divina miſericordia pœnitenti facilè condonari ſcelera.*

§. 6. *Proſecutio citati loci.*

§. 7. *Triſtis fiducia ſtatim movet DEum & Salvatorem ad compaſſionem.*

§. 8. *Proſecutio.*

§. 9. *Fiducia hæc eſt gluten, duplex brachium.*

§. 10. *Affectuoſus locus de bonitate IESV.*

DE verè pœnitentibus, maximè ſi graves fuerint peccatores, v. g. aliquis David, aliqua Magdalena, aliquis Petrus, aliquis latro in cruce, ait Victorinus Pictavienſis in cap. 3. Apoc. *quoniam ſi ejuſmodi homines de magno excidio, ad magnam redeunt pœnitentiam, non ſolùm ſibi utiles, ſed aliis prodeſſe poſſunt. Nam* (verba ſunt S. Greg. l. 5. c. 6. 14.) *quia aliquando alii peccatores, converſionem peccatorum obſtupeſcentes aſpiciunt, dum bonitatem DEI in illorum viſitatione intelligunt, ad ſimile converſionis propoſitum accenduntur.* Hoc modo ipſi aliis ſunt cauſa ſalutis. De ſe fatetur ſanctus Paulus 1. ad Timoth. cap. 1. verſ. 13. qui

§. 1. Converſio gravium peccatorū, eſt aliis utilis.

Digitized by Google

qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus IESVS omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Et S. Gregor. lib. 4. in 1. Reg. c. 10. de illo ait: *Qui talis extitit Christum persequens, ad Christum conversus caput effectus est nationum.*

§. 2. *Propositio.* Meminerint mei Auditores, me jam aliquot concionibus egisse de pœnitentia Davidis. Illum propono, ut nobis prosit, ad informationem nostram, ut ejus exemplo ad veram pœnitentiam convertamur. Vera pœnitentia non debet differri, vera pœnitentia seriam exigit contritionem; & insuper magnam fiduciam in bonitate DEI, quam hæc in Davide fuerit excellens, qualis esse debeat, quam sit utilis, hac concione ostendam.

§. 3. *David in psalmis frequenter facit mentionem divinæ misericordiæ.* Tam excellenti virtuti aureum substrui debet fundamentum, quod est divina misericordia. Eloquentissimus Encomiastes divinæ misericordiæ fuit regius Psaltes. Nullum DEI est attributum, quod suâ citharâ toties laudet & deprædicet, quam illam. Nunc loquitur de misercordiæ magnitudine; *Miserere mei DEVS secundum magnam, &c.* ps. 50. v. 1. nunc de multitudine ps. 6. nunc de ejus æternitate, in pluribus psalmis; nunc de ejus suavitate, *suavis est misericordia tua*, ps. 108. v. 21. nunc de ejus miserationibus & consolationibus, *fiat misericordia tua & consoletur me*, ps. 118. v. 76. sæpius evolat ad cœlos, aitq; se cantaturum illam misericordiam, quę est in cœlis, *in cœlo misericordia tua*, ps. 35. v. 6. mox redit ad terras, ut illam misericordiam laudet, quâ *plena est terra*, ps. 32. v. 5. nunc vocat benignam, *benigna est misericordia tua*, nunc ps. 16. 7. mirificam, *mirifica misericordias tuas*, pl. 58. v. 18. DEUM, *DEVS meus misericordia mea*, ps. 143. v. 2. suum refugium, *misericordia mea & refugium meum.* Ardentes petitiones quod attinet, psal. 118. vers. 41. orat, *Veniat super me misericordia tua*, ps. 93. v. 18. *misericordia tua adjuvet me*, ps. 108. v. 26. *salvum me fac secundum misericordiam tuam*, ps. 118. v. *fiat misericordia tua, ut consoletur me*, ps. 118. v. 76. *fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam*, ibidem, *in misericordia tua vivifica me.* Inter hos omnes affectus, inter has preces, frequenter alias invitat creaturas, ut lau-

laudent misericordias Domini, præcipuè ps. 117. v. 20. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Ubi quinquies hoc repetit.

Cognitio hujus attributi in Davide origo fuit affectuũ filialis & intimæ fiduciæ, qua speravit se per miserationes Domini à peccatis suis liberandum. Psalmi sunt pleni illis affectibus ps. 7. v. 1. *Dominus DEus meus, in te speravi*, ps. 12. v. 6. *in misericordia tua speravi*, ps. 16. v. 7. *qui salvos facis sperantes in te*, ps. 17. v. 19. *protector es omnium sperantium in te*, ps. 24. v. 2. *non erubescam*, ps. 30. v. 2. *non confundar, quoniam speravi in te*, ps. 27. v. 7. *In ipso speravit cor meum*, ps. 31. v. 10. *sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Et quando absolvero, si omnes hos affectus enarrare voluero? Septuagesies semel in Psalmis de hac in DEUM fiducia gloriatur. Cum tali fiducia David respondit Nathan, *Peccavi Domino*, & statim meruit audire, *transtulit Dominus peccatum tuum.* Tam facilis est DEI misericordia, ut poenitenti, etiam gravissimo peccatori, adultero, homicidæ, si cum fiducia cor offerat contritum, parcat, & culpam condonet. Hæc circumstantia divinæ misericordiæ nonnihil est ponderanda, ut eò majori fiducia cum Davide poenitentiam agamus.

§. 4. *Hinc excellentissimi affectus spei & fiducia.*

Joannis 8. v. 6. coram salvatore nostro graviter accusarunt mulierem in adulterio deprehensam; audiens illa Dominus, *inclinavit se deorsum, & digito scribebat in terra.* Curiosus aliquis quærere potest, quâ ratione Christus Dominus illa quæ scripsit, solo terræ sive marmoreis lapidibus inscripserit, an cretâ, vel carbone, an stylo ferreo vel aliquo colore. Placent mihi illi Interpretes, qui dicunt, jacuisse in terra pulveres, quibus Salvator noster cujusvis Pharisæi gravissima peccata, (ut est probabile) inscripsit. Latet suavissimum mysterium, sed antequam illud evolvam, memores estote arundinis, quam Christo spinis coronato dederunt in manus. Monui aliàs, aliam lectionem legere, dederunt ei calamum, quo Christus, quia judex est, scelera nostra describit. Sed nolite timere, inscribit illa pulverib. (jam notate mysteriũ) quæ illis inscribuntur, facile abolentur; vel molli aurâ, & suavi zephyro, vel affusâ modicâ aquâ, vel aliorum characterum effor:

§. 5. *Probatur eleganter ex c. 8. Ioann. de Christo et adulterâ. à D. misericordia pœnitenti facile condonari scelera.*

Digitized by Google

efformatione. sic hæc applico Davidi. Cum primum in adulterium & homicidium delapsus est, divina justitia scelera illa notavit, sed quasi in pulvere, quam primum enim in corde adulteri divina gratia excitavit auram & Zephyros suavissimorum affectuum, contritionis, detestationis, amoris, humilitatis, fiduciæ; illa inquam, suspiria! *Miserere Deus, Peccavi Domino,* momento scelerum notas dissiparunt, quia rex pœnitens, quam primum scelus suum agnovit, aquas lachrymarũ affudit, statim illud delevit. Pauca suspiria, modicæ lachrymæ Deum movent, ut misericordiã exhibeat. Discite & vos Auditores, à Davide, qua ratione facillimè scelerum vestrorum notas possitis abolere (est locus pro pulchro affectu.)

Sed redeo ad Christum D. & adulteram, vers. 9. cap. cit. ait: *audientes autem unus post unum exibant, incipientes à senioribus, & remansit Iesus solus, & mulier in medio stans,* probabile est fœminæ accusatores fuisse armatos lapidibus, putantes Christum dicturũ esse secundum legem lapidandam, sed bonus est Jesus! eripuit illã è periculo, diram avertit mortem, & ejus hostes miro artificio egit in fugam; suavissimis verbis illam solatus, *Neq; ego te condemno.* Non dubito quin adultera intus à Spiritu Sancto mota, cum ingẽti dolore se abjecerit ad pedes Jesu. S. Aug. tract. 33. in Joannẽ. *Relicti sunt duo, misera & misericordia:* adultera & Jesus, illa gemens, plorans, ille misericordiam exhibens, ô felicem peccatorem, tempore gratiæ, quo negotium salutis solus cum solo Jesu pertractare potest. In agone aderunt dæmones, modo include te vulneribus Christi, fatere tua crimina, Sathanæ hîc loqui non licet. es miser? Christus est misericors, hæc enim est infinita ejus bonitas, ut gravissima scelera facillime ignoscat. Confitemini, quoniam bonus est. O superbi, licet vos spineam coronam feceritis, nihilominus pœnitentiam agite quoniam bonus est; O luxuriosi, licet vos alligaritis ad columnam, tamen pœnitentiam agite, quoniam bonus est. Vos gulosi licet obtuleritis fel & acetum, *confitemini, quoniã bonus est* (est locus pro affectuosa inductione) confitemini. Fere fuissẽ oblitus suavissimorũ verborum Dam. Ser. 50. de Christo Dom. absolvente adulterã. *Quã leni & dulcissimo Spiritu imbutus est Spiritus illius*

§. 9. *Prosecutio citati loci.*


illius, qui novit spiritu lenitatis peccatores instruere, suspendere vindictam, & affectuosis officiis inviscerare sibi peccatorem, donec vitæ reddatur. Eja dilecte mi, quid times? quid bonitati Salvatoris diffidis? peccasti? si doleas, nihil interest; non est quod timeas celerem vindictam, vel mortem, vel infernū. Novit ille sententiam suspēdere, imminet infelix mors! scit suspendere, sic de judicio, quoniam bonus est, ut interim rigori justitiæ satisfacias; imo cor suum tibi offert, ut te illi inviscceres (est locus pro pulchro affectu) ut vivas. Dixi heri, Cor Christi fuisse quasi fissum in duas partes. Immane vulnus! permisit illud Christus ob varias causas, una est. Est foramen, in quod peccator veluti surculus inviscerari potest, est pulcher locus à simili de arbore.

Afflictio vel contritio cordis cum magna fiducia statim Deum movet ad misericordiam. Quis enarrare poterit afflictionem & gemitus cordis Fratrum Josephi, cum viderūt fratrem sūum Benjaminum ob inventū in sacco ejus regium scyphum, rapi ad vincula: textus ait c. 45. Gen. *Illi scissis vestibus reversi sunt in oppidum, coram Josepho* adeò lachrymantes & ejulantes, ut hic non potuerit *se ultra continere*, quin visis lachrymis afflictionibusq; fratrum statim indulgentissimum se illis ostenderet. D. Ambr. ep. 43. *Ioseph ut fratrem juniorem teneret, simulabat iracundiam fratribus; & compositam à se furti fraudem indignatus est, tamen cum advolveretur ad genua ejus unus ex fratribus, Iudas, flerentq; alii, fraterno victus & compassus affectu, diutius tenere non potuit simulationem severitatis*, sed in eorum ruit amplexus, cū lachrymis dicens. *Ego sum frater vester Ioseph.* Talis est Jesus, applica pulchre, benignior Josepho. §. 7. *Tristis fiducia statim movet Deum & Salvatorē ad compassionem.*

Vix filius prodigus Luc. 15. primos inceperat gressus cum fiducia dicens, *Ibo ad Patrem, & cum adhuc longe esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens.* Et quid movit Patrē, ut hanc charitatem exhibuerit filio rebelli? nil aliud, quam dolor filii cum humili fiducia, se à Patre recipiendum in gratiam. D. Ambr. ibi *Occurrit, quia audivit, quæ intra mentis secreta tractaret,* (de dolore, de bonitate Patris) & cum adhuc longe esset. Suavissimè Euthym. *O visum compatientis acutissimum! simul ut quis resipiscere in animo cogitavit, hunc etiam simul ipse vidit, paratus semper ad eos ū qui* 8. *Prosecutio.*

Digitized by Google

Beata Virgo, altius; *IESVS* ! *DEVS* ! hic Lucifer; sic sic canendum est in æternitatem. Dum vir sanctus ad se redit, affertur nuntius, illam fœminam subitò mortuam. O dura corda, quid hîc cogitatis? (fac pulchrum epilogum; pœnitentiam agite, non placet illa sedes, quam tamen peccata vestra meruêre? ille potus? pœnitentiam agite, dum tempus est recedendi, sed hodie, hæc fortè ultima festa, quæ DEUS concedit, &c.



CONCIO XV.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Miserere mei DEVS, secundum magnam misericordiam tuam,

Ps. 50. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

David pœnitens habuit perfectissimam Contritiònem.

§. 1. *DEI judicia abyssus multa.*

§. 2. *Pulchri versus ex Psalmis pœnitentialibus, quibus David contritionem cordis sui explicat.*

§. 3. *Ex his sumi potest pulchra conglobatio definitionum contritionis.*

§. 4. *Contritio est scissio cordis.*

§. 5. *Humilis contritio placat DEVM.*

§. 6. *Pulchra figura ex Levitico de duabus columbis.*

§. 7. *De S. Bernardo, gemens turtur.*

§. 8. *Alexander Magnus pœnitens.*

§. 9. *Pulchra testimonia SS. Patrum.*

§. 10. *Pulcher locus ex Iobo quid sit contritio.*

§. 11. *Declaratur pulchro simili quid sit contritio.*

§. 12. *Prosecutio.*

§. 13. *Epilogus.*

O ab-

Digitized by Google

O Abyssum & altitudinem judiciorum DEI! Omnipotens æterne DEUS! non sum qui illa scrutari possim vel velim, sum vermiculus, profiteor! sum pulvis & cinis, tantum miror duos pœnitentes Reges, quos proponit nobis sacra Scriptura, & unius pœnitentiam habuit acceptam, non verò alterius; loquor de Saule & Davide: ambo fuerunt Reges Israëlis: ambo electi à Domino: ambo peccatores, peccavit Saul; peccavit David, & hic quidem graviùs illo. Saul fuit inobediens mandato Domini, invidus: David adulter & homicida! utrumque DEUS per Prophetam monuit ad pœnitentiam, Saulem per Samuelem, Davidem per Nathan; uterque respondit, Peccavi Domino, & huic Dominus ignovit, huic dictum est, transtulit Dominus peccatum tuum, non verò illi. Quis scrutabitur judicia Domini? quis consiliarius ejus fuit? Sancti Patres hanc dant causam; dicunt pœnitentiam Davidis fuisse veram, cum magna interna cordis contritione: Saulis verò falsam & simulatoriam. Id colligunt ex sacro textu, quamprimùm enim dixit, *Peccavi*, 1. Reg. 15. v. 30. addit; *sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel,* in quo fuit magis solicitus de honore proprio, quam honore DEI. S. Chrysost. hom. 4. super ep. 1. ad Cor. *Pœnitentia ista larva & umbra fuit.* Hac larvâ hodie plurimi utuntur; itaque illos instruam, quomodo exemplo pœnitentis Davidis (prout ante dies 14. incepi) verè pœnitere debeant, id est, cùm vera contritione, ad quod necesse est explicare, quid illa sit, tanquam præcipua pars veræ pœnitentiæ, quod hac concione faciam, præcipuè ex psalmis pœnitentialibus. §. 1. *Iudicia DEI abyssus multa.*

Contritionem Davidis meliùs explicare non possum, quam illis verbis, quibus ipse in Psalmis pœnitentialibus illam expressit. Psal. primo pœnitentiali v. 2. 3. ait: *Miserere mei, quoniam infirmus sum, conturbata sunt ossa, turbata est anima mea.* v. 6. *laboravi in gemitu meo, lavabo lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* v. 7. *turbatus est à furore oculus meus.* v. 8. *exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Psal. 2. pœnitentiali v. 4. *conver-* §. 2. *Pulchri versus ex psalmis pœnitentialib. quibus David contritionem cordis sui explicat.*

versus sum in arumna, dum configitur spina. v. 8. *in diluvio aquarum multarum.* v. 9. *in tribulatione qua circumdedit me.* ps. 3. Pœnit. v. 2. *quoniam sagitta tua infixa sunt mihi.* v. 8. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei, Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* ps. 4. pœnit. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* ps. 5. pœnitent. v. 5. *aruit cor meum.* v. 7. *similis factus sum pelicano solitudinis, factus sicut passer solitarius in tecto.* ps. 7. pœnit. v. 4. *anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Ex his & similibus verbis à pœnitente Davide prolatis scire possumus, quid sit vera & interna cordis contritio.

§. 3. *Ex his sumi potest pulchra conglobatio definitionum Contritionis.*

Contritio est infirmitas, & turbatio animæ ex dolore, quod dolet se Deum summum bonum offendisse. Contritio est labor quidam cordis, quod gemit, plorat & dolet se peccasse. Contritio est torcular quoddam, quod ex corde veluti botro, amaras exprimit lachrymas, quibus pœnitens peccator, non tam lectum & stratum, quam cor suum lavare nititur. Contritio est diluvium quoddam, in quo peccata etiam gravissima submerguntur, est fons & balneum, in quo anima super nivem dealbatur. Contritio est vox fletus, lachrymarum & oculorum, quo clamore pœnitens Dei misericordiam implorat. Contritio est tribulatio animæ, est ærumna cordis, est spina, vel sagitta, quibus cor pœnitentis transfigitur; hinc illa vulnera, quæ clamant Jesu doleo, Jesu doleo; Jesu amo, amo! talia suspiria rugiunt à gemitu cordis, qui gemitus non sunt absconditi, sed foras erumpunt, sic David de capite dejecit coronam, exuit purpuram, induit cilicium, dormivit humi. Contritio est gratissimum Deo sacrificium, per quod Spiritus contribulatus & humiliatus Deo offertur. Contritus est veluti Pelicanus, qui in monte Calvariæ, in nido sanctissimæ Crucis, inter myrrham doloris cor & pectus aperit, ut sanguis fluat cum sanguine JESU ex benedicto ejus corde. Sanct. Gregorius Nyssen. orat. de Pacilla: *Lachrymæ sunt tanquam sanguis Vulnerū animæ.* Mox passer est, vel gemens turtur, qui in tecto sive vulnere sanctissimi hujus cordis se abscondit, ibi anxiatur, ibi turbatur, ibi tribulatur, ibi configitur,

ibi

Digitized by Google

ibi gemit, quod summum bonum, quod jam amat super omnia, unquam offenderit. Ex his advertite, qua præparatione hoc sacro tempore accedere debeatis ad tribunal pœnitentiæ (habes locum pro pulchrâ & affectuosa inductione.)

Ad hanc contritionem nos exstimulat Joël c. 1. vers. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro*; hæc conversio ad Deum, & aversio à creaturis, prima est radix veræ contritionis. Pergit Joël, *scindite corda vestra*, quid ergo est contritio? est scissio & divisio cordis, ex qua ingens oritur dolor. De corde Christi ajunt, à lancea Longini fuisse quasi totum scissum in duas partes; tam immane & hians fuit vulnus! Talis lancea est contritio, dividit, findit cor; hinc dolor. De his cordibus ait Hispanus quidam, dicere Salvatorem: Aquila real soi, que me sustento de coraçones, applica pulchre Davidi, & Auditoribus. NB. noster cibus in Venerabili est Cor vulneratum JESU; cibus JESU, cor vulneratum peccatoris (est suavis locus) sed contritum & humiliatum esse debet. §. 4. *Contritio est scissio cordis.*

Esther ingressura ad regem Assuerum, ad impetrandam misericordiam pro populo Israelis, duas formosissimas virgines elegit socias; quarum brachiis, ne in deliquium laberetur, fuit innixa. Movit triste spectaculum cor regis, ut statim obtulerit summitatem sceptri deosculandam, in signum clementiæ. Eja David quid oculos demittis? quid horres conspectum Dei tui? quid terga deprimis? video; gravat illa adulterium, deprimit onus homicidii. Sed ne timeas, duas assume Virgines, alterius nomen est Contritio, alterius Humilitas; his innitere, & salvus eris, fecit David (pulchrè) & misericordiam obtinuit. Idem facite animæ piæ; ecce Assuerũ in throno sanctissimæ crucis, quid timetis? accedite cũ fiducia, sed corde contrito & humili (est locus pro pulchro affectu; præsertim si videas v. 16 c. 4. ep. ad Hebr. §. 5. *Humilis contritio placat Deum.*

Levitici 12. jussit Deus in sacrificium offerri præter reliqua, par turturum aut columbarum. Sed si aves volebat, cur non aquilam elegit? cur non Philomelam? hæc causa placuit Radulpho Fluviacensi, quia hæ aves gemendo cantant. De turture ait Virgilius: §. 6. *Pulchra figura ex Levitico. de duabus columbis.*

Nec gemere aërea cessavit turtur ab ulmo.

de columba Isaias cap. 59. vers. 11. *quasi columbæ meditantes gememus*. Talis columba fuit David, cum dixit, *quis mihi dabit pennas columbæ, & volabo.* Tales turtures hoc sacro tempore sunt animæ pœnitentes, quæ cum S. Petro se includunt antro pœnitentiæ, vel cum S. Magdalena in vulnera crucifixi, ibique gemunt & plorant, se summum bonum offendisse, hoc enim debet esse motivum contritionis juxta illud S. Chrysost. hom. 4. super 2. ad Corinth. 2. *Cum peccaveris, ingemisce, non quod pœnas daturus sis, sed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut filium quoq; suum tradiderit causa tui. Et cum peccaverimus non doleamus, quia punimur, sed quia Deum exacerbavimus, mentem enim habenti, gehenna quoque formidolosius est Deum offendere, & ei regno desiderabilius Deo placere.*

§. 7. *De S. Bernardo gemens turtur.*

Talis gemens turtur fuit S. Bernardus, qui uberrimis lachrymis ex corde contrito profluentibus solebat peccata sua deflere, adeo ut vestes rigarentur. Sed ô felix columba! vidit aliquando Merardus in Claravalle religiosus, sub tali oratione Christum Dominum descendentem de cœlo, ad S. Bernardum, eundemque amplexatus magno temporis spatio sic inter brachia retinuit. Davidi hoc fecit Nathan, quam primum enim ille pœnitens dixit, *Peccavi*; hic in ejus ruit amplexus, verbis solatio plenis: *transtulit peccatum tuum.* Ex oculis vestris adverto Auditores, dum Christi crucifixi expansa & sãguinea brachia aspicitis: O quis mihi det ut ruam in amplexus Jesu! ô salvator tuis brachiis me committo: ad hoc piissimus Redemptor offert sua brachia Auditores, sed vos hoc facite, dicite cum Davide, *peccavimus*; gemite cum S. Bernardo (est locus pro pulchra inductione) nam, (ut Thomas de Kemp, lib. 3. cap. 52. ait) in vera contritione & cordis humiliatione nascitur spes veniæ, reconciliatur perturbata conscientia, reparatur gratia perdita, tuetur homo à futura ira, & occurrunt sibi mutuo, in osculo sancto, Deus & pœnitens anima (est locus pro suavi affectu.)

§. 8. *Alexander Magnus pœnitens.*

De Alexandro Magno legimus quod cum vino inebriatus Clitum sibi amicissimum occidisset, tanto fuit postea dolore percussus, ut ad funus ejus se ipsum gladio vel lancea perimere voluerit

luerit. Majoris homi-imo Deicidii es reus, ô peccator! tu scelerum tuorum lancea filium Dei peremisti, tu crucifixisti, in ebrietate tuorum scelerum, vidisses in Cruce tristes exuvias! si doles, hoc age eadem lancea cor tuum transfige, ut sanguis effluat lachrymarum. An non Jesum amas? (est locus pro suavi affectu) ergo dole.

S. Gregorius in moralibus. *Cum vehemens pœnitentiæ Spiritus mentem occupat, omne gaudium perturbat, ut nihil jam nisi flere lubeat, nihil nisi quod terrere possit attendat.* S. Cyprian. Serm. 2. de lapsis. *Agite pœnitentiam plenam doloris, & clamantis animi probate mœstitiam.* S. August. Serm. 3. in Nat. D. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei, quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat, in anima, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemiscis ad Deum.* De S. Magdalena ait S. Gregor. hom. 33. in Evang. *Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit* (est locus pro pulchra descriptione.) videmus hæc omnia in Davide, pulchrè applica. §. 9. Pulchra testimonia SS. Patrum

Pulchrum exercitium cordis contriti describit Job cap. 7. vers. 11. *Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei.* Hunc versum sic interpretatur S. Gregor. libro 6. moral. cap. 10. *Ori suo non parcit, qui confiteri quod fecit, non erubescit; loquitur in tribulatione Spiritus sui, quando sic reatum lingua loquitur, ut nequaquam expers à mœroris stimulo per alia Spiritus vagetur,* quænam illa alia? multa dici possunt, maneo hoc sacro tempore apud Vulnera Salvatoris. O animæ piæ; per illa vagamini à dextero pede ad sinistrum, ab una manu ad alteram, à pedibus ad manus, inde ad sanctissimum Cor Jesu; sed cum tribulatione Spiritus! sed cum stimulo mœroris! & non parcite ori vestro, dicite cum Davide, *peccavimus* dicite *miserere Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Verum in confessione sacramentali præcipue non debetis parcere ori vestro (potest fieri digressio ad integram confessionem. §. 10. Pulcher locus ex Iobo quid sit contritio.

Sed cogor properare; Quid est Contritio? id intelligere possumus ex simili. Tempore hyemis solet aqua intensiore §. 11. Declaratur


 frigore

pulchro simili quid sit contritio. frigore gelari, appropinquans vero sol suis radiis & calore illud liquefacit. Pari ratione frigus peccatorum constringit & congelat cor humanum, sed sol ille divinus, in meridie amoris, in sanctissimo ligno Crucis facilè radiis suæ misericordiæ cor illud liquefacere & mollire ita potest, ut per meatus oculorum, per rimas cordis fluant lachrymæ, ut verificetur v. 17. ps. 147. *mittit crystallum suam sicut bucellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? emittet verbum suum* [scilicet loquetur JESUS verbum ad cor, pulchre] *& liquefaciet ea: flabit spiritus ejus* [ex sanctissimis Vulneribus spirabunt zephiri gratiæ] *& fluent aquæ.* Idem est sensus versûs 8. ps. 113. *qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Alludit David ad cap. 20. v. 8. Numer. ubi DEUS ex silice eduxit aquas. O jucunda spectacula hac quadragesima! cum multi peccatores accedunt ad JESUM, quorum corda sunt rupes; sed à radiis Crucifixi mutantur in ceram, imo fontes, ut largas profundant lachrymas. In hoc consistit contritio.

§. 12. *Prosecutio.* Denique dico contritionem consistere in vehementibus motibus, præcipue occasione mysteriorum passionis; unum aut alterum tantùm delibo. Christo bajulanti crucem Veronica obtulit sudarium; placuit charitas illa Christo Domino, impressitque sui imaginem [pulchrè describe] sed, DEUM bonum! quis motus in corde Veronicæ, cum illud aspexit? quis gemitus? [est locus affectuosus] dic peccator, cum hanc faciem intueris, quis tibi est sensus? cor habes contritum ? Hoc modo discurre de Maria Magdalena, cum vidit aperiri latus JESU.

§. 13. *Epilogus.* Tali contritione statim placatur DEUS. S. Cyprian. serm. de cœna Domini: *Non supervacuè mendicant lacrymæ veniam, nec unquam patitur cordis contriti holocaustum repulsam. Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec hora extremitas, nec vitæ enormitas, si vera fuerit contritio, excludit à venia, sed in amplitudine sinûs sui, mater charitas prodigos suscipit revertentes.*

Con-



CONCIO XVI.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

Miserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam, Pſ. 50. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Vera pœnitentia exigit magnam fiduciam in bonitate DEI; quæ in pœnitente Davide fuit eximia & excellens.

§. 1. *Conversio gravium peccatorum, est aliis utilis.*
§. 2. *Propositio.*
§. 3. *David in psalmis frequenter facit mentionem divinæ misericordiæ.*
§. 4. *Hinc excellentissimi affectus spei & fiduciæ.*
§. 5. *Probatur eleganter ex cap. 8. Ioannis de Christo & adulterâ, à Divina misericordia pœnitenti facilè condonari scelera.*
§. 6. *Prosecutio citati loci.*
§. 7. *Tristis fiducia statim movet DEum & Salvatorem ad compassionem.*
§. 8. *Prosecutio.*
§. 9. *Fiducia hæc est gluten, duplex brachium.*
§. 10. *Affectuosus locus de bonitate IESU.*

DE verè pœnitentibus, maximè si graves fuerint peccatores, v.g. aliquis David, aliqua Magdalena, aliquis Petrus, aliquis latro in cruce, ait Victorinus Pictaviensis in cap. 3. Apoc. *quoniam si ejusmodi homines de magno excidio, ad magnam redeunt pœnitentiam, non solùm sibi utiles, sed aliis prodesse possunt. Nam* (verba sunt S. Greg. l. 5. c. 6. 14.) *quia aliquando alii peccatores, conversionem peccatorum obstupescentes aspiciant, dum bonitatem DEI in illorum visitatione intelligunt, ad simile conversionis propositum accenduntur.* Hoc modo ipsi aliis sunt causa salutis. De se fatetur sanctus Paulus 1. ad Timoth. cap. 1. vers. 13. qui

§. 1. *Conversio gravium peccatorũ, est aliis utilis.*

Digitized by Google

qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus IESVS omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Et S. Gregor. lib. 4. in 1. Reg. c. 10. de illo ait: *Qui talis extitit Christum persequens, ad Christum conversus caput effectus est nationum.*

§. 2. *Propositio.* Meminerint mei Auditores, me jam aliquot concionibus egisse de pœnitentia Davidis. Illum propono, ut nobis prosit, ad informationem nostram, ut ejus exemplo ad veram pœnitentiam convertamur. Vera pœnitentia non debet differri, vera pœnitentia seriam exigit contritionem; & insuper magnam fiduciam in bonitate DEI, quam hæc in Davide fuerit excellens, qualis esse debeat, quam sit utilis, hac concione ostendam.

§. 3. *David in psalmis frequenter facit mentionem divinæ misericordiæ.* Tam excellenti virtuti aureum substrui debet fundamentum, quod est divina misericordia. Eloquentissimus Encomiastes divinæ misericordiæ fuit regius Psaltes. Nullum DEI est attributum, quod suâ citharâ toties laudet & deprædicet, quam illam. Nunc loquitur de misercordiæ magnitudine; *Miserere mei DEVS secundum magnam, &c.* ps. 50. v. 1. nunc de multitudine ps. 6. nunc de ejus æternitate, in pluribus psalmis; nunc de ejus suavitate, *suavis est misericordia tua*, ps. 108. v. 21. nunc de ejus miserationibus & consolationibus, *fiat misericordia tua & consoletur me*, ps. 118. v. 76. sæpius evolat ad cœlos, aitq; se cantaturum illam misericordiam, quę est in cœlis, *in cælo misericordia tua*, ps. 35. v. 6. mox redit ad terras, ut illam misericordiam laudet, quâ *plena est terra*, ps. 32. v. 5. nunc vocat benignam, *benigna est misericordia tua*, nunc ps. 16. 7. mirificam, *mirifica misericordias tuas*, ps. 58. v. 18. DEUM, *DEVS meus misericordia mea*, ps. 143. v. 2. suum refugium, *misericordia mea & refugium meum.* Ardentes petitiones quod attinet, psal. 118. vers. 41. orat, *Veniat super me misericordia tua*, ps. 93. v. 18. *misericordia tua adjuvet me*, ps. 108. v. 26. *salvum me fac secundum misericordiam tuam*, ps. 118. v. *fiat misericordia tua, ut consoletur me*, ps. 118. v. 76. *fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam*, ibidem, *in misericordia tuą vivifica me.* Inter hos omnes affectus, inter has preces, frequenter alias invitat creaturas, ut lau-

Digitized by Google

laudent misericordias Domini, præcipuè ps. 117. v. 20. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Ubi quinquies hoc repetit.

Cognitio hujus attributi in Davide origo fuit affectuū filialis & intimæ fiduciæ, qua speravit se per miserationes Domini à peccatis suis liberandum. Psalmi sunt pleni illis affectibus ps. 7. v. 1. *Dominus DEus meus, in te speravi*, ps. 12. v. 6. *in misericordia tua speravi*, ps. 16. v. 7. *qui salvos facis sperantes in te*, ps. 17. v. 19. *protector es omnium sperantium in te*, ps. 24. v. 2. *non erubescam*, ps. 30. v. 2. *non confundar, quoniam speravi in te*, ps. 27. v. 7. *In ipso speravit cor meum*, ps. 31. v. 10. *sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Et quando absolvero, si omnes hos affectus enarrare voluero? Septuagesies semel in Psalmis de hac in DEUM fiducia gloriatur. Cum tali fiducia David respondit Nathan, *Peccavi Domino*, & statim meruit audire, *transtulit Dominus peccatum tuum.* Tam facilis est DEI misericordia, ut poenitenti, etiam gravissimo peccatori, adultero, homicidæ, si cum fiducia cor offerat contritum, parcat, & culpam condonet. Hæc circumstantia divinæ misericordiæ nonnihil est ponderanda, ut eò majori fiducia cum Davide poenitentiam agamus. §. 4. *Hinc excellentissimi affectus spei & fiducia.*

Joannis 8. v. 6. coram salvatore nostro graviter accusarunt mulierem in adulterio deprehensam; audiens illa Dominus, *inclinavit se deorsum, & digito scribebat in terra.* Curiosus aliquis quærere potest, quâ ratione Christus Dominus illa quæ scripsit, solo terræ sive marmoreis lapidibus inscripserit, an cretâ, vel carbone, an stylo ferreo vel aliquo colore. Placent mihi illi Interpretes, qui dicunt, jacuisse in terra pulveres, quibus Salvator noster cujusvis Pharisæi gravissima peccata, (ut est probabile) inscripsit. Latet suavissimum mysterium, sed antequam illud evolvam, memores estote arundinis, quam Christo spinis coronato dederunt in manus. Monui aliàs, aliam lectionem legere, dederunt ei calamum, quo Christus, quia judex est, scelera nostra describit. Sed nolite timere, inscribit illa pulverib. (jam notate mysteriū) quæ illis inscribuntur, facile abolentur; vel molli aurâ, & suavi zephyro, vel affusâ modicâ aquâ, vel aliorum characterum effor- §. 5. *Probatur eleganter ex c. 8. Joann. de Christo et adulterâ, à D. misericordia poenitenti facile condonari scelera.*

Digitized by Google

illius, qui novit spiritu lenitatis peccatores instruere, suspendere vindictam, & affectuosis officiis invisecrare sibi peccatorem, donec vita reddatur. Eja dilecte mi, quid times? quid bonitati Salvatoris diffidis? peccasti? si doleas, nihil interest; non est quod timeas celerem vindictam, vel mortem, vel infernũ. Novit ille sententiam suspẽdere, imminet infelix mors! scit suspendere, sic de judicio, quoniam bonus est, ut interim rigori justitiæ satisfacias; imo cor suum tibi offert, ut te illi invisceres (est locus pro pulchro affectu) ut vivas. Dixi heri, Cor Christi fuisse quasi fissum in duas partes. Immane vulnus! permisit illud Christus ob varias causas, una est. Est foramen, in quod peccator veluti surculus invisceratri potest, est pulcher locus à simili de arbore.

Afflictio vel contritio cordis cum magna fiducia statim Deum movet ad misericordiam. Quis enarrare poterit afflictionem & gemitus cordis Fratrum Josephi, cum viderũt fratrem suum Benjaminum ob inventũ in sacco ejus regium scyphum, rapi ad vincula: textus ait c. 45. Gen. *Illi scissis vestibus reversi sunt in oppidum, coram Josepho* adeò lachrymantes & ejulantes, ut hic non potuerit *se ultra continere*, quin visis lachrymis afflictionibusq; fratrum statim indulgentissimum se illis ostenderet. D. Ambr. ep. 43. *Ioseph ut fratrem juniorem teneret, simulabat iracundiam fratribus; & compositam à se furti fraudem indignatus est, tamen cum advolveretur ad genua ejus unus ex fratribus, Iudas, flerentq; alii, fraterno victus & compassus affectu, diutius tenere non potuit simulationem severitatis*, sed in eorum ruit amplexus, cũ lachrymis dicens. *Ego sum frater vester Ioseph.* Talis est Jesus, applica pulchre, benignior Josepho. §. 7. *Tristis fiducia statim movet Deum & Salvatorẽ ad compassionem.*

Vix filius prodigus Luc. 15. primos inceperat gressus cum fiducia dicens, *Ibò ad Patrem, & cum adhuc longe esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens.* Et quid movit Patrẽ, ut hanc charitatem exhibuerit filio rebelli? nil aliud, quam dolor filii cum humili fiducia, se à Patre recipiendum in gratiam. D. Ambr. ibi *Occurrit, quia audivit, quæ intra mentis secreta tractaret*, (de dolore, de bonitate Patris) & cum adhuc longe esset. Suavissimè Euthym. *O visum compatientis acutissimum! simul ut quis resipiscere in animo cogitavit, hunc etiam simul ipse vidit, paratus semper ad eorũ qui* §. 8. *Prosecutio.*

Digitized by Google

convertuntur, susceptionem, & ab initio statim pœnitentiæ illos recipiens. tantæ bonitatis fuit Joseph, tam facilis ad veniam Pater filii prodigi, de bonitate ergo Jesu Salvatoris nostri quid sentiemus? scindite corda vestra, flete, advolvimini ad genua & pedes crucifixi, cum dolore, cum fiducia, credite mihi, continere se non poterit, quin ruat in amplexus, quin dicat, confidite, ego sum Jesus (est locus pro pulchro affectu) dicite vos, revertamur ad Patrem, inter secreta cordis vestri, agite & tractate negotium salutis vestræ, & scitote quod visum habeat acutissimum, simul atque in animo resipiscere cogitaveritis: applica pulchre locum Euthymii.

§. 9. *Fiducia hæc est gluten, duplex brachium.*


Caput 6. Deuteronomii ait: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* Hæc verba ita legit Philo. *Dominum Deum tuum timebis, & eum solum coles, & agglutinaberis ad eum.* Sed quomodo? respondet Philo lib. de migrat. Abrahæ. *Adglutinaberis ad Deum! quo glutine? nimirum pietate ac fiducia,* hoc glutine usus fuit pœnitens: David, illo fuit usus ille pauper, cui cum diceretur, *quid ageres si Deus te vellet condemnare*; respondit, *sum paratus, sed non timeo: duo enim mihi sunt brachia, quibus arcte Deum possum complecti, ut non possit me à facie sua proiicere.* Unum brachium est Dei amor & contritio, alterum, humilis fiducia. Quid timetis animæ piæ? quid diffiditis Salvatori? adglutinamini illi; cōstringite his duobus brachiis.

§. 10. *Affectuosus locus de bonitate Iesu.*

Ps 50. v. 6. ait David, *tibi soli peccavi*, innuitur perfectissimū motivū regię contritionis: ego inde eruo forte motivū firmissimę fiducię. In meditatione dolorum Christi, v.g. pendentis in cruce non tantum ponderare debes, quod pro toto genere humano illa patiatur, sed quasi illa pertulerit pro te solo. Huc pertinent illa verba quæ Christus D. dixit S. Brigittæ: *Ego sum ipsa charitas, quoniam si fieri posset, ut toties morte crudeli afficerer, quot in inferno sunt animæ damnatæ ut inde illas eximerem, libēter pro qualibet illā perferrē*, & ad S. Gert. *Vides quo amore tui sim cruci affixus; præter hæc omnia tamen tanto tui amore flagro, ut si contingeret te aliter salutem consequi non posse; pro te sola paratus essem omnia illa tormenta perferre, quæ pro toto genere humano pertuli.* Hæc est misericordia Jesu, & vultis diffidere? (ex his fieri potest ferventissimus & affectuosissimus Epilogus.

CONCIO

Digitized by Google



CONCIO XVII.

DOMINICA V. QVADRAGESIMÆ.

Miserere mei Deus, &c.

Psalm. 50. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AD perfectam Contritionem requiritur timor Domini, & serium propositum non peccandi amplius.

§. 1. *Pœnitentia Regis Ninivitarum.*

§. 2. *Remisso peccato David nihilominus timuit.*

§. 3. *Cum proposito emendationis.*

§. 4. *Pulcher locus, de timore Adami post lapsum.*

§. 5. *Aliud simile: thesauros custodimus cum timore.*

§. 6. *Pulcher conceptus ex mysterio transfigurationis.*

§. 7. *Alia similia, quæ declarant, quo timore pœnitens debeat operari salutem.*

§. 8. *Sine timore, facilis est relapsus.*

§. 9. *Pulcher locus de Josepho & Ægyptia.*

§. 10. *Contra illos, qui peccant, quia Deus bonus est.*

§. 11. *Digressio in Passionem, &c.*

Digitized by Google

AD tristes illas voces & minas Jonæ c. 3. v. 5. *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur, surrexit Rex de solio suo, & abjecit vestimentum suum, & indutus est sacco, se subditis videndum præbuit.* D. Ephrem serm. de pœnit. Ninivit. *Pro gloria & honore currus pedibus per urbem incedebat,* (causam advertite) *omnesque ad pœnitentiam impellebat. Humiliter incedebat, & præsidium ipsemet civitatis sibi subjectæ, ut non corrueret, fiebat.* Pœnitentia Principum & Regum prodest subditis. Ob hanc causam, Auditores vobis per hanc Quadragesimam in meis Concionibus proposui Davidem pœnitentem; in sacco, cilicio, & cinere, in strato, non stratum purpurâ, sed lachrymis rigatum; non in regio throno, sed jacentem humi, contrito & humiliato corde, hoc fine: ut nos omnes ad similem pœnitentiam impellat. Qualis verò illa fuerit, qualis nostra esse debeat, audivistis; debet agnoscere peccata, debet esse velox, cor debet reddere contritum, & humiliatum, cum ingenti tamen spe & fiducia in bonitate DEI; hæc tamen omnia non excludunt timorem ne pœnitens denuò facilè in peccata labatur. Heri in Evangelio audivimus suavia verba Christi ad adulteram, *neque ego te condemno*; sed addidit, *jam noli amplius peccare.* Non peccare ampliùs est nobilis fructus dignæ pœnitentiæ. Hoc ostendam hac concione.

§. 2. *Remisso peccato David nihil minus timuit.* Perfecta Davidis contritio, magna ejus in DEI misericordiâ fiducia, ejus in DEUM amor, verbo, vera ejus pœnitentia, de qua hactenus egi, non exclusit timorem, homini pœnitenti planè necessarium. Licet audivisset à Nathan, *transtulit Dominus peccatum tuum,* tamen dixit ps. 118. v. 120. *à judiciis tuis timui,* ps. 54, 6. *timor & tremor venerunt super me.* ps. 118, 120. *confige timore tuo carnes meas.* ps. 89, 8. *posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* mox v. 11. *quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare.* ps. 5, 8. *introibo in domum tuam* (id est, refugium quæram apud arcam) sed *in timore tuo.* Talia puto Davidem dixisse in corde suo cum in nubibus vidit Angelum Domini igneo gladio percutientem populum suum. De Ægyptiis ait ps. 104, 38. *Incubuit timor eorum super eos.* de aquis ps. 76, 17. *viderunt te DEus, & turbatæ sunt abyssi.* de fulguribus eodem psalmo v. 19. *illuxerunt corruscatio-*

nes

nes tua orbi terræ, commota est, & contremuit terra. Eadem ego dico de Davide, vidit percutientem Angelum irati DEI, & incubuit super eum timor. Vidit evaginatum in nubibus ensem, imminentem Jerosolymæ, & turbata est abyssus cordis ejus. Vidit corruscationes Domini, & commota sunt, & contremuerunt viscera ejus.

Quænam porrò inter hos timores ulteriùs cogitârit, innuit eodem ps.76.v.7. *Meditatus sum cum corde meo, nunquid in æternum projiciet DEVS, aut in finem misericordiam suam abscindet aut obliviscetur misereri mei DEVS, aut continebit in ira misericordias suas? & dixi nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelsi meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis* (sive mandatorum observatione) *exercebor.* hic nimirum est effectus timoris, quem pœnitens David nos docet, & qui ad veram pœnitentiam requiritur, ut peccator non tantum doleat, non tantum speret, & amet, sed timeat, ut hic timor illi sit stimulus & frænum non peccandi amplius, hic timor debet causare, ut pœnitens ambulet solicitè. Matth. 7. v. 14. ait Salvator noster, *arcta est via quæ ducit ad vitam.* Hæc via, impio est via pœnitentiæ, ideò oportet ambulare timidè. quò altior est mons, quò majora in illo præcipitia, quo viæ sunt magis lubricæ, eo timidiùs & cautiùs incedit viator, ne labatur, & quo timidius, eo securius. Pari ratione, ô impii, licet bonus DEUS per pœnitentiam cum Davide animas vestras eruerit ex inferno inferiori, nihilominus adversarius vester novas struit fossas; vias ambulatis difficiles, ideo videte ut timidè incedatis. § 3. *Cum proposito emendationis.*

De Adamo ait S. Chrysost. hom. 9. in Gen. & patet ex sacro textu, fuisse in Paradiso quasi Regem & Dominum animantium; ipsi leones & tigrides ejus pedes lingebant; quamprimùm vero Adam peccavit, excusserunt jugum obedientiæ, imò truculentæ hæ bestiæ suis rictibus & dentibus Adamo ingentem metum incusserunt. Causam peculiarem advertit cit. Chrysost. *Quod autem subiit timor, etiam hoc divinæ misericordiæ maximum argumentum est: nam si postquam homo prævaricatus est, integer illius mansisset honor, & immobilis, haud facilè à lapsu destitisset.* Experientiâ hæc cernimus, raro pœnitentes à lapsu desistunt, nisi timore DEI configantur corda eorum (potest fieri pulchra digressio ad novissima) de verè pœnitentibus ait S. Paulus ad § 4. *Pulcher locus de timore Adami post peccatum.*

Digitized by Google

Galatas 5. v. 24. *Qui autem sunt Christi*, (qui per contritionem & sacramentalem absolutionem, ut nuper dixi, cordi ejus sunt inviscerati) insuper - *carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis suis.* Clavi verò secundum SS. Patres sunt odium peccati, propositum emendationis, & timor Domini. S. Augustinus hîc: *Unde autem crucifixerunt, nisi timore, illo casto permanente in sæculum sæculi, quo cavemus offendere DEUM, quem toto corde, totâ animâ, totâ mente diligimus.* Petrus Abbas Cellensis lib. de conscientia cap. 6. *Nisi timeat conscientia, facinus quodlibet attentat, vel perpetrat.*

§. 5. *Aliud pulchrum simile. Thesauros custodimus cũ timore.*

Pretiosam margaritam, magnum thesaurum invenimus in agro cordis contriti; restituitur nobis gratia sanctificans, qua sub sole nihil est pretiosius; aspergimur sanguine Christi, restituitur nobis annulus charitatis, fiunt corda nostra, quasi gemmea scrinia, in quibus asservatur pretium meritorum Christi. Sic S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium dixit, *Onusta incedis auro*, sed benè monuit, *latro vitandus est*, - *nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. Magnis inimicorum circumvallamur agminibus, hostium plena sunt omnia, caro fragilis - pugnat sola cum pluribus, quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus - nulla est certa victoria - proinde servite Domino in timore.*

§. 6. *Pulcher cõceptus ex mysterio transfigurationis.*

Matth. 17. v. 2. assumpsit Christus D. Petrum, Jacobum & Joannem in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos, facies resplenduit ut sol, vestimenta facta sunt alba sicut nix, in aurata nube, quæ Christum irradiavit; adeò visione hac fuerunt recreati ut S. Petrus exclamârit: *Domine bonum est nos hîc esse*, & nihilominus subdit textus: *audientes discipuli* (vocem scilicet de cœlo, Hic est filius meus dilectus) *ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.* Quid timetis Apostoli? num faciem JESU? faciem illam amabilem? num niveas illas vestes? num illam cœli vocem? pro illis respondet S. Gregor. lib. 1. in cap. 1. Reg. *Unde Petrus, & Iacobus, & Ioannes priùs transformati Domini gloriam viderunt, deinde incusso eis timore ceciderunt, ne elati perderent, quod humiliter assumpti videre meruerunt.* Soleo subinde terrere im-

Digitized by Google

impios terribili illa facie Judicis Christi, quâ aliquando in valle Josaphat pronunciabit sententiam mortis. Sed modo est tempus gratiæ, quo Christus Dominus verè pœnitentibus amabilem monstrat faciem, niveæ sunt vestes, aspersæ tamen guttis sanguinis in signum misericordiæ; nubes sunt roseæ ejus vulnera, ex quibus stillant guttæ gratiarum; nihilominus cum timore cadite in terram, ne per nova peccata perdatis, quod videre meruistis.

Imò quævis anima verè pœnitens & contrita, vel dum à peccatis in confessione absolvitur, fit particeps gloriæ Christi. O venustatem talis animæ! ô niveas vestes! ô aureas nubes depluentes de cœlo; Sed cum timore cadite in terram, ne perdatis quod obtinuistis. Ad Philip. 2. v. 12. ait S. Paulus: *Cum timore & tremore vestram salutem operamini.* Notavit S. Chrysostom. in hac ultima vocula latere plurima similia, quæ ego applico operi pœnitentiæ, ut in illo timorem non excludamus. Experientia docet pręclaros artifices, quò peritiores sunt, eò in exercitio artis suæ esse timidiores & diligentiores, v. g. offertur artifici horologium aliquod cum parvis rotis, quàm illud aperit vel attrahit timidè ne forte aliquid frangat. Aliquis aurifaber tùm maximè est sollicitus, cum præclarum aliquod opus artis suæ componit, artificiosam catenam ex auro, idem videmus in pictoribus & sculptoribus (est locus pro pulchra descriptione) de architecto ait S. Chrysost. *Etiamsi peritus sit, & valdè artificiosus, cum timore tamen & tremore stat,* (in alta turri) *metuens ne ab ædificio decidat. Et tu in sublime ascendisti, cave, cum timore stes, oculum habe vigilantem, ne inde decidas, sunt enim multa nequitiæ spirituales, quæ te dejicere conantur.* Explicant hæc meo judicio aptissimè materiam à me propositam. Exercitium contritionis vel pœnitentiæ, est quasi horologium quoddam; rota est dolor animi, rota est detestatio peccati. Sed quæso attende cum timore, ne denuo per peccatum turbetur, esto timidus. In exercitio contritionis es veluti pictor vel sculptor, ut in corde tuo pingas vel sculpas Imaginem Crucifixi, quæso attende, es architectus (potes locum superiorem S. Chrys. pulcherrimè applicare.) Hic

§. 7. *Alia similia quæ declarant quo timore pœnitens debeat operari salutem.*

Digitized by Google

Hic timor plane necessarius est vero pœnitenti, sine illo nimium divinæ bonitati confidimus, quæ confidentia sæpe est causa novorum lapsuum. Ante octiduum multa dixi de Dei erga impios bonitate, quod multi obstinati peccatores dum audiunt, sentiunt cum Marcione, *quod Deus de sola bonitate censendus sit, quod malum non puniat*, unde effrænis quædam in peccando libertas necessario sequitur. Tertullianus libro 1. in Marc. *Qui Deum non timet, in omnem libidinem ebullit* (est pathetica locutio.)

§. 8. *Sine timore facilis est relapsus.*

Gen. capite 39. nobis proponit hinc ebullientem Ægyptiam, id est, libidine inflammantem, hinc castissimum Josephum. Sed unde illa differentia? advertit illam Theodoret. Serm. 8. de provid. *Non vides*, iniquit, *Joseph*, (ad adult.) *quem ego video. Nam tu quidem affectibus ebria es, ego vero ebrietatem illam non admisi, qui totius machinæ hujus gubernatorem video, hunc ergo videns timore, & metu tangor*. En continentiæ causam! sed de hoc alibi ago latius, modo mihi res est cum illis pœnitentibus, qui confitentur sæpissime, & tamen relabuntur, sæpe ideo, quia Deus bonus est.

§. 9. *Pulcher locus de Josepho & Ægyptia.*

His merito propono quæstionem Tertull. lib. 1. c. 13. *Quis est iste Deus tam bonus, ut homo ab illo malus fiat?* Et S. Maxim. hom. in tradit. symboli. *Videte profunditatem mysterii!* (sive bonitatis Jesu) *peccantium sordes ejus sanguine abluuntur* (per frequentem confessionem) *Hæc autem remissio te ad peccatum nutrit?* ut & hodie ingemiscere possim cum Tertulliano: *Redundantia clementiæ cælestis libidinem facit humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo quoties ignoscitur.* Quasi vero divina Misericordia calcar sit humanæ nequitiæ. Quam hoc sit periculosum, ostendo alibi latissime, modo pro Concionis hujus epilogo, aliquam circumstantiam dolorum Christi D. in Passione, in memoriam illis revoco,

§. 10. *Contra illos qui peccant quia Deus bonus est.*

Proponitur frequenter hæc quæstio, quod tormentum, vel quis dolor salvatoris nostri fuerit omnium atrocissimus; forte aliqui ex vobis statim cogitant fuisse agoniam, vel spineam coronationem, vel crucifixionem. Sed notandum est Christum D. pertulisse duplices dolores, internos in anima, & externos in corpore

§. 11. *Digressio in Passionem.*

Digitized by Google

pore. Internorum, quæ externos superant, varii fuerunt fontes, v.g. dolorum apprehensio, peccatorum agnitio, reproborum prævisio, habuit enim tum præ oculis omnium hominum peccata, omnes peccatores, qui fuerunt causa dolorum. Sed legi aliquando cum stupore, nullos ex his adeò afflixisse animam Christi atque illos, quos prævidit peccaturos ob fiduciam in ejus bonitate. Timete ergo Dominum & cavete ne iterum hunc D. vestris peccatis crucietis & de novo cruci affigatis, nam quoties quisq; graviter illum offendit, de novo quasi illum cruciat atque affligit, ne hoc ergo nos faciamus, juxta doctrinam Ecclesiastici; tanquam à facie colubri fugiamus peccatum, cogitemus nihil esse in hoc toto terrarum orbe, quod animam nostram, qua nihil melius, nihil præstantius; nihil nobilius à Deo nobis est datum, magis maculet ac deturpet, quam peccatũ, nam in anima subdita peccato non habitabit Spiritus sapientiæ. Patet hic quidẽ mihi latus campus excurrendi & disputandi cum iis, qui ob solam fiduciã in Dei bonitate peccant, sed volo hac vice hoc labore supersedere & in alium locum differre, verum hoc unicum tantum fideliter monere volo, ne eorum vestigia insectemur, qui tam pestiferam & saluti animæ tam noxiam doctrinam profitentur, sed potius, &c.

Si hæc Concio videatur brevior: addatur hæc Maxima, Vera pœnitentia, peccatorem totum immutat. *Quod in hoc Auctario variis locis invenies fusius expositum; præsertim in Concionibus de Spiritu S. in feriis Pentecostes.*



CONCIO XVIII.

DOMINICA PALMARUM.

Miserere mei Deus,

Psalm. 50. v. 1

SYNOPSIS CONCIONIS.

OB infinitam Dei & Christi D. erga peccatores misericordiam & bonitatem, nulli peccatori desperandum est, si cogitet de pœnitentia. Si non, perditionem & interitum sibi ascribere debet; non Christo Domino.

§. 1. *Concionis Propositio.*
§. 2. *Christus D. etiam hostibus benefecit.*
§. 3. *Quare Christus D. converterit latronem in cruce.*
§. 4. *Quare Saulum?*
§. 5. *Simile S. Anselmi.*
§. 6. *Peccator conversus, liquefacta crystallus.*
§. 7. *Vt nemo desperet.*
§. 8. *Quid sit gelu, rursum converti in aquas.*
§. 9. *Deus! est spes omnium peccatorum.*
§. 10. *Adest Dominus peccatori, tempore opportuno; dummodo velit converti.*
§. 11. *Si converti nolit, cui sit ascribenda perditio?*
§. 12. *Christus D. mavult animas salvare, quam perdere.*
§. 13. *Vnde impios non punit per se, sed per ministros.*
§. 14. *Epilogus.*

Non

Digitized by Google

NOn spero, Auditores, vobis fore ingratum, si iis, quæ decursu hujus quadragesimæ, de Davide pœnitente in quinque concionibus, vobis proposui, appendicis loco, addam hanc propositionem. Cum Deus Regi adultero, & homicidæ tantam exhibuerit misericordiam, nulli quantumvis gravi peccatori, de venia esse desperandum, dummodo velit converti. Psalmo 50. vers. 1. ait David: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam.* Ex mente SS. PP. & Interpretum regius Psaltes, illam vocavit magnam misericordiam; cujus specimen Deus exhibet, cum gravi peccatori dat gratiam, ut convertatur. Quam cum Deus quavis die, quavis hora, quovis momento, cuicunque peccatori offerat, meritò assero, nulli quantumvis gravi peccatori esse desperandum. *§. 1. Concionis propositio.*

Matthæus refert Evangelista, quod Pharisæi & scribæ coegerint Judæorum concilium, in quo deliberarunt de Christo D. *quomodo perderent eum*, durante hoc concilio, Jesus *recessit inde, & secuti sunt illum multi* (inter illos cœci, claudi, paralytici, &c.) *& curavit eos omnes.* Quærit Abulensis, cur S. Matthæus circumstantiæ temporis tam clare meminerit, & respondet. *Vt non putaretur, quod Christus offensus à Judæis, cessaret eis benefacere, semper enim benefaciebat; & sæpius cum gravius eum persequerentur, abundantius illis benefaciebat. Illuminando cæcos, &c.* In hodiernum usque diem & horam durat & permanet hæc infinita Christi D. bonitas erga peccatores; etsi aliquis David NN. incidat in adulterium; etiamsi aliqui graviter Deum offendant, non tamen propterea Christus D. cessat illis benefacere, imo cum gravius offenditur, abundantius benefacit illo momento, quo convertuntur ad Dominum, & pœnitentiam agunt. Et multis offert gratiam efficacem talis conversionis, ut alii peccatores non desperent. *§. 2. Christus D. etiam hostibus benefecit.*

Quam causam observasse videtur Eusebius Emyssenus in conversione boni latronis, cum ait in homilia de illo: *Sed si bene respicimus, non illi soli hoc beneficium præstitum deprehendimus; nam dum tam insignem reum relaxat, dum tanto debitori, fundit im manis debiti cautionem; humano generi conscripsit securitatem, ut* *§. 3. Quare Christus D. converterit latronem in Cruce.*

 consolatio

consolatio & spes fieret totius populi, absolutio unius desperati; & privatum donum in publicum cresceret beneficium; quare indubitanter credendum est, quod illi latroni ad commendationem fidei suæ, etiam causa spei nostræ, & utilitatis accesserit. Immensa enim Dei nostri bonitas libenter tribuit, quæ aliis concessit (Applica hæc omnia pulchra Davidi pœnitenti, cum affectuosa digressione ad Auditores.)

§. 4. Quare Saulum? Hanc eandem fuisse Dei mentem in conversione Sauli, ipse de se fatetur ep. 1. ad Timoth. cap. 1. vers. 13. *Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Græcus textus sic habet: *ad imprimendum exemplar*; ut in illo veluti lucidissimo speculo ad vivum (utor verbis S. Laurent. Justin.) exprimatur immensa Dei misericordia erga peccatores. *Ideo conversus sum* (inquit S. Anselmus in persona S. Pauli) *ut nemo jam desperare possit, remitti sibi quæcunque peccata, cum ego tantorum scelerum indulgentiam acceperim. Sed unusquisque peccator sibi dicat; si Saulus sanctus est: ego, quare despero? si à tanto medico, tam desperatus æger sanatus est; ego vulneribus meis illas manus non optabo? ad illas manus non festinabo? ut hoc dicerent homines, ideo Saulus, factus est de persecutore Apostolus.* Hæc in persona S. Pauli S. Anselmus, hæc eadem in persona Davidis, & cujuscunque conversi peccatoris, proferre possumus.

§. 5. Simile S. Anselmi. Deinde idem sanctus rem hoc simili exponit. Cum venit Medicus volens sibi famam comparare, infirmum aliquem quærit desperatum, & ipsum sanat. Et si pauperrimum inveniat, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem. Ita & Christus potentiam specialis medicinæ spiritualis suæ, ostendit v. g. in Saulo, in Davide, in latrone, in Maria Magdalena, &c. ut omnes deinceps nossent, eum sanare posse cunctas infirmitates, omnium confugientium ad se. Quid ni talem ægrum sanatum, vel pœnitentem Davidem vocemus exemplar, speculum, imaginem, præconium potentiæ Christi, & infinitæ ejus misericordiæ erga peccatores.

Modum

Modum, quo Christus Dominus, vel Deus sæpe operatur conversionem magni peccatoris, prævidit regius Psaltes Psalm. 147. vers. 17. *Mittit crystallum suam, sicut buccellas; ante faciem frigoris ejus, quis sustinebit? emittit verbum suum, & liquefacit ea.* Ad literam hoc fit, cùm frustum gelu exponimus radiis solis. Sed rem altius exponit S. August. cùm quærit: *Quid est crystallus? multum obduruit, multum congelavit. Non jam sicut nix facile solvi potest. Nix multorum annorum tempore, & serie sæculorum durata, crystallus dicitur.* Quæ verba deinde applicat converso Saulo, & ait: *Ecce crystallus erat Apostolus Paulus! durus; obnitens veritati! clamans adversus Evangelium, tanquam induratus adversus solem. Ecce venit illud crystallum Saulus, post cædem & lapidationem Stephani, duritiâ quâdam stupidus in Christum: petiitque literas à Sacerdotibus, ut undique extirpet Christianos, anhelans cædes: durus est iste, & gelidus contra ignem Dei. Sed quanquam esset durus & gelidus; ecce ille, qui emittit verbum suum; ecce ille, qui tonat de nubibus; qui luce radiis, & fulmine Saulum deturbat de equo; ille, qui clamat, Saule! Saule! quid me persequeris? fervidus de cælo! & ecce! unâ illâ voce, tanta illa duritia crystalli resoluta est;* hoc est, crystallinum cor Sauli liquefactum est, sicut cera à facie ignis; paratum fluere in omnes formas divinæ voluntatis, dum exclamat: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. ℣. 6.

§. 6. *Peccator conversus liquefacta crystallus.*

Sed audite tandem sequelam, quam S. Augustinus infert ex hoc suo discursu. *Non desperetur de crystallo, quanto minus de nive vel de nebula?* Audi vocem quandam crystalli. *Qui primus fui blasphemus* (1. ad Tim. c. 1. ℣. 13.) *persecutor, & injuriosus, &c. misericordiam consecutus sum.* Sed quare solvit crystallum Deus? *Ne de se nix,* inquit S. Aug. *hoc est, alii peccatores desperent;* unde statim clamat ad gentes: *Solvi crystallum, venite nives.* Immensa Dei misericordia, quod aliis concessit, nobis parata est concedere. (Si placet poterit fieri digressio ad Davidem, & ad Auditores.)

§. 7. *Ut nemo desperet.*

Hunc ferè sensum continet versus 10. cap. 37. Jobi. *Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ.* Dum nimirum gelu exponitur radiis solis. S. Greg. M. lib. 37. mor. c. 17. *Aquæ de gelu currunt, cùm duri peccatores convertuntur ad pœnitentiam; gelu in*

§. 8. *Quid sit gelu rursù converti in aquas.*

Digitized by Google

aqua ligatur, cùm torpor interni frigoris cor occupat; an Saulus gelu non erat, qui acceptis epistolis Damascum pergens, in corde fidelium quasi in terra jactata Verbi Dei semina, ne ad perfectionem operum, surgerent, restinguere quærebat. Sed gelu hoc in aquam rediit, &c. Idem factum est in Davide, de quo probabile est, quod cum lacrymis exclamarit: *Peccavi Domine! Miserere Domine!* Et gloriosus Dominus, gloriosus Filius, qui est gloria Patris, gloriosus Nazarenus, gloriosus Jesus! v.g. Saulo, exhibuit misericordiam, ad exprimendum exemplar, sive speculum, in quo luceat gloria potentiæ, & misericordiæ divinæ erga peccatores; Sed cur Davidi? cur Saulo exhibita fuit tanta misericordia? ut nemo desperet; ut nemo dicat cum Caino, Gen. 4. v. 13. *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Ne respondeat B. Petrus Dam. ser. 58. *Mentiris latro, quia major est pietas Dei, quàm quavis iniquitas.* Itaque nulli prorsus peccatori desperandum est. Quintilianus l. 1. c. 10. *Turpiter desperatur, quidquid fieri potest.*

§. 9. *Deus est spes omniũ peccatorũ.*

Psalmo 64. ℣. 10. Regius Psaltes pulchrè insinuat, nulli etiam desperatissimo peccatori de divina bonitate esse desperandum. sic enim ait: *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè.* Opinio quorundam Interpretum est, loqui Davidem de gravissimis peccatoribus; quo posito quærit S. Dorotheus Abbas. *Qui oro, sunt in finibus terræ? qui sunt illi, qui sunt in mari longè, in mari tempestuoso, in præsentissimo periculo miserabilis naufragii?* & respondet, *sunt illi, qui in extrema sunt ignorantia, & perfecta iniquitate*; id est, David loquitur de gravissimis peccatoribus, & nihilominus addit, quod Deus infinitæ misericordiæ, sit spes omnium, quicunque illi sint. O peccatores! licet in mari gravissimorum scelerum, cimba sceleratæ vitæ vestræ jam fere attigerit portas infelicissimæ æternitatis, licet eò res devenerit, ut nihil supersit, nisi ut infelix mors evertat illam cimbam, ut in illa æternùm pereatis; nihilominus, dum tempus est, hodie adhuc convertimini ad Dominum Deum vestrum; agite pœnitentiam, & cum ingenti spe confugite ad misericordiam vestri Salvatoris; & eodem momento aderit, statim exhibebit misericordiam.

Hæc est infinita ejusdem bonitas, quod frequenter tali peccatori, dum nulla spes conversionis superesse videtur, succurrat. Luc. 10. ỳ 30. Descendit quidam de Jerusalem, in Jericho, qui incidit in latrones, qui despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto; & periisset, nisi Samaritanus misericordiâ motus, opportunè accurrens, vulneribus infudisset vinum, & oleum. Hæc historia vel parabola, nobis proponit miserrimum statum peccatoris (describe breviter.) Quid si inter meos Auditores, talis aliquis actu reperiatur, &c. hunc rogo, per infinitam Jesu Christi misericordiam, ut non desperet. Quovis momento, dummodo velimus, bonus Jesus nobis offert vinum & oleum suæ misericordiæ (est locus pro pio affectu, præsertim si velis facere digressionem ad sanguinem Jesu crucifixi, quem offert peccatori, si velit converti.) *Nec opus est nobis multo labore*, inquit cit. Dorotheus; *elaboremus modicum, & multam misericordiam consequemur.* Testis David, &c. Sed!

§. 10. Adest peccatori tempore opportuno, dummodo velit converti.

Superest quæstio nonnihil discutienda. Quid si rebellis & obstinatus peccator adeò vocanti gratiæ adeò reluctetur, ut nolit converti? ut licet audiat tonitrua de morte, de inferno, de æternitate; nihilominus occludat aures; si inquam talis tandem pereat, si præcipitetur in infernum; talis peccatoris interitus & æterna perditio, cui est ascribenda; an sibi ipsi, an Christo Domino? Ne tale aliquid de bonitate Christi D. possimus cogitare; Spiritus S. in sacris literis, variis locis ostendit, nullo modo hoc placere infinitæ Dei bonitati, præsertim Christo Domino, si tandem depositâ personâ Redemptoris, tanquam justus & severus Judex cogatur impium punire.

§. 11. Si peccator nolit converti, cui sit ascribenda perditio.

Matth. 25. ỳ. 34. Christus D. Judex, ad electos ait: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*, &c. ad impios verò se convertens inquit: *Discedite à me maledicti in ignem aternum.* Quærit Abulensis, an non in hac circumstantia, quod primùm ferat sententiâ super pios, deinde in impios, non lateat aliquod mysterium; & respondet: Fecit hoc *ut ostendat propositi sui semper fuisse, potius animas servare, quàm perdere.* Prima Christi D. intentio, quod factus fuerit homo, quod passus, quod mortuus in cru-

§. 12. Christus D. mavult animas salvare, quàm perdere.

AD tristes illas voces & minas Jonæ c. 3. v. 5. *adhuc quadraginta dies; & Ninive subvertetur, surrexit Rex de solio suo, & abjecit vestimentum suum, & indutus est sacco, se subditis videndum præbuit.* D. Ephrem serm. de pœnit. Ninivit. *Pro gloria & honore currus pedibus per urbem incedebat,* (causam advertite) *omnesque ad pœnitentiam impellebat. Humiliter incedebat, & præsidium ipsemet civitatis sibi subjectæ, ut non corrueret, fiebat.* Pœnitentia Principum & Regum prodest subditis. Ob hanc causam, Auditores vobis per hanc Quadragesimam in meis Concionibus proposui Davidem pœnitentem; in sacco, cilicio, & cinere, in strato, non stratum purpurâ, sed lachrymis rigatum; non in regio throno, sed jacentem humi, contrito & humiliato corde, hoc fine: ut nos omnes ad similem pœnitentiam impellat. Qualis verò illa fuerit, qualis nostra esse debeat, audivistis; debet agnoscere peccata, debet esse velox, cor debet reddere contritum, & humiliatum, cum ingenti tamen spe & fiducia in bonitate DEI; hæc tamen omnia non excludunt timorem ne pœnitens denuò facilè in peccata labatur. Heri in Evangelio audivimus suavia verba Christi ad adulteram, *neque ego te condemno;* sed addidit, *jam noli amplius peccare.* Non peccare ampliùs est nobilis fructus dignæ pœnitentiæ. Hoc ostendam hac concione.

§. 2. *Remisso peccato David nihil minus timuit.* Perfecta Davidis contritio, magna ejus in DEI misericordiâ fiducia, ejus in DEUM amor, verbo, vera ejus pœnitentia, de qua hactenus egi, non exclusit timorem, homini pœnitenti planè necessarium. Licet audivisset à Nathan, *transtulit Dominus peccatum tuum,* tamen dixit ps. 118. v. 120. *à judiciis tuis timui,* ps. 54, 6. *timor & tremor venerunt super me.* ps. 118, 120. *confige timore tuo carnes meas.* ps. 89, 8. *posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* mox v. 11. *quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore viam tuam dinumerare.* ps. 5, 8. *introibo in domum tuam* (id est, refugium quæram apud arcam) sed *in timore tuo.* Talia puto Davidem dixisse in corde suo cum in nubibus vidit Angelum Domini igneo gladio percutientem populum suum. De Æygptiis ait ps. 104, 38. *Incubuit timor eorum super eos.* de aquis ps. 76, 17. *viderunt te DEus, & turbatæ sunt abyssi.* de fulguribus eodem psalmo v. 19. *illuxerunt corruscationes*

Digitized by Google

nes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra. Eadem ego dico de Davide, vidit percutientem Angelum irati DEI, & incubuit super eum timor. Vidit evaginatum in nubibus ensem, iminentem Jerosolymæ, & turbata est abyssus cordis ejus. Vidit corruscationes Domini, & commota sunt, & contremuerunt viscera ejus.

Quænam porrò inter hos timores ulteriùs cogitârit, innuit eodem ps. 76. v. 7. *Meditatus sum cum corde meo, - nunquid in æternum projiciet DEVS, - aut in finem misericordiam suam abscindet - aut obliviscetur misereri mei DEVS, aut continebit in ira misericordias suas? & dixi nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelsi - meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis* (sive mandatorum observatione) *exercebor.* hic nimirum est effectus timoris, quem pœnitens David nos docet, & qui ad veram pœnitentiam requiritur, ut peccator non tantum doleat, non tantum speret, & amet, sed timeat, ut hic timor illi sit stimulus & frænum non peccandi amplius, hic timor debet causare, ut pœnitens ambulet solicitè. Matth. 7. v. 14. ait Salvator noster, *arcta est via quæ ducit ad vitam.* Hæc via, impio est via pœnitentiæ, ideò oportet ambulare timidè. quò altior est mons, quò majora in illo præcipitia, quo viæ sunt magis lubricæ, eo timidiùs & cautiùs incedit viator, ne labatur, & quo timidius, eo securius. Pari ratione, ô impii, licet bonus DEUS per pœnitentiam cum Davide animas vestras eruerit ex inferno inferiori, nihilominus adversarius vester novas struit fossas; vias ambulatis difficiles, ideo videte ut timidè incedatis.

§. 3. *Cum proposito emendationis.*

De Adamo ait S. Chrysost. hom. 9. in Gen. & patet ex sacro textu, fuisse in Paradiso quasi Regem & Dominum animantium; ipsi leones & tigrides ejus pedes lingebant; quamprimùm vero Adam peccavit, excusserunt jugum obedientiæ, imò truculentæ hæ bestiæ suis rictibus & dentibus Adamo ingentem metum incusserunt. Causam peculiarem advertit cit. Chrysost. *Quod autem subiit timor, etiam hoc divinæ misericordiæ maximum argumentum est: nam si postquam homo prævaricatus est, integer illius mansisset honor, & immobilis, haud facilè à lapsu destitisset.* Experientiâ hæc cernimus, raro pœnitentes à lapsu desistunt, nisi timore DEI configantur corda eorum (potest fieri pulchra digressio ad novissima) de verè pœnitentibus ait S. Paulus ad

§. 4. *Pulcher locus de timore Adami post peccatum.*

Galatas 5. v. 24. *Qui autem sunt Christi*, (qui per contritionem & sacramentalem absolutionem, ut nuper dixi, cordi ejus sunt inviscerati) insuper - *carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis suis.* Clavi verò secundum SS. Patres sunt odium peccati, propositum emendationis, & timor Domini. S. Augustinus hîc: *Unde autem crucifixerunt, nisi timore, illo casto permanente in saeculum saeculi, quo cavemus offendere DEUM, quem toto corde, tota animâ, totâ mente diligimus.* Petrus Abbas Cellensis lib. de conscientia cap. 6. *Nisi timeat conscientia, facinus quodlibet attentat, vel perpetrat.*

§ 5. *Aliud pulchrum simile. Thesaures custodimus cũ timore.* Pretiosam margaritam, magnum thesaurum invenimus in agro cordis contriti; restituitur nobis gratia sanctificans, qua sub sole nihil est pretiosius; aspergimur sanguine Christi, restituitur nobis annulus charitatis, fiunt corda nostra, quasi gemmea scrinia, in quibus asservatur pretium meritorum Christi. Sic S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium dixit, *Onusta incedis auro*, sed benè monuit, *latro vitandus est, - nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. Magnis inimicorum circumvallamur agminibus, hostium plena sunt omnia, caro fragilis - pugnat sola cum pluribus, quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus - nulla est certa victoria - proinde servite Domino in timore.*

§. 6. *Pulcher cõceptus ex mysterio transfigurationis.* Matth. 17. v. 2. assumpsit Christus D. Petrum, Jacobum & Joannem in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos, facies resplenduit ut sol, vestimenta facta sunt alba sicut nix, in aurata nube, quæ Christum irradiavit; adeò visione hac fuerunt recreati ut S. Petrus exclamârit: *Domine bonum est nos hîc esse*, & nihilominus subdit textus: *audientes discipuli* (vocem scilicet de cœlo, Hic est filius meus dilectus) *ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.* Quid timetis Apostoli? num faciem JESU? faciem illam amabilem? num niveas illas vestes? num illam cœli vocem? pro illis respondet S. Gregor. lib. 1. in cap. 1. Reg. *Unde Petrus, & Iacobus, & Ioannes priùs transformati Domini gloriam viderunt, deinde incusso eis timore ceciderunt, ne elati perderent, quod humiliter assumpti videre meruerunt.* Soleo subinde terrere

im-

Digitized by Google

impios terribili illa facie Judicis Christi, quâ aliquando in valle Josaphat pronunciabit sententiam mortis. Sed modo est tempus gratiæ, quo Christus Dominus verè pœnitentibus amabilem monstrat faciem, niveæ sunt vestes, aspersæ tamen guttis sanguinis in signum misericordiæ; nubes sunt roseæ ejus vulnera, ex quibus stillant guttæ gratiarum; nihilominus cum timore cadite in terram, ne per nova peccata perdatis, quod videre meruistis.

Imò quævis anima verè pœnitens & contrita, vel dum à peccatis in confessione absolvitur, fit particeps gloriæ Christi. O venustatem talis animæ! ô niveas vestes! ô aureas nubes de-pluentes de cœlo; Sed cum timore cadite in terram, ne perdatis quod obtinuistis. Ad Philip. 2. v. 12. ait S. Paulus: *Cum timore & tremore vestram salutem operamini.* Notavit S. Chrysostom. in hac ultima vocula latere plurima similia, quæ ego applico operi pœnitentiæ, ut in illo timorem non excludamus. Experientia docet præclaros artifices, quò peritiores sunt, eò in exercitio artis suæ esse timidiores & diligentiores, v. g. offertur artifici horologium aliquod cum parvis rotis, quàm illud aperit vel attrahit timidè ne forte aliquid frangat. Aliquis aurifaber tùm maximè est sollicitus, cum præclarum aliquod opus artis suæ componit, artificiosam catenam ex auro, idem videmus in pictoribus & sculptoribus (est locus pro pulchra descriptione) de architecto ait S. Chrysost. *Etiamsi peritus sit, & valdè artificiosus, cum timore tamen & tremore stat,* (in alta turri) *metuens ne ab ædificio decidat. Et tu in sublime ascendisti, cave, cum timore stes, oculum habe vigilantem, ne inde decidas, sunt enim multa nequitiæ spirituales, quæ te dejicere conantur.* Explicant hæc meo judicio aptissimè materiam à me propositam. Exercitium contritionis vel pœnitentiæ, est quasi horologium quoddam; rota est dolor animi, rota est detestatio peccati. Sed quæso attende cum timore, ne denuo per peccatum turbetur, esto timidus. In exercitio contritionis es veluti pictor vel sculptor, ut in corde tuo pingas vel sculpas Imaginem Crucifixi, quæso attende, es architectus (potes locum superiorem S. Chrys. pulcherrimè applicare.)

§. 7. *Alia similia quæ declarant quo timore pœnitens debeat operari salutem.*

Hic

Digitized by Google

§. 8. *Sine timore facilis est relapsus.* Hic timor plane necessarius est vero pœnitenti, sine illo nimium divinæ bonitati confidimus, quæ confidentia sæpe est causa novorum lapsuum. Ante octiduum multa dixi de Dei erga impios bonitate, quod multi obstinati peccatores dum audiunt, sentiunt cum Marcione, *quod Deus de sola bonitate censendus sit, quod malum non puniat*, unde effrænis quædam in peccando libertas necessario sequitur. Tertullianus libro 1. in Marc. *Qui Deum non timet, in omnem libidinem ebullit* (est pathetica locutio.)

§. 9. *Pulcher locus de Ioseph & Ægyptia.* Gen. capite 39. nobis proponit hinc ebullientem Ægyptiam, id est, libidine inflammantem, hinc castissimum Josephum. Sed unde illa differentia? advertit illam Theodoret. Serm. 8. de provid. *Non vides*, iniquit, *Ioseph*, (ad adult.) *quem ego video. Nam tu quidem affectibus ebria es, ego vero ebrietatem illam non admisi, qui totius machinæ hujus gubernatorem video, hunc ergo videns timore, & metu tangor.* En continentiæ causam! sed de hoc alibi ago latius, modo mihi res est cum illis pœnitentibus, qui confitentur sæpissime, & tamen relabuntur, sæpe ideo, quia Deus bonus est.

§. 10. *Contra illos qui peccant quia Deus bonus est.* His merito propono quæstionem Tertull. lib. 1. c. 13. *Quis est iste Deus tam bonus, ut homo ab illo malus fiat?* Et S. Maxim. hom. in tradit. symboli. *Videte profunditatem mysterii!* (sive bonitatis Jesu) *peccantium sordes ejus sanguine abluuntur* (per frequentem confessionem) *Hæc autem remissio te ad peccatum nutrit?* ut & hodie ingemiscere possim cum Tertulliano: *Redundantia clementiæ cælestis libidinem facit humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo quoties ignoscitur.* Quasi vero divina Misericordia calcar sit humanæ nequitiæ. Quam hoc sit periculosum, ostendo alibi latissime, modo pro Concionis hujus epilogo, aliquam circumstantiam dolorum Christi D. in Passione, in memoriam illis revoco,


§. 11. *Digressio in Passionem.* Proponitur frequenter hæc quæstio, quod tormentum, vel quis dolor salvatoris nostri fuerit omnium atrocissimus; forte aliqui ex vobis statim cogitant fuisse agoniam, vel spineam coronationem, vel crucifixionem. Sed notandum est Christum D. pertulisse duplices dolores, internos in anima, & externos in corpore

Digitized by Google

pore. Internorum, quæ externos superant, varii fuerunt fontes; v. g. dolorum apprehensio, peccatorum agnitio, reproborum prævisio, habuit enim tum præ oculis omnium hominum peccata, omnes peccatores, qui fuerunt causa dolorum. Sed legi aliquando cum stupore, nullos ex his adeò afflixisse animam Christi atque illos, quos prævidit peccaturos ob fiduciam in ejus bonitate. Timete ergo Dominum & cavete ne iterum hunc D. vestris peccatis crucietis & de novo cruci affigatis, nam quoties quisq; graviter illum offendit, de novo quasi illum cruciat atque affligit, ne hoc ergo nos faciamus, juxta doctrinam Ecclesiastici; tanquam à facie colubri fugiamus peccatum, cogitemus nihil esse in hoc toto terrarum orbe, quod animam nostram, qua nihil melius, nihil præstantius; nihil nobilius à Deo nobis est datum, magis maculet ac deturpet, quam peccatũ, nam in anima subdita peccato non habitabit Spiritus sapientiæ. Patet hic quidẽ mihi latus campus excurrendi & disputandi cum iis, qui ob solam fiduciã in Dei bonitate peccant, sed volo hac vice hoc labore supersedere & in alium locum differre, verum hoc unicum tantum fideliter monere volo, ne eorum vestigia insectemur, qui tam pestiferam & saluti animæ tam noxiam doctrinam profitentur, sed potius, &c.

Si hæc Concio videatur brevior: addatur hæc Maxima, Vera pœnitentia, peccatorem totum immutat. *Quod in hoc Auctario variis locis invenies fusius expositum; præsertim in Concionibus de Spiritu S. in feriis Pentecostes.*





CONCIO XVIII.

DOMINICA PALMARUM.

Miserere mei Deus,

Psalm. 50. v. 1

SYNOPSIS CONCIONIS.

OB infinitam Dei & Christi D. erga peccatores misericordiam & bonitatem, nulli peccatori desperandum est, si cogitet de pœnitentia. Si non, perditionem & interitum sibi ascribere debet; non Christo Domino.

Non

Digitized by Google

NOn spero, Auditores, vobis fore ingratum, si iis, quæ decursu hujus quadragesimæ, de Davide pœnitente in quinque concionibus, vobis proposui, appendicis loco, addam hanc propositionem. Cum Deus Regi adultero, & homicidæ tantam exhibuerit misericordiam, nulli quantumvis gravi peccatori, de venia esse desperandum, dummodo velit converti. Psalmo 50. vers. 1. ait David: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam.* Ex mente SS. PP. & Interpretum regius Psaltes, illam vocavit magnam misericordiam; cujus specimen Deus exhibet, cum gravi peccatori dat gratiam, ut convertatur. Quam cum Deus quavis die, quavis hora, quovis momento, cuicunque peccatori offerat, meritò assero, nulli quantumvis gravi peccatori esse desperandum. §. 1. *Concionis propositio.*

Matthæus refert Evangelista, quod Pharisæi & scribæ coegerint Judæorum concilium, in quo deliberarunt de Christo D. *quomodo perderent eum*, durante hoc concilio, Jesus *recessit inde, & secuti sunt illum multi* (inter illos cœci, claudi, paralytici, &c.) *& curavit eos omnes.* Quærit Abulensis, cur S Matthæus circumstantiæ temporis tam clare meminerit, & respondet. *Vt non putaretur, quod Christus offensus à Judæis, cessaret eis benefacere, semper enim benefaciebat; & sæpius cum gravius eum persequerentur, abundantius illis benefaciebat. Illuminando cæcos, &c.* In hodiernum usque diem & horam durat & permanet hæc infinita Christi D. bonitas erga peccatores; etsi aliquis David NN. incidat in adulterium; etiamsi aliqui graviter Deum offendant, non tamen propterea Christus D. cessat illis benefacere, imo cum gravius offenditur, abundantius benefacit illo momento, quo convertuntur ad Dominum, & pœnitentiam agunt. Et multis offert gratiam efficacem talis conversionis, ut alii peccatores non desperent. §. 2. *Christus D. etiam hostibus benefecit.*

Quam causam observasse videtur Eusebius Emyssenus in conversione boni latronis, cum ait in homilia de illo: *Sed si bene respicimus, non illi soli hoc beneficium præstitum deprehendimus; nam dum tam insignem reum relaxat, dum tanto debitori, fundit immanis debiti cautionem; humano generi conscripsit securitatem, ut* §. 3. *Quare Christus D. converterit latronem in Cruce.*

consolatio & spes fieret totius populi, absolutio unius desperati; & privatum donum in publicum cresceret beneficium; quare indubitanter credendum est, quod illi latroni ad commendationem fidei suæ, etiam causa spei nostræ, & utilitatis accesserit. Immensa enim Dei nostri bonitas libenter tribuit, quæ aliis concessit (Applica hæc omnia pulchra Davidi pœnitenti, cum affectuosa digressione ad Auditores.)

§. 4. *Quare Saulum?* Hanc eandem fuisse Dei mentem in conversione Sauli, ipse de se fatetur ep. 1. ad Timoth. cap. 1. vers. 13. *Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Græcus textus sic habet: *ad imprimendum exemplar*; ut in illo veluti lucidissimo speculo ad vivum (utor verbis S. Laurent. Justin.) exprimatur immensa Dei misericordia erga peccatores. *Ideo conversus sum* (inquit S. Anselmus in persona S. Pauli) *ut nemo jam desperare possit, remitti sibi quæcunque peccata, cum ego tantorum scelerum indulgentiam acceperim. Sed unusquisque peccator sibi dicat; si Saulus sanctus est! ego, quare despero? si à tanto medico, tam desperatus æger sanatus est; ego vulneribus meis illas manus non optabo? ad illas manus non festinabo? ut hoc dicerent homines, ideo Saulus, factus est de persecutore Apostolus.* Hæc in persona S. Pauli S. Anselmus, hæc eadem in persona Davidis, & cujuscunque conversi peccatoris, proferre possumus.

§. 5. *Simile S. Anselmi.* Deinde idem sanctus rem hoc simili exponit. Cum venit Medicus volens sibi famam comparare, infirmum aliquem quærit desperatum, & ipsum sanat. Et si pauperrimum inveniat, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem. Ita & Christus potentiam specialis medicinæ spiritualis suæ, ostendit v. g. in Saulo, in Davide, in latrone, in Maria Magdalena, &c. ut omnes deinceps nossent, eum sanare posse cunctas infirmitates, omnium confugientium ad se. Quidni talem ægrum sanatum, vel pœnitentem Davidem vocemus exemplar, speculum, imaginem, præconium potentiæ Christi, & infinitæ ejus misericordiæ erga peccatores.

Modum

Digitized by Google

Modum, quo Christus Dominus, vel Deus sæpe operatur conversionem magni peccatoris, prævidit regius Psaltes Psalm. 147. vers. 17. *Mittit crystallum suam, sicut buccellas; ante faciem frigoris ejus, quis sustinebit? emittit verbum suum, & liquefacit ea.* Ad literam hoc fit, cùm frustum gelu exponimus radiis solis. Sed rem altius exponit S. August. cùm quærit: *Quid est crystallus? multum obduruit, multum congelavit. Non jam sicut nix facile solvi potest. Nix multorum annorum tempore, & serie sæculorum durata, crystallus dicitur.* Quæ verba deinde applicat converso Saulo, & ait: *Ecce crystallus erat Apostolus Paulus! durus; obnitens veritati! clamans adversus Evangelium, tanquam induratus adversus solem. Ecce venit illud crystallum Saulus, post cædem & lapidationem Stephani, duritiâ quâdam stupidus in Christum: petiitque literas à Sacerdotibus, ut undique extirpet Christianos, anhelans cædes: durus est iste, & gelidus contra ignem Dei. Sed quanquam esset durus & gelidus; ecce ille, qui emittit verbum suum; ecce ille, qui tonat de nubibus; qui luce radiis, & fulmine Saulum deturbat de equo; ille, qui clamat, Saule! Saule! quid me persequeris? fervidus de cælo! & ecce! unâ illâ voce, tanta illa duritia crystalli resoluta est*; hoc est, crystallinum cor Sauli liquefactum est, sicut cera à facie ignis; paratum fluere in omnes formas divinæ voluntatis, dum exclamat: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. ℣. 6. *§. 6. Peccator conversus liquefacta crystallus.*

Sed audite tandem sequelam, quam S. Augustinus infert ex hoc suo discursu. *Non desperetur de crystallo, quanto minus de nive vel de nebula?* Audi vocem quandam crystalli. *Qui primus fui blasphemus* (1. ad Tim. c. 1. ℣. 13.) *persecutor, & injuriosus, &c. misericordiam consecutus sum.* Sed quare solvit crystallum Deus? *Ne de se nix*, inquit S. Aug. *hoc est, alii peccatores desperent*; unde statim clamat ad gentes: *Solvi crystallum, venite nives.* Immensa Dei misericordia, quod aliis concessit, nobis parata est concedere. (Si placet poterit fieri digressio ad Davidem, & ad Auditores.) *§. 7. Vt nemo desperet.*

Hunc ferè sensum continet versus 10. cap. 37. Jobi. *Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ.* Dum nimirum gelu exponitur radiis solis. S. Greg. M. lib. 37. mor. c. 17. *Aquæ de gelu currunt, cùm duri peccatores convertuntur ad pœnitentiam; gelu in* *§. 8. Quid sit gelu rursû converti in aquas.*

 aqua

Hæc est infinita ejusdem bonitas, quod frequenter tali peccatori, dum nulla spes conversionis superesse videtur, succurrat. Luc. 10. ℣. 30. Descendit quidam de Jerusalem, in Jericho, qui incidit in latrones, qui despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto; & periisset, nisi Samaritanus misericordiâ motus, opportunè accurrens, vulneribus infudisset vinum, & oleum. Hæc historia vel parabola, nobis proponit miserrimum statum peccatoris (describe breviter.) Quid si inter meos Auditores, talis aliquis actu reperiatur, &c. hunc rogo, per infinitam Jesu Christi misericordiam, ut non desperet. Quovis momento, dummodo velimus, bonus Jesus nobis offert vinum & oleum suæ misericordiæ (est locus pro pio affectu, præsertim si velis facere digressionem ad sanguinem Jesu crucifixi, quem offert peccatori, si velit converti.) *Nec opus est nobis multo labore*, inquit cit. Dorotheus; *elaboremus modicum, & multam misericordiam consequemur.* Testis David, &c. Sed!

§. 10. *Adest peccatori tempore opportuno, dummodo velit converti.*

Superest quæstio nonnihil discutienda. Quid si rebellis & obstinatus peccator adeò vocanti gratiæ adeò reluctetur, ut nolit converti? ut licet audiat tonitrua de morte, de inferno, de æternitate; nihilominus occludat aures; si inquam talis tandem pereat, si præcipitetur in infernum; talis peccatoris interitus & æterna perditio, cui est ascribenda; an sibi ipsi, an Christo Domino? Ne tale aliquid de bonitate Christi D. possimus cogitare; Spiritus S. in sacris literis, variis locis ostendit, nullo modo hoc placere infinitæ Dei bonitati, præsertim Christo Domino, si tandem depositâ personâ Redemptoris, tanquam justus & severus Judex cogatur impium punire.

§. 11. *Si peccator nolit converti, cui sit ascribenda perditio.*

Matth. 25. ℣. 34. Christus D. Judex, ad electos ait: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*, &c. ad impios verò se convertens inquit: *Discedite à me maledicti in ignem aeternum.* Quærit Abulensis, an non in hac circumstantia, quod primùm ferat sententiã super pios, deinde in impios, non lateat aliquod mysterium; & respondet: Fecit hoc *ut ostendat propositi sui semper fuisse, potius animas servare, quàm perdere.* Prima Christi D. intentio, quod factus fuerit homo, quod passus, quod mortuus in cru-

§. 12. *Christus D. mavult animas salvare, quàm perdere.*

cruce fuit, ut electi omnes fiant salvi; ideoque primo loco illis pronuntiat amabilem sententiam æternæ felicitatis; Quod impii detrudantur in infernum, hoc fit præter ejus voluntatem; libentius enim servasset, quàm quod cogatur perdere; ideoque ultimo loco fulminat terribilem sententiam æternæ damnationis.

§. 13. *Vnde etiam impios non punit per se, sed per ministros.*) Math. 22. cap. ℣. 13. Rex potens fecit nuptias filio suo; visitans suos hospites, reperit unum sine veste nuptiali, & statim *ait Rex ministris, ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Eleganter hic Joannes Cluniacensis serm. 51. *Cùm sit ipse potentissimus & fortissimus Rex, non per se in tenebras mittit, sed jubet ministris, ut mittant.* Sic est: bonus ille Jesus, qui tanta pro nobis passus est, ille non intendit, ut nos perdat; sed ut servet. Si verò induratus peccator tandem illum cogat, & quodammodo vim inferat, ut puniat; saltem per se id non vult facere; sed tradit infernalibus ministris, ut ipsi fatalem damnationis sententiã, in omnẽ æternitatem exequantur. *Vt sciamus*, ait glossa in cap. 18. in Gen. *Deo, benefacere, jucundum & placitum, propriè esse; Vlcisci verò Deo esse ingratum.* Quid enim? an cogitatis, Christo D. esse gratum, si cogatur damnare animam, pro qua sanguinem sudavit, pro qua mortuus in cruce? blasphemium hoc esset cogitare. Dum sanguinem sudavit, intentio ipsius fuit, salvare animas, &c. (est locus pro pathetico affectu.)

§. 14. *Epilogus.* Finem Concioni imponat Anastasius Sinaita l. 2. de rect. fid. dog. ubi quærit, quare Deus converterit Davidem; quare Christus D. solo aspectu Petro excusserit lacrymas; quare converterit latronem; quare Vulnera obtulerit Thomæ; quare immutarit Saulum, & respondet: *Super his longanimiter egit Deus: nullum istorum volens perire, sed ut omnes ad pœnitentiæ portum se reciperent. Vt propter hanc sapientem Dei dispensationem, nobis quoque sperare liceat, nos consecuturos felicem vitæ exitum, dum & illi ad salutem pervenerunt.* S. Basilius in persona Christi. *Non tam exiguum benignitatis meæ pelagus est, ut licet inundent facinorum torrentes, in angustum adducatur.* (Fiat affectuosus epilogus, cum digressione ad sanguinem Christi, &c.)

CON-

Digitized by Google

CONCIO XIX.

HISTORIA PASSIONIS IN DIE PARASCEVES.

Passio Domini nostri Iesu Christi.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de citatis verbis, *Passio D. N. Iesu Christi*; de ejus tristitia in horto, de sanguineo sudore.

§. 1. *Paucula hæc verba,* Passio, *&c. continent in se gravissima mysteria & paradoxa.*
§. 2. *Quis illa capiat.*
§. 3. *Prophetæ horruerunt illa prædicare, & prædicere.*
§. 4. *Indigent proinde explicatione.*
§. 5. *Tristes Christi in horto cogitationes, ob imminentem Passionem, & Mortem.*
§. 6. *Tristitia Animæ causavit defectum virium in corpore.*
§. 7. *Vnde angustia Christi in horto?*
§. 8. *Conturbatio Cordis ejus.*
§. 9. *Viva imaginatio pœnosæ mortis, est gravior ipsa morte.*
§. 10. *Multo magis in Christo D.*
§ 11. *Ingens causa ingentis doloris, fuerunt nostra peccata.*
§. 12. *Eadem Christo D. fuerunt grave spectaculum.*
§. 13. *Ruben quomodo fuerit præcipua causa doloris in parente Iacobo.*
§. 14. *Quæ applicantur Christo D.*
§. 15. *Tristitia expressit illi sanguineum sudorem.*
§. 16. *Sudavit sanguinem. 1. In bonum universi.*
§. 17. *Apostrophe ad peccatores.*
§. 18. *Sanguis hic fuit diluvium misericordiæ.*
§. 19. *Pluvia benedictionis.*
§. 20. *Alia Apostrophe ad peccatores.*
§. 21. *Pro quibus Christus D. ita laboravit.*

Passio Domini nostri Iesu Christi.

§. 1. *Paucula haec verba Passio D. N. I. C. continent gravissima mysteria & paradoxa.*

PAuca verba! sed plena mysteriis & Sacramentis. Abreviatus titulus; sed surculus & origo longissimorum discursuum & multarum cogitationum. Paucæ & breves voculæ! quãtum apparet claræ, sed quæ in se comprehendunt mirabilia & incomprehensibilia paradoxa! Deus in obscura nocte apparens Samueli l. 1. Reg. cap. 3. vers. 11. dixit. *Ecce ego faciam verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus*; quẽ versum Lyranus sic legit: *faciam factum, quod quicunque audierit, erit attonitus præ admiratione & stupore.* Sed quod fuit illud factum tam insolitum, tam stupendum & extraordinarium? respondent Interpretes: *Hoc dicitur de captione arcæ Domini futura, quia tale factum nunquam acciderat in Israel; fuit enim magna admirationis materia, quod Deus permisit arcam capi, ab infidelibus, quæ tantæ reverentiæ erat, quod si videretur discooperta à Levitis, & Dei cultoribus, moriebantur.* Sed si captio arcæ tantam causat admirationem, quis sufficienter stupebit, qui audit, & intelligit hæc verba, *Passio Domini nostri Iesu Christi.* Hoc est, v. g. Christus verus & vivus Filius DEI! Christus, in cujus corpore, veluti sanctissima arca Divinitas habitavit & habitat corporaliter, veluti latro captus est à turpissimis scurris! ligatus

Digitized by Google

ligatus vinculis, oneratus catenis! Nonne hoc est factum, quod quicunque audit, tinniunt ambæ aures ejus? nonne hoc est factum, quod quicunque audit, hæret attonitus præ admiratione & stupore. Unicum hoc verbum, *Passio*; qualia continet paradoxa? Deus omnipotens ligatus vinculis! tam stupendum factum hoc est, ut Tertullianus bene dixerit contra Marcionem cap. 5. vers. 46. *Sunt plane* (hoc est, mundo videntur) *stulta, quæ pertinent ad contumelias, & passiones Dei*: Sed tamen verissima! nonne merito nobis tinniunt aures, dum audimus; *Passio Christi*; hoc est, Christus verus Deus & homo, cujus caput in cœlis coronatur stellis, in terris fuit coronatum spinis: *Passio Christi*: hoc est; Christus verus Deus & homo, qui portat mundum, corruit in terram sub onere Crucis! (hoc modo affectuosa poterit fieri inductio præcipuorum mysteriorum passionis) Nonne hæc tam sunt stupenda, ut Marcion cum suis asseclis claris verbis exclamaverint, *Non credimus! stulta sunt. Deus flagellatus! pudendum est, Deus crucifixus; pudendum est, ineptum est*: ita perfidi Marcionistæ: Nos credimus quidem sed permittit fides ut tam insolitum factum stupeamus & admiremur, permittit nobis fides, ut dicamus cum S. Bern. de pass. Dom. c. 4. *O Deus Deorum, quantum ergo derogatum fuit libertati & potentiæ tuæ? Tot ligaris vinculis, qui solus ligandi & solvendi potestatem habes?* simul tamen memores esse debemus dicti Origenis: *Volens tradidit se ad vincula, soporans in se Divinitatis virtutem, & acquiescens ut alligaretur!* - imo ut flagellaretur, &c. *Propter misericordiam suam ligatus est, ut nos à miseriis nostris faceret absolutos*, inquit cit. S. Bernard. Et Sanct. Chrysostom. hom. 8. in Joannem. *Non adeo suam spectavit dignitatem, ut nostram salutem.* Et iterum breviter, sed elegantissime Tertullianus; *Quodcunque Deo indignum est*, (vel nobis videtur) *mihi expedit.* Glossa versus 35. capitis 23. S. Lucæ. *Hæc omnia sustinuit pro nostra salute*, ita est! nihilominus

Quis sine stupore & admiratione audire potest hæc verba, *Passio D. N. Iesu Christi*? Breviter S. Aug. tract. 2. in Joan. *Quis capiat? Verbum Caro factum est*; an non majori ratione dicere possumus; §. 2. *Quis illa capiat.*

sumus; Ideo Verbum vel Christus, vel DEUS homo passus est atrocia. Sudavit sanguinem: Quis capiat? (hoc modo fieri potest pulchra inductio) me quod attinet, dico libenter cum S. Bernardo: *abyssus inperscrutabilis! & in quo hauriam non est mihi.* Enimverò, humani ingenii vires consulere, quomodo in passione Majestas Christi Domini adeò potuerit supprimi, quomodo ejus gloria ita obscurari, præsumptuosum est. Ad rationis argutias confugere, cum altitudo ita fuit humiliata, immensitas ita coarctata, temerarium est. Facundiæ rivos aperire, quomodo æternitas potuerit tempore claudi; infinitas certis limitibus circumscribi, & gloria obscurari: hoc est, quomodo homo DEUS, potuerit sudare sanguinem, flagellari, &c. arrogantis est.

§. 3. Prophetæ horruerunt illa prædicare, & prædicere.

Hujus mentis fuit Isaias, cap. 53. vers. 2. passionem Christi prædicit his verbis: *Non est species, neque decor, neque gloria. Despectus est & abjectus inter viros, & vir dolorum, & expertus infirmitatem; & abscondebamus faciem ab eo, despectus & non reputavimus eum.* Talia à Spiritu S. illi fuére repræsentata in spiritu, & advertit benè, se talia de futuro Messia debere prædicere & prædicare; verùm ideò argute Domino proposuit hanc quæstionem, cap. 53. vers. 1. *Domine, quis credidit*, alii legunt, *quis crediderit*, alii, *quis credet? auditui nostro*, hoc est: *Quis credet passionis mysterio, quod ego & alii prophetæ audivimus à Spiritu S.* Ex mente Lyrani & Oleastri Isaias voluit dicere: *Tam ineffabilia, & incredibilia sunt, quæ Dominus pro nostra salute passus est, ut vates ejus ea prædicere vereantur; timentes, homines fidem iis quæ dixerint, non habituros.* D. Bernard. Sen. t. 2. in Parasceve. *Eorum memoria stuporem immensæ dilectionis DEI erga nos manifestè ingerit menti.* Hæc ineffabilia mysteria involvunt hæ binæ voculæ, *Passio Christi.*

§. 4. Indigent proinde explicatione.

Act. 8. v. 3. dixit S. Philippus Eunucho, cum legeret locum illum Isaiæ, *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit*, cum inquam Æthiops hæc legeret, S. Philippus dixit: *Putasne intelligis, quæ legis?* & ille:

Quo-

Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi. Quæso vos ego Auditores, putatisne vos intelligere has paucas voculas, *Passio Domini nostri IESV CHRISTI.* Ne cum Æthiope mihi respondeatis, *quomodo id fieri possit*, conabor hac concione præcipua passionis mysteria fusius explicare. Hoc tamen moneo, Cogitate illa mysteria esse sanguineas rosas; ego ero apicula, ut ex illis dulcissimum hauriam succum, sive mellea verba, quibus passionem Christi cupio vobis explicare.

Tristitia Christi Domini in horto.

Postquam Christus Dominus in monte Oliveti ingressus fuit hortum, in quo solitus fuerat orare, cœpit pavere, & tædere, & dixit ad discipulos: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Qualis fuit Sophar apud Job. cap. 20. vers. 2. *Cogitationes meæ variæ succedunt sibi & mens in diversa rapitur.* Cogitationes Christi in sua agonia in monte Oliveti quis poterit satis explicare? D. Thomas 3. p. q. 46. art. 6. illas revocat ad duo genera, dum ait. *Christus doluit pro amissione vitæ temporalis, & pro pecatis omnium hominum.* Dulcissimum cor JESU, & & serenissimam ejus faciem turbarunt ideæ crudelium instrumentorum, à quibus cernebat sibi infligenda gravissima tormenta; cogitatio v. g. de vinculis & catenis mox injiciendis: cogitatio de flagellis, cogitatio de spinis, de clavis, de Cruce, &c. Tales inquam cogitationes sibi succedentes, & tristes ideæ mentem Christi rapuerunt in diversa! Cor JESU, phantasia, & intellectus ejus, fuerunt serena instar cœli, sed obscurarunt illud densæ nubes, in quibus veluti speculis JESUS clare fuit intuitus, Pharisæos, Sacerdotes, Principes populi, plenos furore & rabie contra suam personam, quorum potestati, videbat se post paucas horas tradendum. Cernebat in calice passionis fel & acetum, quo sciebat se potandum. Jam audiebat blasphemias, calumnias, maledicta, & tristes voces: *Crucifige!* jam sentiebat sputa & alapas! Quidquid in historia passionis est horridum, quidquid crudele, quidquid tormentorum, quidquid ignominiarum, jam illi obversabatur ob oculos! O tristes!

§. 5. Tristes Christi D. in horto cogitationes.

Digitized by Google

ô varias cogitationes, imaginationes, phantasias, in corde, in memoria, in phantasia, in intellectu JESU sibi succedentes, quæ ita illum contristârunt, ut dixerit: *Tristis est anima mea, &c.*

§. 6. *Tristitia Animæ causavit defectum viriũ. in SS Christi Corpore.* Ab his umbris, ab his phantasmatibus, ideis, & speciebus, sanctissima Christi Anima (per ingens miraculum) ita fuit turbata & contristata; ut retrahens vires corporis ad benedictissimum cor, necesse fuerit, pallescere faciem, caligare oculos, languescere universa corporis membra. Inde cœpit gemere, suspirare, anhelare, flere, plorare, sudare, timere, tœdere, pavere; & tandem procidere in faciem suam; *Nam* (inquit P. Corn. à Lap. in c. 26. S. Matth.) *prævidebat Christus omnia & singula tormenta, ac vivaciter dolorum singulorum magnitudinem, & acerbitatem penetrabat; ut sibi jam illa pati videretur; quæ apprehensio, tantam ei tristitiam, & angorem intulit, ut gemeret, tremeret, langueret, pallesceret, viribus deficeret, & penè concideret; imò sudaret & sanguinem.* De quo postea.

§. 7. *Unde Angustia Christi in horto?* Cap. 15. v. 14. dixit Job de impio. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem, qui præparatur ad prælium.* Rabi-Sachadi sic legit: *sicut ille qui præparatur ad rotam*, quas voculas alii non tantum intelligunt de supplicio rotæ, in qua reus confractis ossibus occiditur; sed etiam de curru, in quo talis reus ad ignominiam, & majorem confusionem prius circumducitur per urbem; unde alii legunt, *sicut qui præparatur ad circumvolutationem*, quod fieri solet, cum ingenti miseri hominis confusione. Sine dubio talem terret atrox supplicium; vallat illum angustia; sicut illos homines, qui damnantur ad orbem (hoc est, prout sentit Pineda) quibus caput inter genua & manus atque pedes ita ligantur, ut efficiant orbem, adeoque inter gravissima tormenta movere se non possint. Qui discursus supponit vivam gravium tormentorum & mortis imaginationem, & apprehensionem; idem esse, ac jam pati, jam mori! Quo sensu verba Christi, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Abulensis ita explicat: *Ego ita tristis nunc sum, acsi realiter occiderer* (acsi realiter flagellarer, &c. potest fieri pathetica inductio) *aut quolibet cruciatu plecterer.* Addit Cassianus: *Aliorum hominum tristitia non sunt*

Digitized by Google

usque ad mortem; quia nullus adhuc vivens, dolorem mortis experiri potest; at Christi tristitia usque ad mortem fuit, quia antequam moreretur, dolorem mortis novit. Addo tandem, quod præcipuè in citato Jobi versu notandum est, quid nimirum fuerit tristitia & agonia Christi in horto; sive, cur Salvator noster tam fuerit tristis? cur agonizaverit; præparavit se tandem ad ebibendum calicem Passionis, præparavit se ad catenas, alapas, &c. præparavit se ad flagella & spinas; præparavit se ad circumvolutionem ad diversos judices; præparavit se ad clavos, ad mortem Crucis. Resolvit se tandem, *In omni bono humano pati,* inquit D. Thomas, sive consensit in pœnosam & ignominiosam captivitatem, consensit illudi, flagellari, &c. Quid miramur? potius compatiamur, quod terruerit eum tribulatio, quod vallaverit angustia Regem! Regem gloriæ! Regem immortalem, &c! præparatum ad tam atrocia tormenta? quid miramur eum dixisse, *Tristis est, &c.*

Psalmo 54. v. 3. in persona Christi ait regius Psaltes, *Contristatus sum in exercitatione mea & cor meum conturbatum est in me.* Vel, in tota vita mea, vel in omnibus meis actionibus & occupationibus; inter quas præcipua fuit oratio, meditatio, contemplatio: unde Symachus cit. versum sic legit: *in meditatione mea, cum mecum ipse loquerer;* sive, cum cogitavi, num in opere acceptanda passio, &c. *Cor meum conturbatum est;* sive, *dolet in medio mei, labascit, trepidat, contremiscit præ dolore.* Hanc enim conturbationis, timoris & tristitiæ subdit causam, *formido mortis cecidit super me, & contexerunt me tenebræ.* De regio Psalte ait Bessæus: *Præviderat imminentem tempestatem, & gravem tristitiæ nimbum, regius ille Vates, cum dixit: Cor meum conturbatum est.* Idem de Christo D. dicere debemus: *Prævidit, &c.* ideo, adeo fuit conturbatus, ut dixerit: *Tristis est, &c.*

§. 8. Conturbatio Cordis in IESV.

Nam ut Jansenius advertit: *Angor, qui corripere solet contuentes animo mortem imminentem, solet esse gravior ipsâ morte* juxta S. Chrysost. serm 147. *Pavore, mors ipsa levior, Cain, ubi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petiit; requiem credidit, si periret. Elias ubi sensit toto se timore aspergi, repetebat, quam fugerat, mortem, melius existimans morti succumbere, quam timori.*

§. 9. Viva imaginatio pœnosa mortis est gravior ipsa morte.

Et Ho-

Et Homil. 24. de variis S. Matthæi locis. *Major est pœna dilata, quam subita, molestius supplicium, quod præmisso terrore differtur, gravior pœna, quæ ad hoc tardat, ut diutius feriat, subita enim cito percutiunt, dilata fœneratam pœnam restituunt.* Et Poëta, *Mitius ille perit subita qui mergitur unda, Quàm sua qui liquidis brachia lassat aquis.*

§. 10. *Multo magis in Christo D.* Si imaginatio in homine tantum potest causare dolorem, quid cogitamus contigisse in Christo Domino; *Cujus intellectus humanus.* (seponamus, Divinum) *perspicacitate, omnium Seraphinorum intellectum vincebat?* ob quam proinde omnes circumstantias instantis Passionis omnia tormenta, &c. clarissime fuit intuitus. *Certe tam horribilis in anima ejus fuit sensibilis imago mortis, ac mentis admirabilis agonia, quod sicut Lucas refert, factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram,* ait D. Bernardinus Sen. Revelatio facta S. Brigittæ à Christo D. ita habet. *Sicut sanguis infirmi in omnibus venis siccatur, & consumitur, sic ex dolore naturali mortis, sanguis meus consumebatur.* Cajetanus. *Quilibet tristatur cogitans se moriturum, & mæror corrodit membra.* Pessimum, terribilissimum & maxime horridum, quod habet mors, est dispositio, imaginatio, & præparatio ad mortem. Hoc expertus fuit Christus D. quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Sive, *Tanta premitur mæstitudine cor meum, ut major vix æstimari possit.* Pineda ait. *Vis mortis, omnia, quæ insederant intimo Cordi; per summam violentiam convulsit.* L X X. *Rupti sunt articuli Cordis ejus.* Unde D. Bern. de pass. Dom. cap. 37. ait. *scisso igitur Corde interius, scissa est exterius pellis mei Salomonis, & effusus est sudor sanguineus super terram factusque in agonia procidit in faciem.* Et ter. 6. in Parasceve: *Angustias cordis tui,* (O bone Jesu) *certissimè indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore, de carne tua sanctissima guttatim decurrebat in terram.* Hic ergo fuit primus fons immanis tristitiæ in Christo D. Viva apprehensio instantis Passionis, & imaginatio tam terribilis mortis.

§. 11. *Ingens causa ingentis* *Doluit*, inquit S. Th. *pro amissione vitæ temporalis, & pro peccatis omnium aliorum*, quorum turpitudo, atrocitas, malitia, magnitudo

gnitudo, multitudo fuerunt iterum densissimæ nubes, quæ, ut lunam terræ umbra obscurat; sic Christi animam peccatorum nostrorum obscurissimæ umbræ, crassissimæque nubes, tristitia obscurarunt. Dum itaq; benignissimus Jesus cum Jeremia c.23.v.14. *Vidit similitudinem adulterantium.* Vel juxta LXX. *dum vidit horrenda*, juxta lectionem hebraicam, *Portenta, monstra!* juxta Pagninum, *Tetra, fœda!* non est mirum quod turbatum fuerit cor ejus. Ethnici Oratores & Philosophi excogitarunt Furias, armatas facibus, flagellis, cultris, à quibus conscientia impii uritur, flagellatur & dilaniatur. Has furias alii vocant *Umbras*, qualis illa fuit, quæ parricidæ dies, noctesque adhæsit, cum molestissimis vocibus. *Occidisti! Vindicta! Occidisti! Vindicta, Sanguinem effudisti, sanguinem reposco!* Cum Christus D. questus fuerit se in Passione fuisse circumdatum à canibus & vitulis, obsessum à tauris & leonibus; ego non verebor dicere, eundem in agonia montis Oliveti à similibus umbris & spectris fuisse turbatum. Fortassis una, armata spinis illi dixit; *Sanctus es, innocens es ô Fili Dei benedicte!* Verùm, itane est, quod in te ex infinito amore erga peccatores, eorundem scelera, v. g. superbiam susceperis, ut rigori Divinæ Justitiæ pro illis satisfacias? Vindictam posco! spinis coronaberis! sanguinem exposco, & divinum sanguinem, ut tam turpis scelerum lues in impiis deleatur. Fortassis umbra alia, armata clavis & Cruce, obmurmuravit; JESU Fili DEI statne etiamnum animo, Cœlesti Patri condignum offerre pretium pro tam horrendis sceleribus, quibus scelesti mortales, infinitam ejus Majestatem spreverunt, & quasi pedibus conculcarunt? Vindictam postulo: conculcaberis pedibus, his clavis affigeris cruci, in cruce fundes sanguinem, in Crucis patibulo, inter latrones morieris! (Ecce patheticum locum pro pulchra dilatatione per alia scelera, & alia tormenta Christi patientis!

doloris fuerunt nostra peccata.

Insinuat sacer textus, quod quando Elias igneo curru fuit raptus in cœlum, quod in turbine, tecta fuerit facies ejus, & additur causa. *Quia cernere peccatores.* (D. Bas. Seleuc.) *erat illi grave spectaculum.* Cum vero certum sit, Christum D. clarissime fuisse intuitū omnes peccatores, & singulorum peccat. omnia scelera in specie

§. 12. Eadem Christo D. fuerunt grave spectaculum.

& individuo, facile conjicere possumus, qualia spectacula! quam fœda, quam tetra, quam pudenda, contabescere fecerint cor Jesu! Insinuavi superius, Cainum ob unum fratricidium ita fuisse turbatum, ut tremuerit, &c. Quo timore obrutus fuerit innocentissimus Agnus, dum se reum vidit tot scelerum? Certe, *Procidit in faciem suam* (inquit Euthymius) *peccatorum memoriam ferre non sustinens*. De quo questus fuit per Is. c. 1. v. 14 inquiens: *facta sunt mihi molesta, & laboravi sustinens*. Vel ut alii legunt, *Sudare me fecistis sanguineo sudore in peccatis vestris*.

§. 13. *Ruben, quomodo fuerit præcipua causa doloris in patre Iacobo.*

Ex quibus intelligere possumus querelam morientis Jacobi contra filium Ruben, quando dixit Gen. 40. vers 3. *Ruben primogenitus, meus, fortitudo mea & principium doloris mei*, q. d. fili mi! gravia passus sum; fui in laboribus; multas habui causas ingentis tristitiæ! quibus lachrymis non deflevi perditum meum Joseph, quomodo non ploravi, intuens sauguineam ejus tunicam, &c. Verum, doloris & tristitiæ omnium maximæ, causa & principium fuisti tu, Ruben! *Ex eo*, (inquit Rupertus lib. 9. in Genes.) *quia effusus es, sicut aqua ascendendo cubile patris tui; quia verus dolor est de plaga peccati*. Quod S. Chrysostomus confirmat hom. 1. in ep. 2. ad Cor. *Nihil aliud grave, atque acerbum est, quam in Dei offensionem incurrere: hoc sublato, non afflictio, non insidia, non aliud quidquam, prudentem animam, molestia afficere queat*. Sed redeo ad meum discursum; si unum scelus Ruberi adeo afflixit Jacobum, ut moriens ostenderit, sibi id gravius accidere quam ipsam mortem.

§. 14. *Quæ applicantur Christo D.*

Qualis angustia, qualis dolor, qualis tristitia fuerit in Christo D. ob innumeros milliones gravissimorum scelerum, quorum se agnoscebat reum? tanta illa fuit tristitia, ut per regium Psalten dixerit Psal. 87. vers. 4. *Repleta est malis anima mea*, hoc est, (ex mente Lorini) *Mala, quibus repletum se dixit Christus, intelligere possumus non solum approbria, quibus saturandum Ieremias prædixit, sed multo magis totius generis humani peccata, propter quæ, ac iis debitas pœnas & offensam Dei, adeo tristis fuit, ut non nisi morte terminanda videretur*. Ex intimo corde tibi compatior, mi afflictissime Jesu; sed vade! permitte te capi! Est hæc debita pœna

tot

Digitized by Google

tot sceleribus, pro quibus tua charitas vult satisfacere. Vade! ut tota nocte conspuaris, cædaris, & vexeris. Est hæc debita pœna. Vade & flagella, &c. Itaque *hic dolor in Christo*, (ait D. Thom.) *excessit omnem dolorem cujuscunque contriti; tum quia ex majori sapientia & charitate processit, ex quibus dolor contritionis augetur; tum etiam, quia pro omnibus peccatis simul doluit.* Et ideo, *considerata magnitudine & altitudine peccatorum* (S. Hieron.) *& eorum multitudine ex anima Christi exibat infinitus dolor, quia ipse est infinitus, & peccata sunt infinita.* Subdit. *Tot passus est dolores, quot animas amavit, & quot animæ fornicariæ fuerant, erant & futuras esse intellexit.* Potuit itaque dicere cum Jeremia cap. 23. vers. 9. *Contristatum est cor meum in memetipso, & Tristis est anima mea usq; ad mortem, cum posuerit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum.* Hoc est ex mente Pagnini: *Cum Dominus pervenire fecerit ad eum pœnam omnium nostrum. Cogitabat enim omnia, omnium hominum, qui sunt, fuerunt, & erunt, peccata, etiam summè horrēda, & de omnibus intime dolebat, ac si ipse ea patrasset; ut dixerit: Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Sudor ejus sanguineus.

Et hæc tristitia sanguineas illi lachrymas, sanguineum sudorem, sanguin eum dolorem expressit; subdit cit. S. Th. signum doloris intimi olim fuit scindere vestes, hoc fecit Jacob, cum aspexit tunicam Joseph, hoc fecit David, audita morte Absalonis; hoc fecit Jephte, &c. Dum filiam suam Deo immolavit. Ex scissa veste dulcissimi nostri salvatoris, hoc est, apertis omnibus poris sanctissimi corporis, ex sanguineis quæ effluunt lachrymis, advertite magnitudinem doloris. Pomum punicum, cum maturum est, ultro suum scindit & aperit corticem, ut sanguinei ejus pateant carbunculi: Aspicite dulcissimum pectus & cor Jesu! malum punicum est (accurre spōsa! accurrite filiæ Sion! aspicite) maturum est, ad summum pervenere amor & dolor, ecce ut corticē & poros aperit, ut cœlestes effluant carbunculi, ut sanguineus erumpat sudor. *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram.* §. 14. *Tristitia Christo D. expressit sanguineum sudorem.*

Tam insoliti sudoris causas non nihil examinemus. Aristoteles dum agit de causis pluviæ, lib. 1. Metor. ait, *Finis ejus est bonum* §. 16. *Sudavit*

Digitized by Google

Universi. Et dixit benè: temperata pluvia rigat terram, facit virescere herbas, florescere flores, crescere arbores, maturescere fructus; præter alios plurimos affectus nobis proficuos. Idem dicamus de sanguinea pluvia sudoris Christi D. *Finis fuit bonum Universi.* Sed quid assero? sanguineæ pluviæ plerumque fuerunt omina & præsagia magnarum calamitatum. Anno 817. in Francia pluit sanguine, sed post sanguineam pluviam, cœlum horrenda emisit fulmina, quæ atrocia excitarunt incendia. Timete impii! cœlum in monte Oliveti pluit sanguineum sudorem, cavete, ne mox super vos horrenda decidant fulgura & fulmina! Anno 847. tempore Leonis IV. Romæ de cœlo decidit sanguineus imber, quem subsecuta fuit terribilis inundantia Tyberis, cum ingenti damno. JESUS sudat sanguinem; Cavete scelerati, ne insurgant in vos fluctus divini furoris. Similes pluviæ frequenter fuerunt prodroma signa, secuturæ mox famis, pestis & bellorum. Timete impii!

§. 17. *Apostrophe invitans peccatores ad JESUM sudantem sanguinem.*

Ah non! non, non, O peccatores! nolite timere; potiùs accedite ad JESUM sudantem sanguinem! Hic imber! hæc pluvia, nobis promittit veniam & misericordiam! Non funditur hic sanguis; non defluunt hæ guttæ in terram, ut clament vindictam, sed pacem. Bonus JESUS non sudat sanguinem, ut puniat, sed ut parcat. Non ut perimat, *sed ut totum mundum peccatis mortuum ad vitam resuscitet*, ait Glossa, *ideò sudorem suum sanguineum ad terram decurrere voluit.* S. Bernardus serm 3. in Ramis. *Nec solis oculis, sed quasi membris omnibus flevit, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius Corporis lachrymis purgaret.* Finis hujus pluviæ, fuit bonum Universi.

§. 18. *Sanguis hic fuit diluvium misericordiæ.*

Consideremus quæso cum attentione, fructum sanguineæ pluviæ, quæ hac nocte irrigavit terram montis Oliveti, & perpendite, quid inde sperare possimus. Genesis cap. 6. vers. 11. volente DEO *rupti sunt fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt.* Hinc diluvium aquarum, quibus totus mundus fuit submersus. Sed deinde DEUS quasi pœnitens de hoc facto Noe cum pauculis, qui è morte erepti fuerunt,

ait:

Digitized by Google

ait: *Statuam pactum meum vobiscum; & nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis diluvii; neque erit deinceps diluvium dissipans terram.* Quid ais Domine? quid si post annos 100. vel 200. vel pluresvivant mortales, scelesti, impii, imo scelestiores, quam fuerint illi, qui diluvio deleti sunt à facie terræ? an tales non similiter punies? nunquid iterum rumpes fontes abyssi? an non iterum aperies cataractas cœli? ut purgetur mundus? Ita inquit Dominus: *Veniet aliud diluvium*: sed sine vindicta, sine mortalium cæde: Veniet diluvium, quod longè excellentiore modo purgabit mundum, quod faciet, ut non irascatur Dominus. Filius DEI in monte Oliveti aperiet fontes abyssi misericordiæ, aperiet poros sanctissimi Corporis, effluetque sanguinea pluvia; *Hæc est hereditas servorum Domini, & Justitia eorum apud me, dicit Dominus* (prout nobilis discurrit Interpres) *sed unde? nisi ex sanguine CHRISTI profuso? Hic est Redemptionis præmium, hic vita æterna mortalium, & hic felicitas miserorum.* Ita finis, & causa sanguinei sudoris fuit bonum Universi.

Sic fuit impleta prophetia Ezechielis cap. 34. vers. 25. & 26. *Faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra, & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus, & ponam eos in circuitu collis mei benedictionem.* Et quomodo hoc faciet Dominus? ipse respondet: *Deducam imbrem in tempore suo, & pluviæ benedictionis erunt.* Quod hac nocte impletum est, quando sudor CHRISTI JESU in tristitia, & inter angustias mortis, factus est, sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram. *Sudor hic* (ait Bonav.) *rigat terram, ut terra nostri cordis tali pinguedine fœcundetur.* O pluviam benedictionis! O millies benedictas omnes guttulas hujus sanguinei sudoris! quot guttulas effudit, quis illas numerabit? tot Seraphicas opto linguas, ut laudem, ut benedicam, ut adorem, ut amem, JESUM meum sudantem sanguinem in agone tristissimæ Agoniæ.

§. 19. Pluvia benedictionis.

Digitized by Google

§. 10. Apostrophe ad peccatores, objiciens illis ingratitudinē novā causam tristitiæ Christi.

Verùm, ô impii! si salvator vester in sua agonia fuit tristis usque ad mortem! si propter peccata vestra ita fuit angustiatus! si ex infinito amore, & immensa misericordia pro vobis sudavit sanguinem: *Quomodo, oro, lachrymas continere valebitis, aspicientes piissimi Domini guttas sanguinis decurrentis in terram?* Si gutta cavat lapidem, annon tandem guttæ hæ sanguineæ emollient durissima vestra corda! Saxum, ut refert Beda, in quo flexit Christus D. in horto Oliveti, dum oravit ad Patrem, dum guttæ sanguinei sudoris super illud deciderunt, rigatum divino illo cruore, factum est ita molle, ut vestigia genuum in eodem remanserint; & corda vestra, ô duras petras! sanguinea hæc pluvia mollefacere non potest? Sanguis hirci vincit duritiem adamantis, & sanguis Agni Immaculati hoc in vobis efficere non potest? O ingratitudinem! scitote Christum Dominum fuisse tristem usque ad mortem, fuisse angustiatum, &c. sudasse sanguinem; non tantum propter imminentem mortem, non tantum ob peccata nostra; sed vel maximè ob nostram ingratitudinem; dum tantum beneficium, dum ejus sanguinem, &c. tam parvi æstimamus, imo contemnimus.

§. 21. Pro quibus Christus D. ita laboravit.

Unde in persona Christi eleganter cecinit pius ille Poëta:

Non dolor hic meus! ast dolor est amor! hoc doleo unum,
Quod labor hic multis noster inanis erit.

Et clarius Isaias cap. 43. v. 1. *Audite insulæ, & attendite populi de longè. Ego dixi, in vacuum laboravi, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi,* hoc est: in vacuum angustiatus sum, in vacuum sudavi sanguinem, &c. sed cur hoc? nunquid redemptio generis humani feliciter est peracta? nunquid Agnus DEI immolatus in Cruce sustulit peccata mundi? &c. sic est. Verùm hoc quoque verissimum est, illum dici laborasse in vacuum, qui difficilia adhibet media pro obtinendo aliquo fine, quo tamen ob aliorum culpam non potitur. Christus Dominus ex se voluisset omnes salvari, voluisset nullum damnari, optavit omnes mortales liberari à pœnis inferni; ideo pro omnibus laboravit, pro omnibus fudit sanguinem. Sed quia clarè vidit, hoc suo desiderio non faciendum satis, sed damnandos plurimos, propter

hoc

Digitized by Google

hoc doluit optimus JESUS, propter hoc flevit, propter hoc adeò fuit tristatus, ut præ fastidio sudarit sanguinem.

§. 22. Doluit Christus D. se in vanū pro multis laborasse.

Dicere potuit cum Ecclesiastico cap. 2. v. 18. *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi: habiturus heredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit? & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus fui!* Ah quales heredes suorum laborum, sui sanginis habet Christus D. qui in laboribus ejus ita dominantur, hoc est, spernunt labores Christi, despiciunt substantiam gratiæ, quam Christus D. tantis laboribus acquisivit, imo pretium sanguinis pedibus conculcant. Hæc injuria, hæc ingratitudo, &c. prævisa à Christo D. sanguineum sudorem illi expressit, & ad mortem usque contristavit. Deflevit hoc Ezechiel c. 24. v. 12. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo.* Hoc est, ut Divus Hieronymus ait: *Malitia Ierusalem non est purgata per Christum, qui in ea fatigatus est, æstuavit, sanguinemque sudavit.* Vos, Auditores amantissimi, rogo, auribus percipite; ne operite sanguinem ex corpore JESU fluentem, neque habeat in vobis locum latendi, clamantis JESU. Alii legunt, *Nolite operire*, hoc est, dissimulare, sepelire sanguineum sudorem, sed mementote, quod ita Christus nos redemerit. Sed quid hodie agemus in gratiarum actionem? De utroque Tobia, seniore & juniore, cum tandem agnoverunt Angelum Raphaëlem, ait sacer textus cap. 12. vers. 16. *turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam, & prostrati per horas tres in faciem benedixerunt DEUM.* Hoc hodie agamus in monte Oliveti. (est locus pro piissimo affectu, & adhortatione, ut benedicamus JESUM agonizantem, & sudantem sanguinem.)

Oratio Christi Agonizantis in horto.

§. 23. Agit breviter de oratione Christi in horto.

Hæc est una ex præcipuis circumstantiis, quod Christus D. tristis usque ad mortem, &c. confugerit ad orationem. Psalmo 141. v. 1. *Voce mea ad Dominum clamavi*, hic titulus est præfixus: *Oratio David in spelunca*, scilicet cum in gravissimis versaretur angustiis. Hujus puncti in hac concione titulum cupio esse; *Ora-*

Digitized by Google

Oratio Jesu in horto montis Oliveti. Psalmo 141. vers. 5. cum David latitans in spelunca vellet amplificare amplitudinem suæ tribulationis; dixit: *Considerabam ad dexteram, ut videbam, & non erat qui cognosceret me*, tenebatur David undique clausus, & cinctus à militibus Saulis; nullum patebat effugium, nisi hostili hastæ vellet offerre traiiciendum pectus; socii pauci erant lepores, quærentes petrarum rimas; ideò S. Chrysostomus ait. *Hic ostendit ingentem calamitatem, & hostium insidias, & quod omnium difficillimum, nulli erant socii, aut adjutores, hoc est, maxima solitudo, & summa alienatio.* Talem vobis imaginamini Jesum in horto (est locus pro pulchra descriptione) Quid tandem egit David? eleganter ibi S. Chrysostomus. *Hæc calamitas, hæc tribulatio eum Deo familiarem fecit.* O quam ardenter tum in sua spelunca oravit DEUM! quam ardenter clamavit ad Dominum! quibus lachrymis, quibus suspiriis? quibus pleni sunt psalmi. Hoc idem effecit tristitia Christi; hoc effecere ejus angustiæ, &c. Prolixius oravit, ut ab illo discamus, quid agere, quo confugere debeamus in tribulationibus, præsertim dum nos præparamus ad angustias mortis. DEO & JESU sudanti sanguinem, debemus esse familiares, sed nolo modo materiæ, quæ alias sæpe occurrit, diutius inhærere.

Christus D. surgens ab Oratione Iudæ & cohorti procedit obviam.

§. 24. *Quo sensu Christus D. dixerit, Pater si possibile est &c.*

Scimus Christum D. in sua lucta dixisse ad Patrem, *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. Pater si vis, transfer calicem istum.* Alius enim modus redimendi hominem non defuit, ait S. Augustinus, sed cur hæc dixit ille, qui veniens dixit. *Voluntarie sacrificabo tibi*? fortassis mori non voluit, de quo Isaias dixit c. 53. vers. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et qui per Jeremiam dixit c. 12. vers. 7. *Dedi* (scilicet sponte, *ultro volens*, lubenter) *dilectam animam meam in manu inimicorum.* His quæstionibus eleganter respondet D. Thom. in 3. p q. 21. art. 2. *Talia oravit, secundum sensualitatem, in quantum scilicet ratio ejus, exprimebat sensibilitatis affectum, tanquam sensualitatis advocata.* Et S. Bernardin. *Dicendum est, quod tunc pro sensualitate interpellabat ad Patrem, quam statim*

Digitized by Google

tim subdidit rationi, rationemque paternæ supposuit voluntati. Et Cajetan in. S. Lucam: *Non Iesu ignorantis eventum, aut putantis aliter posse evenire, hæc est petitio. Sed agentis inferiorem partem animi, quæ pati horrebat, cui repræsentabatur passio futura ab ipso Iesu cogitante, quæ superventura erant sibi.* Sed, ut Jansenius ait. *Revertens in semetipsum, quod ex hominis persona renuerat, ex Dei suaque voluntate confirmat, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Non, inquit, hoc fiat, quod humano affectu loquor; sed propter quod ad terram tua voluntate descendi. Et talia dicens surrexit, abiitque à loco ubi oraverat.* S. Laur. Justin. *Qualis conflictus! qualis pugna! quale spectaculum! Impellebat spiritus paternus, suadebat ratio, restauratioque cogebat humana. Reclamabat natura passibilis, pœnarum immanitate perterrita &c. In horum medio constitutus tanquam strenuus ac insuperalibis miles carnis non ferens blanditias, spiritus jussa implere curavit. Veruntamen &c. Tali prolatione verborum, talique mentis assensu, palmam obtinuit, hujusque pugnæ celebrato triumpho, ab oratione surrexit.*

Ingeniose ille pictor, depictæ Aquilæ inter fulminantes nubes, inter tonitrua & fulgura apposuit has voculas. Talis aquila ab hoc momēto decursu totius reliquę Pas. fuit Christus D. Ingreditur jam hortum Judas! non pavet. Vincula expediunt milites, nō pavet. Conspirant cum illis potestates tenebrarum! non pavet, sed ait ad discipulos, *surgite eamus*. Et adhuc eo loquēte: *Ecce Iudas unus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi à Principibus sacerdotum, & senioribus populi.* De Decio refert Livius l. 8. dec. 1. *Armatus in equū insiliit, ac se in medios hostes immisit. Conspectus ab acie, aliquando augustior humano visu.* De Christo D. vero ait S. Joan. c. 18 v. 4. *Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, &c.* Lyran. *Hic ostenditur promptitudo Christi ad patiendum, quia non se occultavit: sed magis quærentibus eum obviam ivit. Processit, & dixit eis; quem quæritis?* Cajetan. *ut manifestet, sponte se pati, utque facilius voce propria discernatur à Iuda, cujus facies non tam facile discernebatur, dicit, quem quæritis? tanquam optimum sui signum in nocte exhibens Iudæ cognoscenti vocem ejus.* Cornelius à Lapide: *Christus ultro eis obviam intrepide processit, rogavitque quem quæritis? quasi eos lacessens ad se invadendum.*

§. 25. *Christus D. generosa Aquila.*

Si, quod est probabile, ex corpore Christi, dum hostibus ob-
§. 26. viam ivit, adhuc aliquæ guttæ sanguinis defluxerunt, locum hîc habēt ardentia verba S. Bernar. Ser. *Quantum anima Christi charitatis igne in intimis bulliendo ferveret* (quanta esset sitis, qualis ardor patiendi) *scaturitio sanguinis clarius manifestat & fervidus velut athleta, bulliens amore, & triumphans fortitudine: sciens omnia, quæ ventura erant, occurrit impiis, & implevit, quod deerat dolorum in carne sua.* Denique affectuosissime ait tom. 1. Serm. 52. art. 2. *Considera promptitudinem amoris Christi: Corde manet impavidus, pericula nan timet, quamvis Caro assumpta subdita sit terrori, nihil perhorrescit, cum amor sequatur effectum, qui solum genus humanum à periculis æternis, suis tormentis transitoriis disposuerat liberare: vehemens enim amor cuncta pericula spernit, si prævidet non inanani spe, vota posse sortiri.* Talis spes in Christo non fuit, sed certitudo, itaque certus se redempturum genus humanum intrepidus obviavit Judæ & hostibus.

Quanto ardore obviā ivērit hosti-bus.

Osculum Judæ.

§. 27. Horrendum scelus proditoris Judæ, ex una parte; ex altera inauditum Christi D. ergo scelestū amorem, benignitatem & misericordiam, quis poterit sufficienter explicare? concluso contractu venditionis; cum post absolutam cœnam agni paschalis, & post sumptionem sanctissimi Corporis & sanguinis Jesu, ratus commodissimam adesse occasionem exequendæ proditionis, accepisset cohortem à Pontificibus & Pharisæis; antecedebat eos ad montem Oliveti, Act. c. 1. v. 16. *Factus dux eorum, qui comprehenderunt Jesum; sciebat enim Judas* (Joan. c. 18. v. 2.) *eum locum, quia Jesus convenerat frequenter illuc cum discipulis suis.* In via, præsertim in accessu ad montem Oliveti, & in ingressu in hortum, dixit militibus, Matth. 25. vers. 48. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Vatablus. *Prendite eum, apprehendite, capite, ducite caute.* Textus Græcus. *Securè, tutè, certo: Tenete eum veluti infensissimum hostem, & imperio vestro subiicite; occupate, retinete ne è manibus vestris, ut alias fecit, elabatur.* Sed quamprimum venit in conspectum JESU, aliam induit larvam, discipuli, ser-

Judas Jesum suaviter alloquitur.

vi,

vi, amici; ut faciem, sic & linguam mutavit, nam cum profunda reverentia accedens ad Jesum, dixit, *Ave Rabbi*. In græco hæc vocula duplicatur. *Ave Rabbi, Rabbi. Salve, gaude Rabbi.* Scilicet, *in signum* (ut Cajetan. ait) *majoris reverentiæ & affectus, ut perfecta esset simulatio.* O proditorem! qui *aliud animo occultat, aliud ore profert*. Dum ait, ad Christum D. *Ave*; ad milites autem: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Quid scelestius?* ait Sanct. Laurent. Just. *quid perversius agi potuit? quam auctorem pacis, sub pacis osculo venundari? Inimicus pacem simulando tradebat. Accessit enim ad IESVM, & salutatione dolosa inquit, Ave Rabbi.* Ita *in ore suo* (Jeremias cap. 9. vers. 8.) *pacem cum amico suo* (cum pacifico JESU) *fuit locutus, & in occulto posuit insidias.* Scelerate Juda! proditor infamis! itane fel amari tui animi contra Jesum, tegis sub melle suavium verborum? Itane, ut livorem abscondas, fingis charitatem? Bellum cogitas, & pacem loqueris? mortem vis inferre, & apprecaris vitam. Obisulcam linguam, una ait, *Pereat!* altera, *Vivat.* Una, *sit illi male!* altera, *gaudeat, sit illi bene!* *O amarum Ave, crudele Ave! O letale mulsum!* ait adagium. O mellitum venenum! O sirenem! cui suaviter cantillanti additur hoc lemma, *Ut devores, parum delectat!* Sanct. Epiphanius. *Ut Cain mentitus fratri, velut ex fraterna charitate, ipsum decepit, & per mendacium seduxit, eductumque in campum, elevata manu occidit, sic & proditor Iudas egit cum Christo, &c.*

Quia Christus D. non statim contradixit proditori, factus animosior, post fictam salutationem amplectitur Jesum, ruitque in ejus brachia. Ita hedera accrescit arbori, quā suis foliis quasi amplectitur, sed *amplectendo prosternit*. Alter Joab, l. 2. Reg. cap. 20. v. 9. dum hic ad Amasam ait, *Salve mi frater, tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum, qui percussit eum in latere.* Amplectendo prostravit. Ita Judas, post amplexum, porrigit osculum. *Et osculatus est eum.* O Juda! §. 28. offert amplexum.

Tune (cecinit Sedulius) *cruente, ferox, audax, insane, rebellis,*
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Proditor immitis, fere, proditor, impie latro,

Praevius horribiles comitaris signifer enses
Sacrilegamque aciem, gladiis sudibusque minacem,
Commoveas ori, ora premis, mellique venenum
Inseris; & blandâ Dominum sub imagine prodis?
Quid socium simulas, & amicâ fraude salutas?
Nunquid terribiles, aut pax conjurat in enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit Agno?

(ex his fieri potest acerrima invectiva in Judam) D. Ambrosius in ps. 35. *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo quod sacrae pacis insigne est? osculo, quo amicitia fida servatur, quo fides sancta signatur?* O infamis proditor? illum oscularis, cujus sanguinem sitis? &c. Amoris pignore vulnus infligis, & caritatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas? Servus Dominum, discipulus prodit Magistrum.

§. 29. *Patientia & charitas JESV.* Sed secedamus nonnihil à scelesto proditore, convertamusq; nos ad Christum D. P. Suarez ait: *Hac fuit prima injuria, quam in hoc mysterio Christus passus est, quae sane fuit maxima, in qua ferenda Christus summam patientiam, & caritatem ostendit.* Cum quidem Anchises inter hostes cum gladiis in se irruentes vidit Periandrum, ad illum dixit, *Etiam tu charissime, tanquam hostis gladio percutis, quem usque nunc habuisti patrem & protectorem?* Et Caesar ad Brutum, cum in senatu à conjuratis occideretur, *Etiam tu fili,?* Haec quoque fuit querela Jobi c. 19. v. 19. *Quem maxime diligebam aversatus est me.* Textus hebraeus ait: *Insurrexit in me, quem maximè diligebam, quod maximè dolendum est.* Idem fuit lamentum Davidis psal. 54. v. 13. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu verò unanimis, dux meus, & notus meus, &c. Sustinuissem*, hoc est, esset magis tolerabile. Vel ut Theodoretus ait: *Ea quae ab inimicis fiunt, toleranda, & ferenda censemus; ab inimicis enim haec fiunt. Omnium autem molestissimum mihi videtur, virum familiarem & concordem & consodalem. & convictorem factum, &c. res inimicas & hostiles facere.* Hoc itaq; sensu, id est, plenus compassione & dolore etiam Christus Dominus dixit: *Iudas, osculo filium hominis tradis?* Siccine, osculo simulato, quem confessus es Filium DEI, tradis hosti-

Digitized by Google

hostibus, quem quærunt insontem perdere? Osculo? mediante quo amantes sibi invicem communicant intimos spiritus cordium. *Per osculum transfunditur spiritus osculantis*, dixit S. Ambr. tu tuum odium & rancorem transfundis? Et ita, vim sceleris tui per speciem pacis insimulans traditionis signum, severius omnibus telis præbes? O injuriam! Vener. Beda. *Propter te suscepi, quod tradis.* Nihilominus osculatur, & insidiatur. Amicum se fingit, cùm proditor sit. Hæc ingens fuit injuria, &c.

Nihilominus! O patientiam & caritatem! Christus D. Judam à se non rejecit; non amovit roseas genas, potiùs admovit; & brachia sua amplius extendit ad amplexum; Accedentem ad osculum sanctissimi oris (D. Bern.) *benignissimus IESVS, trucem bestiam aversatus non est; sed os, in quo dolus non est, ori, quod abundavit malitia, dulciter applicuit.* Innocens Agne DEI, quid tibi & lupo illi, sed huic lupo, iste Agnus, sincerum amicumque osculum reddit. dilectionem reddens pro odio. Guarricus Ab. *Amplexus ille, & osculum paternæ pietatis, quid non habet gratiæ & dulcedinis? quid non felicissimi gaudii? quid non sanctissimæ voluptatis?* Cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Quid agebat amplectens & osculans, quid affectabat, nisi illud, ut adhærendo sibi, unus secum fieret spiritus. Sed diabolus possederat cor Judæ. O cœlum! Inter brachia JESU (pulchrè hoc) Judas non voluit converti.

§. 30. *Denique osculatur IESVM.*

Osculo mutuo, amplexibus bonus JESUS addit mellitissima verba, *Amice ad quid venisti?* O cœlum! Judas amicus? Amicus qui odit? amicus? qui prodit, Amicus? qui occidit. Amicus? qui est venditor, latro. Sed suaviter Euthymius c. 65 in Matth. *Amicum vocat in spem veniæ, acsi dicat, si tè, O Iuda, facti pœniteat, veniamque speras, ignosco tibi. Amicus es, teque amicum appello.* Ad quid? hoc tempore intempestâ nocte? ad quid? cum militibus? sed quid quæris mi JESU? venit ut te prodat? ut tradat, ut capiat? sed quid ego hoc quæro ex meo JESU, cui nihil erat absconditum; de quo S. Joannes ait, *IESVS sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit & dixit ei: Amice ad quid venisti?* Dixit autem non tanquam ignorans; sed voluit ostendere peccatum ejus magnum, & omni excusatione privatum.

§. 31. *IEsus Iudā suavissimè alloquitur.*

Digitized by Google

Vel ut Novarinus ait; *Quarit, ad quid venerit, non quia nesciebat, sed quia tantum scelus admirabatur.* Tot beneficiorum donatum, in donatorem insurgere, tam magnum fuit, ut Christum ipsum in admirationem rapere videretur. Verum neque his melleis verbis cor Judæ mollefieri potuit; Jerem. 5. v. 3. *Induravit faciem super petram, & noluit reverti.* S. Laur Just. de triumph. ag. cap. 7. *O Magistri miranda humilitas! O discipuli inaudita crudelitas!* Non enim reatus discipuli latebat Magistrum, & tamen se illum ignorare ostendebat dicens, *Amice, &c.* Proditoris facinus blandâ allocutione tegebat, nolens illius mortem, sed ut magis converteretur ad vitam. Sed! Judas noluit reverti! respuit medicinam! ostenditque verissimum illud dictum: *Homine nulla est fera crudelior*, si quod perturbato animo decreverit, detur illi facultas exequendi. Hæc obtigit Judæ.

Christi D. captivitas.

§ 32. *Furor Iudaeorum, irruentium in Christum*

Itaque dum cohors militum vidit, Judam firmiter hærere inter oscula Christi, juxta datam tesseram; *quemcunque osculatus fuero, ille est, tenete; cohors & tribunus, & ministri Judaeouum comprehenderunt JESVM, & ligaverunt eum; Et iratus est omnium furor contra eum* (Job c. 19. v. 11.) *& sic illum habuerunt, quasi hostem suum.* LXX. sic habent: *Obsederunt in giro insidiantes.* Alii: *Quasi rupto muro, & apertâ januâ irruerunt super illum.* Præ vino iræ, odii & iracundiæ, præ ebrietate & rabie, nescierunt quomodo captivum satis crudeliter tractarent. Circumdederunt illum sicut canes mordentes, sicut leones in sylva dederunt contra illum voces suas. *Aspectus eorum fuerunt quasi lampades*; vel ut Pintus legit, Nahum. c. 2. v. 4. *Babylonici, irâ inflammati,* prius terruerunt facie, quàm vincula injicerent. Unus ex fortioribus, statim tenuit cervicem ejus; reliqui aperientes ora sua, sicut leones rapientes, & rugientes, unanimiter illum comprehenderunt, ut leones apud prædam, ut lupi ad ovem, ut hostes crudelissimi ad inermem, & ad mansuetissimum irruerunt cum magno impetu. De quo Hugo Card. *Tanquam rabidi canes venatici, suique appetentes sanguinis, conati sunt eum capere, ac robore, numeroque praevalen-*

Digitized by Google

lentes irruerunt magno cum impetu, ad sternendum, obruendum, mactandum.

Cum ergo jam mundi salvatorem tenerent, vinxerunt eum, mirabilesque ejus manus, immensis viribus funibus compresserunt, maximo dedecore, acsi latro & mortis reus esset. Dion. Carth. *Ligaverunt Christum duris funibus, fortiter atque crudeliter.* Adeo dirè fuit constrictus, ut in brachiis excrescens tumor, sanguinem ex rupta sub unguibus cute exprimeret. *Sic manus ejus destillaverunt myrrham, & digiti ejus pleni fuerunt myrrhâ probatissimâ.* sic, *comprehenderunt illum dolores mortis*, vel ut hebraicus textus habet: *funes mortis, & funes inferni circumdederunt illum.* Præter illatos ei dolores, in collo funis colligatus est, in quo ob carnis teneritudinem, & propter Judæorum impietatem, non habentium viscera charitatis, & duram impulsionem, vulnera subsecuta fuisse dicendum est. (NB. Cum non meminerim me has circumstantias unquam legisse, vide ut illarum occasione facias patheticum affectum; proponendo laceram cutem colli, & defluentem inde sanguinem. Intinge illi funes mortis & inferni, sive peccata lethalia, &c.)

§. 33. *Vinxerunt IESVM.*

Modus quo captivum & ligatum per torrentem Cedron, & vallem Josaphat adduxerunt in urbem, æquè fuit crudelis & ignominiosus. Describit illum Job c. 30. v. 3. *Illicò insurrexerunt, pedes eos subverterunt, & oppresserunt. pedibus suis prævaluerunt, & non fuit qui ferret auxilium.* Vatablus sic legit: *Cadentem impulerunt, & infelicitatem adjuverunt.* Jacobus de Val. in psal. 21. ait: *Sicut leo rugiens & rapiens trahit prædam in terram, & lacerat, & laniat, ita illum traxerunt cedendo, conspuendo, colaphizando, & capillos evellendo.* In frequenti lapsu, ita facie cecidit in terram, ut dicere potuerit cum Job. c. 30. v. 19. *Comparatus sum luto, & assimulatus sum terræ & cineri, qui pedibus teritur.* Ita, qui sedet super Cherubim, posuit in pulvere os suum. Acclamantibus scelestis Judæis, *En ista est dies* (& nox) *quam exspectabamus: invenimus & vidimus.* Imò, *præ delectatione gloriabantur in his, quæ fiebant, quasi trophæum statuentes,* ait D. Thomas. & plauserunt super eum manibus suis; dum eundem pedibus concul-

§. 34. *Quali furiâ captivum traxerint in urbem.*

ca-

Digitized by Google

carunt. *Ah quis? quis audiat sine gemitu*, ait S. Bern. lib. de Pass. *qualiter homicidas manus in illa hora in te injecerunt, & innocentes manus tuas, bone Iesu, vinculis astringentes, te Agnum mansuetissimum, nihil loquentem, ad instar latronis, contumeliose traxerunt ad victimam.*

Quis noster hic est sensus, Auditores? S. Gregor. Naz. orat. de pace de se dixit. *Equidem ut de me loquar. Quoties hunc libellum in manus sumo, Threnosque lectito, vox mihi intercluditur, lachrymisque obruor, eamq; calamitatem, vel ob oculos positam videre videor, ac Ieremiæ collamentor.* His fere verbis S. Bern. videtur usus in contemplatione Jesu captivi, dum dixit. *Video oculis mentis te Domine IESV duris nexibus astrictum, tanquam latronem duci in urbem Ierosl. Video, & perhorresco, & admiror & admirando deficerem, nisi, quod liquido cognosco, te prius in Corde charitatis nexibus fuisse constrictum.* Et ubi nostri gemitus? ubi lachrymæ? ubi lamenta Auditores! &c. (fiat ex his, & ex tota concione affectuosus Epilogus.)



CON-

Digitized by Google

CONCIO XX.

FESTO PASCHATIS.

Surrexit, non est hic,

Marci 16. verſ.6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHriſtus D. habuit poteſtatem ponendi animam ſuam, quod fecit, dum mortuus fuit in Cruce; & habuit poteſtatem eam reſumendi, quod fecit in glorioſa Reſurrectione; glorioſus ſui à mortuis ſuſcitator. Miſcentur varia de myſterio Reſurrectionis.

§. 1. *Terror dæmonum, deſcendente Chriſto Domino ad inferos.*

§. 2. *Colloquium Adami cum reliquis captivis, & Chriſto Redemptore, cum deſcendit ad inferos.*

§. 3. *Chriſtus D. habuit poteſtatem ponendi animam ſuam hoc eſt, moriendi.*

§. 4. *Et eam in glorioſa Reſurrectione reſumendi; quam nullus adverſarius potuit impedire.*

§. 5. *Maria Magdalena indubitatione de Reſurrectione, illam prædicavit.*

§. 6. *Cur Chriſtus Dominus illi apparuerit in forma Hortulani.*

§. 7. *Cur hic cæleſtis Hortulanus, ſive Ieſus reſurgens ſe vocaverit Roſam.*

§. 8. *Cur lilium convallium.*

§. 9. *Ieſus reſurgens, ſol Oriens & Occidens.*

§. 10. *Chriſtus reſurgens optaret omnes mortuos ſuſcitare.*

§. 11. *Chriſtus D. reſurgens Leo & Leæna.*

§. 12. Apostrophe ad Iesum resurgentem, ut suscites mortuos & cacos peccatores | *§. 13. Benevolus Iesu resurgentis aspectus.*

§. 1. *Terror dæmonum, descendente Christo ad inferos.*

MYsteria illius temporis, quo sanctissima Anima Christi D. à morte in Cruce usque ad horam gloriosæ ejus Resurrectionis demorata fuit in limbo Patrum, eleganter describit Eusebius Emissenus Episcopus homil. 1. de Paschate. *Confestim igitur aterna nox inferorum Christo descente resplenduit; siluit stridor ille lugentium, & catenarum disrupta ceciderunt vincula captivorum, attonita mentis obstupuere tortores; omnis simul impia officina contremuit, cum Christum repente in suis sedibus vidit. Mox igitur ferruginei janitores descendente Christo talia inter umbrosa silentia caci metu incumbente submurmurant. Quisnam, inquiunt, est iste terribilis, & niveo splendore coruscans. Nunquam noster talem excepit tartarus: nunquam in nostra caverna talem evomuit mundus; invasor est iste non debitor; effractor est, vel distractor, non peccator, vel prævaricator: Iudicem videmus, non supplicem: venit jubere non succumbere; eripere non manere.* Quibus ostendit Emissenus, quanto cum imperio ad illas inferorum voragines Christus descenderit, tanquam judex & Dominus mortis, arbitrio mortui, hoc est, cujus cadaver jacebat in sepulchro, obsecundantis. Dum de his & similibus mysteriis in hac concione in honorem gloriosæ Christi Dom. resurrectionis, fusius ago, ut aures animosque vestros ad benevolam attentionem præparetis, enixe rogo. Jesu Redemptori à mortuis gloriose resurgenti sit honor & gloria, in sæcula, Amen.

§. 2. *Colloquium Adami cũ reliquis captivis, & Christo Redemptore cum descẽdit ad inferna.*

Quantus, descendente Anima Christi in limbum, inter dæmones fuit timor & terror, tantus inter captivas animas fuit jubilus & exultatio. Scripsit super hac re, plenam pietate commentationem Sanct. Epiphanius orat. de sepultura Domini, dum proponit sermones, quos contulerunt ad invicem, JESUS ad inferos descendens, & Adamus inter istas tene-

tenebras diu commoratus. Transscribo verba; *Adam ille, qui ante omnes homines primus creatus, primo factus; mortuus, - cum magna custodia in vinculis habitus, inaudivit Domini pedum ad vinctos advenientium, & cognovit sonitum, ejus in carcere deambulantis, & conversus ad omnes, una secum à sæculo vinctos, ait: Sonitum pedum cujusdam audio, qui ad nos ingreditur. Et si omnino ille huc venire dignatus est, nos è vinculis liberati sumus. Si omnino illum nobiscum adesse viderimus, nos è vinculis inferni redimimur. Hæc & alia Adamus ad omnes una secum condemnatos dicente: Ingressus est Dominus ad eos, Victricia arma Crucis tenens; quem cum vidit Adam, præ stupore pectore verberato, exclamavit ad omnes, dixitque, Dominus meus cum omnibus. Et respondens Christus, dixit, Adamo, & cum spiritu tuo. Et apprehensa manu, dixit, Expergiscere qui dormis, & surge à mortuis, illucescet tibi Christus.* Facile est cogitare, quale & quantum fuerit gaudium inter sanctos captivos, toto illo tempore, quo Anima Christi mansit in limbo; quales sermones, quales gratiarum actiones, quæ congratulationes; verbo, qualis, licet in tenebroso & horribili ante loco, inter omnes fuerit jubilus.

§. 3. Christus D habuit potestatem ponendi animam suam hoc est, moriendi.

Summo mane hodierna die, oriente Aurora, illuxit aurea hora, qua impletus fuit sermo Christi, quem Joannis 10. cap. vers. 17. protulerat ad suos discipulos, dum viveret, *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Sed quomodo? Nonne Judæorum improbitas Christum vita exuit, & ei animam abstulit? quomodo ergo nemo tollit ab eo animam, quandoquidem interfectores, & crucifixores animam ejus à corpore segregarunt? Argute respondet sanctus Chrysostomus in catena Patrum Græcorum. *Attendamus ad ea, quæ dicuntur; sic, inquit, potestatem habeo ponendi animam meam, ut nemo me invito id facere possit. Quod in hominibus locum non habet, nam nonnulli ex insidiis, vel nolentibus*

Digitized by Google

nobis eam auferunt. Et quod moriuntur inviti? *Christo autem non ita, etiam insidiis* (& ab inimicis) *circumventus sui juris erat moriendi, nec ne.* Carnifices, crucifigentes JESUM, famulati fuerunt Christo D. voluntariè morienti. Ideò Christus D. & quoad corpus, & quoad animam, nunquam fuit spolium, vel præda mortis, ut reliquis filiis Adæ accidit; imo econtra per mortem Christi mors fuit devicta & subjugata, suisque spoliata armis; unde mors non abstulit animam Christi, sed ab anima illa sanctissima mors fuit spoliata. Hoc est, ut paulatim ad cognitionem mysterii gloriosæ Christi Resurrectionis accedamus, Christus Dominus voluntariè pro nobis posuit animam suam, dum voluntariè in cruce pro nobis mortuus est, ut & mortem extingueret, & Diaboli nervos infringeret, hominemque redimeret.

§. 4. *Et eam in gloriosa Resurrectione, resumendi, quam nullus adversarius potuit impedire.*

Verum, æqua voluntas & potestas in JESU, & deponendo & resumendo spiritum, & voluntaria corporis emortui, & cadaveris jacentis in sepulchro, squalidi, horridi, sanguinei, quale de cruce die Parasceves fuit depositum, vivificatio, & animæ beatissimæ infusio; nova inter animam, & corpus unio; evidens fuit Deitatis ostensio; cum novam vitam, ut sic loquar, vel gloriosam resurrectionem à morte ad vitam, nec mors, nec diabolus, nec infernus, nec tota hostium Christi potestas, potuerit impedire. Genes. 32. cap. fortis Angelus per totam noctem in lucta detinuit Jacobum, donec ille ait vers. 26. *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Et dimisit eum luctator Jacob. Finitâ nocte finitus fuit conflictus, in hoc mystico conflictu fuit occultatum ingens mysterium. Nocturni temporis umbra adumbravit caliginem mortis, cum qua Filius DEI luctari debuit: ad arduum certamen ultrò se JESUS obtulit; putârunt mors & infernus se fortissimis vinculis tenere constrictum cœlestem Samsonem: duravit prælium donec in cruce occubuit; fuit quasi in nocte, quamdiu demortui cadaver jacuit in sepulchro: Anima verò hæsit in limbo; Sed illucescente aurea Resurrectionis hora, nec à morte, nec à diabolo, nec

ab

ab ullo hoste retardari potuit. Eusebius Emyss. hom. 8. de Pasch. *Quod autem dicit ipse Angelus: dimitte me jam ascendit aurora, hoc indicabat, posse eum à morte vinci, non posse à se retineri; sed post illam passionis noctem, promittit illicò esse resurrectionis auroram.* Mors fuit coacta relinquere demortuum corpus, infernus reduci animæ debuit aperire portas, eò quod post noctem passionis, post luctam & certamen cum hostibus suis; illucescente hodiernâ aurorâ, esset hora resumendi animam, quam voluntariè posuerat. Et ita, exacto triduo quo jacuit in sepulchro, dispulsis tenebris ad vitæ lumen remeavit; qui enim venit ad mortis laqueos voluntarius, & in regione mortuorum cum summo imperio commoratus est, expleto tempore sacræ dormitionis, primo solis splendore in Oriente diffuso, inferni nexus compedesque mortis sine cunctatione dissolvit, & in cadaver suum inspiravit flatum & spiritum vitæ, & splendore æterni luminis decoravit: in quo consistit essentia mysterii gloriosæ Resurrectionis. Utinam Spiritus S. hodie in cordibus nostris accendat vivacis fidei lumen, ut in illo cernamus JESUM propriâ virtute suscitatum, & propriâ potestate cadaveri suo infudisse vitam & resurrectiouem.

Hanc Christi Domini potestatem, resumendi animam suam, ignorans laudavit S. Maria Magdalena, dum enim hæreret ad sepulchrum, dum omnia perlustraret, dum quæreret dilectum suum, cum lachrymis & singultibus, Christus Dominus redivivus illi apparet in specie hortulani, qui illi dixit, Joann. cap. 20. versu 15. *Mulier quid ploras? quem quæris? illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum.* O Magdalena, quam loqueris præclarè! cœlesti afflatu correpta, verbis tuis mysterium aperis resurrectionis, & in ignorantia tua, vel potius hæsitantia de ejus certitudine, prædicas Domini potestatem: *si tu sustulisti eum.* Omnino ille qui tibi loquitur, iste hortulanus, quem tu, ô Magdalena, coram cernis, & vides, ipse est, qui tulit corpus dilecti tui, dum illud à morte paulò ante, oriente

§. 5. Magdalena in dubitatione de resurrectione, illam prædicavit.

 auro-

Digitized by Google

aurorâ ad vitam revocavit. Tulit corpus suum, dum seipsum propriâ virtute suscitavit. Elegantem hunc meo judicio conceptum reperi apud S. Maximum hom. 3. de pass. & sepult. *Sancta ergo, & simplex fœmina Christum requirebat à Christo, & devotione mentis prophetat, & nescit: rectè interrogat, si tu tulisti eum? ipse enim tulit corpus suum, qui suscitavit! ipse tulit corpus, qui illud jacens & dormiens, suâ aspiratione collegit.* Tulit itaque divinæ potestatis humeris, quæ omnia portat, orbem fulcit, & peccata omnium in ligno crucis sustinuit. *Qui illud jacens & dormiens suâ aspiratione collegit.* Hoc est, cadaver Christi de cruce depositum, ab anima derelictum jacuit in sepulchro, sed tempore mortalitatis exácto, cum primùm solis orientis crepusculum affulsit, Deitas corpori emortuo unita; cadaver rore lucis & vitæ iterum perfudit, spiritum collegit, & respirationem indidit, quo momento Christus à mortuis suscitatus, gloriosè è sepulchro evolavit, & ita abstulit corpus suum, quod Magdalena requirebat.

§. 6. *Cur Christus D. illi apparuerit in forma hortulani.*

Sed cur Christus D. gloriosè resurgens à mortuis, apparuit Magdalenæ in forma olitoris & hortulani? Puto sponsam dedisse causam in Canticis cap. 6. v. 1. dum ait: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.* Quale lilium? audite piissimam cogitationem nobilissimi Interpretis: putat cadaver Christi jacuisse, veluti fasciculum myrrhæ vel florum, non inter ubera sponsæ, sed in sepulchro; lilium fuit totum corpus laceratum vulneribus, flagellorum cruore purpuratum; cariophyllum fuit aureum caput; spinarum cuspidibus terebratum; rosæ fuerunt manus & pedes clavis perforati; perforata rosa fuit suavissimum ejus cor. Sed ô lætissimam hodie diem! quâ cœlestis hortulanus descendit in hortum sepulchri, colligere hunc fasciculum: consumptâ mortalitatis formâ emortuos suscitare flores; ut liliis, ut rosis, ut omnibus sanctissimis ejus membris restituatur vita, cum vita decor, cum decore infinitæ pulchritudinis perfectio. Ita qui in Cruce & in morte, & in sepulchro, omni venustate fuit spoliatus, totus pulcher hodie resurgat ex sepulchro.

Ab

Digitized by Google

Ab hoc redivivo flore in alios quoque mortuos nova vita gratiæ fuit derivata. Ex JESU resurgente nitet vitæ radius, dum in eodem refulget resurrectionis gratia. Ob quam causam ipse in persona sponsi se assimulavit flori & candenti lilio, Cant. 2. v. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium.* Versio hebræa sic legit: *Ego sum rosa Saran, & lilium gaudens vallibus.* Rosam se vocat, ob resurgentis corporis pulchritudinem, propter quam rosa vocatur flos amatorius. Philostratus rosas vocavit, *telluris oculos. Etenim sunt aspectu pulchræ; igneus est illis vigor.* Quid ni ob utramque causam dicamus JESUM resurgentem, cœli terræque rosam. Cùm accedat, quod solus sit *Rosa Saran*, id est, *saturitatis* (inquit Vatablus) *quemadmodum DEUS dicitur sadai, copia omnium bonorum.* Omnis rosa habet suas spinas, JESUS resurgens rosa est sine spinis, cum omnium cœlestium deliciarum ubertate, & abundantia. Sed nimis diu me detinet pulchritudo hujus rosæ. Cur eadem dicitur lilium convallium, vel gaudens vallibus; hoc præcipuè inservit mysterio Resurrectionis.

§. 7. Cur hic cœlestis Hortulanus, sive IESUS resurgens se vocarit Rosam.

Quia cum esset in montis & Paradisi DEI cœlesti fastigio, ad hæc terrena descendit, humanitate velut lilii candore vernans, in inferiores partes terræ se demisit, dans corpus sepulchro, animum limbo, ut illud corporibus immortalitatem, & animabus ibidem detentis vitæ æternæ odorem infunderet; quæ beatitudo de JESU decore venit. Ita ait Theodoretus in Cantica. *Ego flos campi factus sum, hoc est, terrenum corpus assumpsi. Et cum æternus, & excelsus, imò immensus essem, lilium factus sum non montium* (hos deserui) *neque collium, neque camporum simpliciter, sed convallium. Non enim viventibus modo salutem, sed mortuis resurrectionem nunciavit, descendens in inferiores partes terræ, ut impleret omnia. Idcircò se campi florem appellat, & lilium convallium, id est, mortuorum, quibus à morte in vitam reditum, & promisit & præstitit.*

§. 8. Cur lilium convallium

Super versum 5. capitis 1. Ecclesiastæ, *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur*, ait S. Ambr. in Ps. 118. & alii SS. Patres dicunt: *Christum D. oriri ex Deipara secundum carnem; occidere descensu ad inferos, ac denuò exoriri per resurrectionem.* Unde sub

§. 9. IESUS sol occidens & resurgens.

ima-

imagine solis orientis & occidentis Tertullianus mysterium resurrectionis pulchrè exponit. Sic enim ait lib. de resurrectione c. 12. *Aspice nunc ad ipsa quoque exempla divinitatis; Dies moritur in noctem, & tenebris usquequaque sepelitur, funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta, ubique quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra, & tota universo mundo reviviscit; interficiens mortem, suam noctem; rescindens sepulturam suam tenebras, heres sibimet existens.* Quale, die Parasceves in monte Calvariæ vidimus spectaculum? Ad conspectum Creatoris in Cruce exhalantis animam, soli lux fuit erepta, dies fuit versa in noctem, tenebris undequaque sepulta, sol Jesus, mundi decus fuit funestatum, omnis fuit denigrata natura; Cœlestia, Sol, luna, stellæ, sidera, terrestria cuncta occumbente illo sole præ timore & stupore fuerunt obtenebrata. Quale vero hodie cernimus spectaculum? quid illo amœnius vel jucundius? dum iterum illuxit dies, quam fecit Dominus ad hominis lætitiam & exultationem, dum post tridui caliginem, & funus, de tenebris emergit; cum purioris lucis cultu & ornatu, cum sole suo, Jesu, dum cum dote, imo cum dotibus Corporis gloriosi toti orbi reviviscit, & de sepulchri thalamo longe ornatior, & formosior surgit; interficiens scelerum tenebras; interimens mortem; confringens repagula sepulchri & inferni: Verbo, quale spectaculum, videre Jesum gloriose à mortuis, & propria virtute resurgentem; & dissipantem regia potestate imperium mortis.

§. 10. *Christus resurgens optaret omnes peccatores suscitare ad vitam.*

Sed timeo! vereor! ne, si Christus D. in tanta sua gloria, in tam glorioso triumpho, capax esset, tristaretur. Causam advertite ex capite 11. S. Joannis, vers. 33. ubi de Christo Salvatore, dum Lazarum è sepulchro suscitare voluit, ait. *Infremuit spiritu, & turbavit se ipsum*, imò *lachrymatus est JESUS. Habet enim hoc* (inquit D. Chrysologus Serm. 64.) ***natura corporis humani, ut producat lachrymas, vel vis gaudii, vel mœroris, quoties enim viscera, aut lætitiæ, aut tristitiæ, nimio arctantur impulsu, oculi in lachrymas mox erumpant.*** Hinc est quod

Christus

Christus D. qui voce sua omnes aliquando mortuos ad perpetuã vitam est suscitaturus, hinc est, inquam, quod fremat spiritu, & tota se viscerum commotione conturbet, quia adhuc solum Lazarum, & non jam omnes mortuos suscitabat. Ita gaudium JESU fuisset plenum, si omnes mortuos suscitare potuisset ad vitam. Audite mortui, qui in paschalibus quoque festis insepulti jacetis in tenebris gravissimorum scelerum. Resurrexit quidem Jesus! vivit! sed quia vos scelerati, vitæ hujus consortes & participes non estis, si posset, tremeret! cavete ne fremat in furore suo, & sicuti mortem, peccatum, & diabolum, suosque hostes præcipitavit in tartara, ita præcipitet & vos. Sed! mi gloriosissime Jesu, quis modus ut hi quatriduani & fœtentes Lazari reviviscant.

Jacob moriens, Gen. cap. 49. dum tribui Judæ voluit impertiri benedictionem, prævidens Dominicæ Resurrectionis triumphum, comparavit futurum Messiam Leoni & Leænæ, versu 9. *Requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Origen. & alii. Leo, cum nascitur, tribus diebus, & tribus noctibus dormit. Tunc deinde patris gemitu, vel rugitu tremefactus cubilis locus, suscitat catulum dormientem. D. Epiphanius. *Leæna mortuum & cæcum edit catulum: juxta quem defixos in illum habens oculos, triduo cubat, his vero transactis, leo accedit, & in catulum spirat, qui statim ad vitam revocatur, & lumen oculorum recipit.* Eleganter idem Sanctus Epiphanius hæc accommodat Christi D. Resurrectioni. *Sic gentes, quæ non credebant, per trium dierum sepulturam, & Domini nostri IESV Christi Resurrectionem respexerunt, & ad vitam revocatæ sunt. Ante baptismum enim, & mortua & cæca dicebantur. Verum à Leæna, id est, ab sancto spiritu per triduum sepulturæ observabantur. Cum autem Leo, hoc est, vivificum verbum venit, & in ipsos Spiritum Sanctum inspiravit, & ad vitam eos revocavit, & omnes ab inferno eduxit.* Ita Sanctus Epiphanius; nisi velimus asserere, Leænam fuisse Naturam humanam, quæ peccati originalis nexibus obstricta, homines, quoad gratiam, parturiebat cœcos, & mortuos,

§. II. *Christus D. resurgens, leo & leæna.*

Digitized by Google

mors enim & cæcitas, præcipuæ fuerunt pœnæ à Deo humano generi, ob Adami peccatum illatæ. Donec eadem tot calamitatibus jactata, assumpta fuit à Verbo, quando Verbum Caro factum est. Postquam Christus in Cruce fuit mortuus, natura humana triduo jacens in sepulchro apertos & defixos instar Leænæ Divinitatis, & Potestatis habuit oculos, donec transacto dormitionis spatio, animus unitus corpori, corpus suum suscitans, accessit velut leo ad genus humanum, quod Adam & Eva, tanquam mortuum & cæcum catulum pepererant, inspiravit de vivificante suo spiritu spiraculum vitæ, & ad immortalitatem revocavit.

§. 12 *Apostrophe ad Iesum resurgentē, ut suscitet mortuos & cæcos peccatores.*


Sed ô gloriosissime leo! ô Jesu à mortuis resurgens; ecce mortuum & cœcum catulum; ecce peccatorem, qui anno integro jacet in fœtido sepulchro gravissimorum scelerum, quis suscitabit eum? Accede leo! exalta victricem vocem, ut tuo rugitu tremefactus suscitetur. Ecce, &c. (Poterit hæc Apostrophe fuse dilatari, præsertim contra secrilege confitentes & communicantes.)

§. 13. *Benevolus Iesu resurgentis aspectus.*

Nolite timere mortui & cæci catuli, quod optem ut gloriosus leo faciem & oculos suos in vos concjiat. *Quos aspicit Dominus* (ait S. Ambrosius) *illuminat, & in vultu Domini pietas atque indulgentia est.* Unde regius Psaltes petiit, *De vultu tuo judicium meum prodeat.* De vultu enim Domini, venia, non pœna procedit. De vultu, facie & oculis Jesu resurgentis, de ejus ore quid præstolandum, nisi criminum relaxatio; & æternæ hereditatis pignus? Quos intuetur, illuminat. Quos respicit, si lapsi sint, erigit, si in quem peccatorem obtutum figat, continere se non potest, quin per oculos viscera pietatis effundat. Sed de his Concione crastina.

CON-

Digitized by Google



CONCIO XXI.

DOMINICA IN ALBIS.

Dominus meus! & Deus meus!

Joan. 20. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVinam cum S. Thoma sincere uti possint his verbis, Dominus meus! & Deus meus!

§. 1. *Quis cum S. Thoma dicere possit Deus meus!*

§. 2. ℞. 1. *Qui sentit Deum esse summum bonum.*

§. 3. ℞. 2. *Qui uni & soli Deo est devotus.*

§. 4. ℞. 3. *Qui Deo obedit, illum colit &c.*

§. 5. *Ita Deum coluit Iacob, Gen. 28. v. 20.*

§. 6. *Et David Psalm. 118. O Deus tuus ego sum!*

§. 7. ℞. 4. *Qui totam spem collocat in Deo: & solum Deum quærit.*

§. 8. ℞. 5. *Qui nihil vult nisi Deum.*

§. 9. ℞. 6. *In quo non regnat vitium, sed Christus.*

§. 10. *Ita dilexit sponsa Cant. 6. vers. 16.*

§. 11. *Amor hominis erga Deum debet esse integer, sive ex toto corde.*

§. 12. *Nihil est, quod nos Deo reddimus.*

§. 13. *Dilatatur paragraphus nonus*

§. 14. ℞. 7. *Qui ardenter concupiscit Deum.*

§. 15. *Prosecutio.*

§. 16. *Deus debet esse scopus noster.*

Digitized by Google

§. 17. *Peccatum mortale, suo modo nos facit idololatras.*
§. 18. *Confirmatio.*
§. 19. *Confirmatio ex S. Ambrosio.*
§. 20. *Testimonium Senecæ & S. Augustini.*

§. 1. *Quis, cum S. Thoma, dicere possit DEVS meus.*

UT explicem has voculas, sive ut Auditoribus meis clarè proponam, an & nos his voculis possimus cum S. Thoma, gloriari ac dicere, *DEVS meus*, in memoriam vobis revoco versum 3. capitis 1. ad Philip. ubi S. Paulus ait, *Gratias ago DEO meo*; super quas voculas, pauculas quidem, sed turgidas mysteriis, doctissimus S. Script. interpres P. Velasquez ita discurrit.

§. 2. *R. 1. qui sentit DEVM esse omne bonum.*

Sed cur Paulus dixit DEO meo? cur dicere solemus, mi DEVS, vel mi IESV, propitius esto mihi peccatori. Cur S. Paulus DEVM sibi soli vendicat? cur anima pia dicere audet, mi IESV! (quod ad aliũ nullum pertineret) *propitius esto mihi peccatori? Cur Seraphicus S. Franciscus per totam noctem suspirare potuit: Deus meus & omnia! quasi verò Deus non sit omnium Deus.* Placet mihi (præter multa responsa interpretum) S. Chrysost. hom. 34. in Gen. *Ita Prophetis mos fuit facere & dicere, Deus meus! quamvis totius orbis sit Deus; sed peculiare hoc est amori, ut è communibus propria faciat.* Et cum solatio fundato in v. 1. cap. 31. Jerem. *Ero illorum Deus.* Ubi S. August. l. ult. de civ. Dei ait: *Quid est, ero illorum Deus, nisi, ego ero unde satientur, ego ero, quacunque ab hominibus honestè desideratur, & vita, & salus, & virtus, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona.* Quisquis ita sentit, dicere potest, *Deus meus! &c.*

§. 3. *R. 2. Qui uni soli Deo est devotus.*

Quod DEUM attinet, dicuntur hæc bellissimè. Sed placent magis interpretes, qui asserunt, S. Paulum binis voculis voluisse explicare peculiarissimum affectum, quo profiteri voluit, se uni DEO omnino devotum, & mancipatum, se, toto animo, totis viribus, adhærere Deo, quod illis proprium est, qui audent dicere, *Deus meus!* Phrasin S. Pauli, vel modum loquendi, vel has voculas, *Deus meus*, exposuit ante Regius Psaltes, ps. 72. v. 25. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum!* Actuum 27. v. 23. dixit S. Paulus, *Cujus sum ego & cui deservio?* penitissimo scilicet affectu, ex toto corde, &c. itaque dicere potuit, *Deus meus.*

Hoc

Digitized by Google

Hoc sensu David videtur dixisse ps. 7. v. 1. *Domine DEVS meus*! quas voces varii interpretes, Lyra, Dionysius, Alcuinus & aliæ glossæ ita exponunt: *Dominus omnium per potentiam*, cui debetur dulia. *DEVS omnium! per creationem*, cui debetur latria, &c. Iterum Lyra: *Dominus per omnium generalem gubernationem*, DEUS per creationem, meus! per specialem cultum, & devotionem. Ecce causam ob quam S. Paulus dixit, *DEVS meus*! ex una parte agnovit, DEUM esse suum propter creationem, &c. Sed ex parte sua addere voluit cultum & amorem erga DEUM, quem putavit tam esse perfectum ex toto corde, ut etiam propter hanc causam dicere fuerit ausus, *Deus meus*! mentem S. Pauli in his verbis videtur penetrasse luculentiùs Dionysius, cum verba S. Pauli ita exponit: *Domine, cujus præceptis semper obedio, Deus! qui creasti me! meus! quem singulariter colo, ardentissime diligo, incessanter contemplor, & cui immobiliter semper adhæreo.* Auditis hæc animæ piæ? num obeditis præceptis Domini? dicite *Deus meus*! num singulariter illum colitis? num ardentissimè diligitis? num incessanter contemplamini? num imobiliter illi adhæretis? dicite, *Deus meus*! §. 4. R. 3. *Qui Deo obedit, illum colit &c.*

Utrumque, beneficia DEI erga nos, ob quæ vocare illum possumus DEUM nostrum, & amorem nostrum, quem pro tantis beneficiis illi rependimus, videtur conjunxisse Patriarcha Jacob Gen. 28. v. 20. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in viâ; per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum Patris mei,* (ecce beneficia) *erit mihi Dominus in Deum.* hoc est, colam illum, amabo illum, adhærebo illi, offeram cor, &c. tanquam DEO! ecce mutuum & reciprocum amorem. Nunquid hactenus DEUS custodivit vos in viis vestris? nunquid ambulavit vobiscum? nunquid dedit panem? &c. dicite *Deus meus*. Verùm nunquid, quod debetis, agnoscitis tanta beneficia? nunquid illum colitis, &c. dicite *Deus meus*! Hanc gratiam promisit Deus per Jeremiam c. 24. v. 6. *Dabo eis cor, ut sciant me: quia ego sum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me, ex toto corde suo.* Adverte, quid sit Dominum esse alicujus DEUM, nempe ut DEUS illi benefaciat, & vicissim DEUS ab homine toto corde quæratur, & ametur! §. 5. *Ita Deum coluit Jacob, Gen. 28. v. 20.*

Digitized by Google

§. 6. Et David ps. 118. O DEVS, tuus ego sum.

Hoc sensu regius Psaltes videtur dixisse ps. 118. v. 94. *O DEVS - tuus sum ego.* Ubi S. Ambrosius: *facilis vox, & communis est, sed paucorum, satis rarus enim est, qui potest dicere DEO, tuus sum; ille enim dicit qui adhæret DEO totis sensibus, qui aliud cogitare non novit, ille hac voce utitur, qui potest dicere Domino, Ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Sic ille. Similiter Hilarius. *Non omnibus vox professionis istius competit, sed rarus quisque est, qui se DEI audeat dicere, audebit sane ille qui dixit: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Et vivo, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Vox ista est animæ DEO semper intentæ. Proinde exclamat S. Ambrosius: *quam rarus in terris, qui potest dicere, Portio mea Domine, vel DEVS meus.* quam alienus à vitiis, quàm segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil mundi hujus vendicet sibi, cui non sit corporalium possessio cupiditatum, quem non inflammet libido, non stimulet avaritia, non lascivia effœminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret invidia, non aliqua negotiorum sæcularium cura solicitet, verus minister (DEI) non sibi natus. Quam rara talis est avis, tam rarus est, qui dicere possit, *DEVS meus.*

§. 7. R 4. Qui totam spem collocat in DEO: & solum DEVM quærit.

Neque alius est sensus versus 9. psalmi 90. *Quoniam tu es, Domine, spes mea.* Nam accurata locutione exposuit, ita se DEO adhærere, & inhærere, ut non tam ab eo, quam eummet speraret, nec ipsius bona, sed ipsummet, omnis boni bonum, fontem & originem concupisceret. Ita S. Bern. serm. 9. in cit. ps. *Cæterum quod dicit, Tu es spes mea, forte amplius aliquid sonat, & sublimius, quod videlicet non modo in DEO speret, sed eum: convenientiùs siquidem spes nostra dicitur, quod speramus, quàm in quo speramus; sunt autem forte nonnulli qui à Domino obtinere temporalia, seu spiritualia qualibet concupiscent; sed perfecta charitas solùm sitit, quod summum est, totâ desiderii vehementiâ clamans: Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? DEVS cordis mei, & pars mea. DEVS in æternum.* Ps. 72. Iterum S. Bernardus: *Quærere DEVM singulariter* (hoc est, illum solum amare, & nihil præter DEUM) *hoc singularis est puritatis, singularis gratia, singularis perfectionis -*

nihil

Digitized by Google

nihil quærere nisi eum, ut quis dicere possit, DEUS meus! advertite quantam perfectionem hæ voculæ includant.

Serm. 29. in Cant. idem S. Bernardus advertit pulchrum discrimen inter verba Jacob ad Dominum Gen. 32. v. 16. *Non dimittam te, nisi priùs benedixeris mihi.* Ecce Jacobum, obtentâ benedictione, paratum dimittere eum. Et verba sponsæ de sponso suo Cant. 3. v. 4. *Tenui eum nec dimittam*; ecce sponsam non tam de benedictione obtinendâ, quàm de ipsomet sponso retinendo solicitam, & de ipsius dulcissimis amplexibus. *Ita sponsa*, inquit, *non vult sponsum dimittere, & forte magis quam Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem; siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hæc autem non sic: Nolo, inquit, benedictionem, sed te. Quid enim mihi est in cælo, &c. Tenet autem sponsa, fidei firmitate, tenet devotionis affectu.* Ut ex toto corde ex tota anima, &c. dicere potuerit, Mi sponse! advertite quinam dicere possint, *DEUS meus! IESUS meus!* §. 8. R. 5. Qui nihil vult nisi DEUM.

Attende, an cum S. Bernardo dicere possis hom. 3. in Missus est; *O si mei peccatoris meminerit JESUS, in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum: Veni interim Domine IESU! aufer scandula de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu, qui debes, in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me sibi sedem, jactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex. Luxuria dicit, ego regnabo, ambitio, detractio, invidia certant in me ipso, de me ipso, cujus ego potissimum esse videar: Ego autem quantum valeo, resisto, renitor, quantum juvor, Dominum meum Iesum reclamo; ipsi me defendo, quia ipsius me juris agnosco; ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum, teneo & dico, Non habeo Regem, nisi Dominum Iesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus! Hoc est regnum Dei* (inquit S. Chrysologus serm. 67.) *quando, & in cælo, & in terra Dei voluntas est sola, quando in omnibus hominibus Deus meus est, Deus vivit, Deus agit, Deus est totum, ut juxta Apostolum, Deus sit omnia in omnibus.* Quisquis ita sentit, ex toto corde, ex tota anima, &c. ut solum DEUM in omnibus quærat, desideret, dicat liberè, *Deus meus.* §. 9. R. 6. In quo non regnat vitium, sed Christus.

Digitized by Google

§. 10. Ita dilexit sponsa Cant. 6. v. 16. Ita iterum sensit sponsa cum dixit Cantic. 6. vers. 16. *Dilectus meus mihi.* Quæ verba ita explicat S. Bernard. Serm. 68. in Cantic. *Dilectus meus intendit mihi, & ego illi. Ille mihi, quia benignus & misericors est, ego illi, quia non sum ingrata: ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia, ille meæ liberationi, ego illius honori, ille saluti meæ, ego illius voluntati; ille mihi & non alteri, quia una sum columba ejus, ego illi & non alteri, neque enim audio vocem alienorum.* Similia ejusdem animæ Deo addictæ, & officia charitatis remetientis verba sunt Cant. 6. vers. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, ad quæ Theodoretus: *Ego dilecto meo me ipsum addixi, & consecravi, & alienam omnem consuetudinem contempsi; nam ipse quoque me cæteris antetulit*; juxta illud S. Cypr. l. de orat. Dom. *Discamus Christo nihil omnino præponere, quia nec vobis quidquam ille præposuit.*

§. 11. Amor hominis erga Deum debet esse integer sive ex toto corde. Talem dilectionem nobis præcepit Dominus Deuter. 6. v. 5. & Lucæ 10. v. 27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua* Attende, quam strictè integer omnino, & perfectissimus amor ab homine requiratur, *ex toto corde, &c.* quæ verba SS. Patres ita explicant. S. Basilius hom. 11. in Psalm. 144. *Hoc, quod ex toto dicit, divisionem nullam admittit; ideo qui amicus est Dei perfectus, ei totam animam tribuit*, & dicere potest, *Deus meus*. S. Chrysologus Serm. 147. *Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ: ita Dei amore vult possideri, ut hominis mundanus non habeat quod violet, affectus, tum dicat, Deus meus!* S. Gregor. Mag. l. 10. mor. c. 4. *Notandum est, quod divinus sermo, dum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat, ex quanto: cum subjungit, ex toto, ut videlicet, qui perfectè Deo placere desiderat,* (qui dicere vult *Deus meus!*) *sibi de se nil relinquat.* Sic denique S. Augustinus lib. de doct. Christiana cap. 22. *Cum toto corde, ait, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem derelinquit, quæ vacare debeat, & locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.* Elegantissime Aponius lib. 2. in Cant. *Qui ergo ut jussum est, in toto corde, in tota anima & in tota virtute diligit Deum*

Digitized by Google

Deum, nullum in se officium membrorum vacans relinquit peccato, nullum iræ, nullum mendacio, nullũ libidini: Præoccupavit enim totum habitaculum mentis suæ latissima Dei dilectione, & tentationes plurimas propter Creatorem totis viribus calcando transcendit. Æque eleganter S Aug. *Deum ex toto corde diligere præciperis, ut omnes cogitationes tuas: ex tota anima tua, ut totam vitam tuam, ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers.*

In quo bene monet S. Bernard. ut dum hæc caritatis officia Deo remetimur, & nos ipsos totos devovemus, non inaniter extollamur, quasi à vinculis beneficiorum Dei liberi & soluti jam simus. *Nam*, ait, *cum ergo ei donavero, quidquid sum, quidquid possum, nonne illud est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem.* Et Serm 3, de Purificat. Virg. *Quid fratres nos offerimus, aut quid retribuimus Christo pro omnibus, quæ retribuit nobis? ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem, quam habuit, nimirum quâ pretiosior esse non potest. Et nos ergo faciamus quod possumus optimum, quod habemus offeramus illi, quod sumus, utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es, qui te ipsum offerre cunctéris.* Ex quibus omnibus S. Paulinus ep. 4. hanc infert consequentiam. *Ergo illum amemus, quem amare debitum est, illum osculemur, quem osculari castitas est, illi copulemur, cui copulari virginitas est, illi subiiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est, propter illum deiiciamur, cui cadere resurrectio est, illi commoriamur, à quo vita est.*

§. 12. *Nihil est quod nos Deo remetimur.*

S. Hier. inq. in verba Ps. 5. *Rex meus & Deus meus. Ille ausus est dicere verè Rex meus & Deus meus, cui nõ regnat peccatũ in mortali corpore. Rex meus & Deus meus, quia regnas in me & non regnat peccatũ; propterea Deus meus es. Tu es Deus meus, quia non est venter Deus meus; quia non est libido Deus meus, quoniam tu virtus es, & ego cupio habere virtutes, propterea tu es Deus meus, hoc est virtus mea.* Est hoc adeo verum, ut David qui toties usurpavit hanc vocẽ *Deus meus*, cum se laqueis peccati, scil. adulterii & homicidii agnovit irretitũ, ea uti ausus non fuerit, sed veniã à Deo efflagitãs dixerit Ps. 50 v. 1. *Miser. mei Deus.* Id sic observante Urb. Papa in metaphrasi quæ habetur t. 1. Bibl. PP. *Non audeo dicere meus, solummodo te Deum agnosco, sed meum te dicere non præsumo; cũ esses mihi datus & ideo proprius Deus meus, ego*

§. 13. *Dilatatur paragraphus nonus.*

infelix propter peccata te perdidi. Sed & S. Hil. in illa verba Pſ. 118. *Tuus ego ſum*, dum ea cum his S. Pauli componit, inquit in hunc ſenſum. *Quomodo enim ſe Dei profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis, in avaritiam ſollicitus, in ebrietatem ſitiens, in gloriam ſaeculi inanis? horum potius erit iſte, non Dei. In quo enim hæc paſsionum vitia abundant, quomodo non eorum erit, quibus ſervit?* Plures gentium Dii, ſed unus Paulo Deus, *ex quo omnia, & unus Dominus noſter per quẽ omnia.* Et mox ſubiicit: *ſuus autem per id eſt, quod juſtificationes ejus requirat, aliis quærentibus gloriam mundi, aliis quærentibus agros, domos, pecuniã, ille juſtitias Dei exquirit, & quod Dei ſit, gloriatur.* Quo ſenſu S. Aug. exclamavit in ſuis Confeſſ. *O Deus! utinam poſſem dicere meus.* q. d. O ſi te Domine præ omnibus diligerem, nec in aliud ſe animus meus injiceret, & intenderet. q. d. O Deus, ſi te diligerem ex toto corde, q. d. O Deus, utinam nunquam te graviter offendam ullo lethali ſcelere, ut dicere poſſim, *Deus meus.*

§. 14. N. 7. *Qui ardenter concupiſcit Deum.*

Rationem ſic reddit S. Macharius hom. 43. *Cui enim rei alligatum eſt cor, quove tradit illud cupiditas, hoc eſt illi Deus. Si cor Deum ſpectat, ipſe Deus eſt cordis ejus.* Sic ille, tantum non dicens animo ſive corde Deum potiſſimum coli, eamq; Divinitatis eſſe naturã, ut humanum ad ſe alliciat animum, ut eam præ cæteris rebus concupiſcat in ipſamq; internas vices, tanquam in ſcopum ſic dirigat, ut ab illa, vel ad illam q. alligatus ſit, & conſtrictus, ne alio poſſit deflectere. Quo tendit ardens illa regii vatis ſitis Pſ. 141. v. 2. *Quemadmodum*, &c. ubi ex ſitis ſimilitudine pulchre explicat hanc divinitatis proprietatẽ, excellentiam & munus, ut ſui cupiditatem excitet in humano corde. Quam apte vero ea cupiditas componatur cum ſiti, ſic explicat Nyſſen. tr. 1. in Pſ. *Cupiditatis vehementiam, & violentiam comparat ſiti; adducta ſiticuloſiſſima, quæ in animantibus eſt, natura, ut maximè nobis ob oculos ponat intenſionem cupiditatis, per animal, quod ſupra modũ ſiti cruciatur, & ardet: hoc autẽ animal cervus eſt, cui conſuetum venenatarum beſtiarum cibatu veſci & pingueſcere; calidi vero & igniti ſunt hujusmodi ſucci, quibus ingurgitatus cervus fit neceſſario aridior; tali animalium ſucco quaſi toxico infectum & ob id vehementius appetit aquam ut curet exortam ex hujusmodi pabulo ariditatem.* Eleganter hæc S. Nyſſen. de ſiti cervi. Applicatio ad noſtrum diſcurſum conſiſtit in hoc.

Allicit ex ſua natura Deus & rapit ad ſe, ſive verus, ſive putatus, hominis animum tenet, retinet, illaqueat atque (ut dicebat Macharius) *ita alligat ſibi, ut quaſi perpetuo ſitiens inhæreat fonti, & aquis, ut ſiti ſatisfiat.* Et hoc magna aliqua vehementia. Unde fortaſſis verba cit. verſus, *ſitivit anima ad Deum fontem vivum*, in Bibliis Clementis ita leguntur, *Ad Deum fortem vivum.* Licet enim ſiti videatur accomodatior ſimilitudo fontis, ſublimior tamen ſenſus & ad vim divinitatis exprimendam opportunior latet in vocula, *fortis.* Sic enim à vate innuitur diſcrimen, quod inter ſitim ſuam, & eam, quã idololatræ vel ſcelerum cultores, intercidit; quod idola & ſcelera veluti venenatæ beſtiæ, cor q. pellicere & acrẽ in eo ſitim excitare poſſint, ſed nequaquam depellere & extinguere, imo *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* At vero ipſe David, fortem vivumq; Deum ſitiat, cui non minus robur atq; fortitudo inſit ad animi ſitim explendam, quam ad excitandam. Ergo inquit David, ſitivit anima mea ad Deum fortem vivum, qui in animi mei ſiti excitanda fortis, atq; adeo fortis eſt ut nulli præter ipſum, humanarum voluptatum fontes, nulla ſæcularium bonorum flumina valeãt depellere, in ea vero explenda & exſaturanda æque fortem & vivum ſe præbeat, quippe qui torrente voluptatis ſuæ potare ſitientes ſoleat, Pſalm. 35. v. 9. §. 15. *Preſumtio.*

Huc pertinet prohibitio à Deo facta Levit. 26. v. 1. *Ego Dominus Deus veſter, non facietis vobis idolum, nec ſculptile, nec inſignem lapidẽ erigetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* Has voculas, *inſignem lapidem*; varie vertunt interpretes. Pagnin. legit, *lapidem depictum aut cælatum*, Vatab. *lapidem imaginis*, hoc eſt, lapideam imaginẽ. Chaldea. *Lapidem adorationis.* LXX. *Nec lapidem ſignum ponetis.* Græca. *Nec lapidem ſcopum ponetis in terra veſtra*; quibus verbis ille ſenſus ineſt, non erigetis idolum, in quod tanquam in ſcopum animi veſtri ſtudia dirigatis. Eſt enim ſcopus (ſumpta metaphora à ſigno, in quod ſagitta jacitur) id, quo mentem & animi propoſitum dirigimus; unde apparet, illud dici homini pro Deo eſſe, in quod tanquam ſcopum animum dirigit & intendit, ſive cui alligatum eſt Cor. §. 16. *Deus debet eſſe ſcopus noſter.*

Unde patet, non eos tantum, qui puri Ethnici ſunt, ſed illos §. 17. *Peccatum*

 etiam

imagine solis orientis & occidentis Tertullianus mysterium resurrectionis pulchrè exponit. Sic enim ait lib. de resurrectione c. 12. *Aspice nunc ad ipsa quoque exempla divinitatis; Dies moritur in noctem, & tenebris usquequaque sepelitur, funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta, ubique quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra, & tota universo mundo reviviscit; interficiens mortem, suam noctem; rescindens sepulturam suam tenebras, heres sibimet existens.* Quale, die Parasceves in monte Calvariæ vidimus spectaculum? Ad conspectum Creatoris in Cruce exhalantis animam, soli lux fuit erepta, dies fuit versa in noctem, tenebris undequaque sepulta, sol Jesus, mundi decus fuit funestatum, omnis fuit denigrata natura; Cœlestia, Sol, luna, stellæ, sidera, terrestria cuncta occumbente illo sole præ timore & stupore fuerunt obtenebrata. Quale vero hodie cernimus spectaculum? quid illo amœnius vel jucundius? dum iterum illuxit dies, quam fecit Dominus ad hominis lætitiam & exultationem, dum post tridui caliginem, & funus, de tenebris emergit; cum purioris lucis cultu & ornatu, cum sole suo, Jesu! dum cum dote, imo cum dotibus Corporis gloriosi toti orbi reviviscit, & de sepulchri thalamo longe ornatior, & formosior surgit; interficiens scelerum tenebras; interimens mortem; confringens repagula sepulchri & inferni: Verbo, quale spectaculum, videre Jesum gloriose à mortuis, & propria virtute resurgentem; & dissipantem regia potestate imperium mortis.

§.10. *Christus resurgens optaret omnes peccatores suscitare ad vitam.*

Sed timeo! vereor! ne, si Christus D. in tanta sua gloria, in tam glorioso triumpho, capax esset, tristaretur. Causam advertite ex capite 11. S. Joannis, vers. 33. ubi de Christo Salvatore, dum Lazarum è sepulchro suscitare voluit, ait. *Infremuit spiritu, & turbavit se ipsum*, imò *lachrymatus est JESUS. Habet enim hoc* (inquit D. Chrysologus Serm. 64.) *natura corporis humani, ut producat lachrymas, vel vis gaudii, vel mœroris, quoties enim viscera, aut lætitiæ, aut tristitiæ, nimio arctantur impulsu, oculi in lachrymas mox erumpant.* Hinc est quod Christus

Christus D. qui voce sua omnes aliquando mortuos ad perpetuã vitam est suscitaturus, hinc est, inquam, quod fremat spiritu, & tota se viscerum commotione conturbet, quia adhuc solum Lazarum, & non jam omnes mortuos suscitabat. Ita gaudium JESU fuisset plenum, si omnes mortuos suscitare potuisset ad vitam. Audite mortui, qui in paschalibus quoque festis insepulti jacetis in tenebris gravissimorum scelerum. Resurrexit quidem Jesus! vivit! sed quia vos scelerati, vitæ hujus consortes & participes non estis, si posset, tremeret! cavete ne fremat in furore suo, & sicuti mortem, peccatum, & diabolum, suosque hostes præcipitavit in tartara, ita præcipitet & vos. Sed! mi gloriosissime Jesu, quis modus ut hi quatriduani & fœtentes Lazari reviviscant.

§. II. *Christus D resurgens, leo & leæna.*

Jacob moriens, Gen. cap. 49. dum tribui Judæ voluit impertiri benedictionem, prævidens Dominicæ Resurrectionis triumphum, comparavit futurum Messiam Leoni & Leænæ, versu 9. *Requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Origen. & alii. Leo, cum nascitur, tribus diebus, & tribus noctibus dormit. Tunc deinde patris gemitu, vel rugitu tremefactus cubilis locus, suscitat catulum dormientem. D. Epiphanius. *Leæna mortuum & cæcum edit catulum: juxta quem defixos in illum habens oculos, triduo cubat, his vero transactis, leo accedit, & in catulum spirat, qui statim ad vitam revocatur, & lumen oculorum recipit.* Eleganter idem Sanctus Epiphanius hæc accommodat Christi D. Resurrectioni. *Sic gentes, quæ non credebant, per trium dierum sepulturam, & Domini nostri IESV Christi Resurrectionem respexerunt, & ad vitam revocatæ sunt. Ante baptismum enim, & mortuæ & cæcæ dicebantur. Verum à Leæna, id est, ab sancto spiritu per triduum sepulturæ observabantur. Cum autem Leo, hoc est, vivificum verbum venit, & in ipsos Spiritum Sanctum inspiravit, & ad vitam eos revocavit, & omnes ab inferno eduxit.* Ita Sanctus Epiphanius; nisi velimus asserere, Leænam fuisse Naturam humanam, quæ peccati originalis nexibus obstricta, homines, quoad gratiam, parturiebat cæcos, & mortuos,

mors enim & cæcitas, præcipuæ fuerunt pœnæ à Deo humano generi, ob Adami peccatum illatæ. Donec eadem tot calamitatibus jactata, assumpta fuit à Verbo, quando Verbum Caro factum est. Postquam Christus in Cruce fuit mortuus, natura humana triduo jacens in sepulchro apertos & defixos instar Leænæ Divinitatis, & Potestatis habuit oculos, donec transacto dormitionis spatio, animus unitus corpori, corpus suum suscitans, accessit velut leo ad genus humanum, quod Adam & Eva, tanquam mortuum & cæcum catulum pepererant, inspiravit de vivificante suo spiritu spiraculum vitæ, & ad immortalitatem revocavit.


§. 12 *Apostrophe ad Iesum resurgentē, ut suscitet mortuos & cæcos peccatores.*

Sed ô gloriosissime leo! ô Jesu à mortuis resurgens; ecce mortuum & cœcum catulum; ecce peccatorem, qui anno integro jacet in fœtido sepulchro gravissimorum scelerum, quis suscitabit eum? Accede leo! exalta victricem vocem, ut tuo rugitu tremefactus suscitetur. Ecce, &c. (Poterit hæc Apostrophe fuse dilatari, præsertim contra secrilege confitentes & communicantes.)

§. 13. *Benevolus Iesu resurgentis aspectus.*

Nolite timere mortui & cæci catuli, quod optem ut gloriosus leo faciem & oculos suos in vos concjiat. *Quos aspicit Dominus* (ait S. Ambrosius) *illuminat, & in vultu Domini pietas atque indulgentia est.* Unde regius Psaltes petiit, *De vultu tuo judicium meum prodeat.* De vultu enim Domini, venia, non pœna procedit. De vultu, facie & oculis Jesu resurgentis, de ejus ore quid præstolandum, nisi criminum relaxatio; & æternæ hereditatis pignus? Quos intuetur, illuminat. Quos respicit, si lapsi sint, erigit, si in quem peccatorem obtutum figat, continere se non potest, quin per oculos viscera pietatis effundat. Sed de his Concione crastina.

CON-



CONCIO XXI.

DOMINICA IN ALBIS.

Dominus meus! & Deus meus,!

Joan. 20. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVinam cum S. Thoma sincere uti possint his verbis, Dominus meus! & Deus meus!

Digitized by Google

§. 1. *Quis, cum S. Thoma, dicere possit DEUS meus.*

UT explicem has voculas, sive ut Auditoribus meis clarè proponam, an & nos his voculis possimus cum S. Thoma, gloriari ac dicere, *DEUS meus*, in memoriam vobis revoco versum 3. capitis 1. ad Philip. ubi S. Paulus ait, *Gratias ago DEO meo*; super quas voculas, pauculas quidem, sed turgidas mysteriis, doctissimus S. Script. interpres P. Velasquez ita discurrit.

§. 2. *R. 1. qui sentit DEUM esse omne bonum.*

Sed cur Paulus dixit DEO meo? cur dicere solemus, mi DEUS, vel mi IESU, propitius esto mihi peccatori. Cur S. Paulus DEUM sibi soli vendicat? cur anima pia dicere audet, mi IESU! (quod ad aliũ nullum pertineret) *propitius esto mihi peccatori? Cur Seraphicus S. Franciscus per totam noctem suspirare potuit: Deus meus & omnia! quasi verò Deus non sit omnium Deus.* Placet mihi (præter multa responsa interpretum) S. Chrysost. hom. 34. in Gen. *Ita Prophetis mos fuit facere & dicere, Deus meus! quamvis totius orbis sit Deus; sed peculiare hoc est amori, ut è communibus propria faciat.* Et cum solatio fundato in v. 1. cap. 31. Jerem. *Ero illorum Deus.* Ubi S. August. l. ult. de civ. Dei ait: *Quid est, ero illorum Deus, nisi, ego ero unde satientur, ego ero, quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & virtus, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona.* Quisquis ita sentit, dicere potest, *Deus meus! &c.*

§. 3. *R. 2. Qui uni soli Deo est devotus.*

Quod DEUM attinet, dicuntur hæc bellissimè. Sed placent magis interpretes, qui asserunt, S. Paulum binis voculis voluisse explicare peculiarissimum affectum, quo profiteri voluit, se uni DEO omnino devotum, & mancipatum, se, toto animo, totis viribus, adhærere Deo, quod illis proprium est, qui audent dicere, *Deus meus!* Phrasin S. Pauli, vel modum loquendi, vel has voculas, *Deus meus*, exposuit ante Regius Psaltes, ps. 72. v. 25. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum!* Actuum 27. v. 23. dixit S. Paulus, *Cujus sum ego & cui deservio?* penitissimo scilicet affectu, ex toto corde, &c. itaque dicere potuit, *Deus meus.*

Hoc

Digitized by Google

Hoc sensu David videtur dixisse ps. 7. v. 1. *Domine DEUS meus!* quas voces varii interpretes, Lyra, Dionysius, Alcuinus & aliæ glossæ ita exponunt: *Dominus omnium per potentiam*, cui debetur dulia. *DEUS omnium: per creationem*, cui debetur latria, &c. Iterum Lyra: *Dominus per omnium generalem gubernationem*, DEUS per creationem, meus! per specialem cultum, & devotionem. Ecce causam ob quam S. Paulus dixit, *DEUS meus!* ex una parte agnovit, DEUM esse suum propter creationem, &c. Sed ex parte sua addere voluit cultum & amorem erga DEUM, quem putavit tam esse perfectum ex toto corde, ut etiam propter hanc causam dicere fuerit ausus, *Deus meus!* mentem S. Pauli in his verbis videtur penetrasse luculentiùs Dionysius, cum verba S. Pauli ita exponit: *Domine, cujus præceptis semper obedio, Deus! qui creasti me! meus! quem singulariter colo, ardentissime diligo, incessanter contemplor, & cui immobiliter semper adhæreo.* Auditis hæc animæ piæ? num obeditis præceptis Domini? dicite *Deus meus!* num singulariter illum colitis? num ardentissimè diligitis? num incessanter contemplamini? num imobiliter illi adhæretis? dicite, *Deus meus!* §. 4. R. 3. *Qui Deo obedit, illum colit &c.*

Utrumque, beneficia DEI erga nos, ob quæ vocare illum possumus DEUM nostrum, & amorem nostrum, quem pro tantis beneficiis illi rependimus, videtur conjunxisse Patriarchà Jacob Gen. 28. v. 20. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in viâ, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum Patris mei,* (ecce beneficia) *erit mihi Dominus in Deum.* hoc est, colam illum, amabo illum, adhærebo illi, offeram cor, &c. tanquam DEO! ecce mutuum & reciprocum amorem. Nunquid hactenus DEUS custodivit vos in viis vestris? nunquid ambulavit vobiscum? nunquid dedit panem? &c. dicite *Deus meus.* Verùm nunquid, quod debetis, agnoscitis tanta beneficia? nunquid illum colitis, &c. dicite *Deus meus!* Hanc gratiam promisit Deus per Jeremiam c. 24. v. 6. *Dabo eis cor, ut sciant me: quia ego sum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me, ex toto corde suo.* Adverte, quid sit Dominum esse alicujus DEUM, nempe ut DEUS illi benefaciat, & vicissim DEUS ab homine toto corde quæratur, & ametur! §. 5. *Ita Deum coluit Jacob, Gen. 28. v. 20.*

Digitized by Google

§. 6. Et David ps. 118. O DEVS, tuus ego sum. Hoc sensu regius Psaltes videtur dixisse ps. 118. v. 94. *O DEVS-tuus sum ego.* Ubi S. Ambrosius: *facilis vox, & communis est, sed paucorum, satis rarus enim est, qui potest dicere DEO, tuus sum: ille enim dicit qui adhaeret DEO totis sensibus, qui aliud cogitare non novit, ille hac voce utitur, qui potest dicere Domino, Ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Sic ille. Similiter Hilarius. *Non omnibus vox professionis istius competit, sed rarus quisque est, qui se DEI audeat dicere, audebit sane ille qui dixit: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Et vivo, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Vox ista est animae DEO semper intentae. Proinde exclamat S. Ambrosius: *quam rarus in terris, qui potest dicere, Portio mea Domine, vel DEVS meus.* quam alienus à vitiis, quàm segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum saeculo, nihil mundi hujus vendicet sibi, cui non sit corporalium possessio cupiditatum, quem non inflammet libido, non stimulet avaritia, non lascivia effoeminet, non luxuria decoloret, non sternat ambitio, non maceret invidia, non aliqua negotiorum saecularium cura solicitet, verus minister (DEI) non sibi natus. Quam rara talis est avis, tam rarus est, qui dicere possit, *DEVS meus.*

§. 7. R 4. Qui totam spem collocat in DEO & solum DEVM quaerit. Neque alius est sensus versus 9. psalmi 90. *Quoniam tu es, Domine, spes mea.* Nam accurata locutione exposuit, ita se DEO adhaerere, & inhaerere, ut non tam ab eo, quam eummet speraret, nec ipsius bona, sed ipsummet, omnis boni bonum, fontem & originem concupisceret. Ita S. Bern. serm. 9. in cit. ps. *Caeterum quod dicit, Tu es spes mea, forte amplius aliquid sonat, & sublimius, quod videlicet non modo in DEO speret, sed eum: convenientiùs siquidem spes nostra dicitur, quod speramus, quàm in quo speramus; sunt autem forte nonnulli qui à Domino obtinere temporalia, seu spiritualia qualibet concupiscent; sed perfecta charitas solùm sitit, quod summum est, totà desiderii vehementiâ clamans: Quid enim mihi est in caelo, & à te quid volui super terram? DEVS cordis mei, & pars mea. DEVS in aeternum.* Ps. 72. Iterum S. Bernardus: *Quaerere DEVM singulariter* (hoc est, illum solum amare, & nihil praeter DEUM) *hoc singularis est puritatis, singularis gratiae, singularis perfectionis -* *nihil*

Digitized by Google

nihil quærere nisi eum, - ut quis dicere possit, DEVS meus! advertite quantam perfectionem hæ voculæ includant.

Serm. 29. in Cant. idem S. Bernardus advertit pulchrum discrimen inter verba Jacob ad Dominum Gen. 32. v. 16. *Non dimittam te, nisi priùs benedixeris mihi.* Ecce Jacobum, obtentâ benedictione, paratum dimittere eum. Et verba sponsæ de sponso suo Cant. 3. v. 4. *Tenui eum nec dimittam*; ecce sponsam non tam de benedictione obtinendâ, quàm de ipsomet sponso retinendo solicitam, & de ipsius dulcissimis amplexibus. *Ita sponsa,* inquit, *non vult sponsum dimittere, & forte magis quam Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem; siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hac autem non sic: Nolo, inquit, benedictionem, sed te. Quid enim mihi est in cælo, &c. Tenet autem sponsa, fidei firmitate, tenet devotionis affectu.* Ut ex toto corde ex tota anima, &c. dicere potuerit, Mi sponse! advertite quinam dicere possint, *DEVS meus! IESVS meus!*

§. 8. R. 5. *Qui nihil vult nisi DEVM.*

Attende, an cum S. Bernardo dicere possis hom. 3. in Missus est; *O si mei peccatoris meminerit JESVS, in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum: Veni interim Domine IESV! aufer scandula de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu, qui debes, in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me sibi sedem, jactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex. Luxuria dicit, ego regnabo, ambitio, detractio, invidia certant in me ipso, de me ipso, cujus ego potissimum esse videar: Ego autem quantum valeo, resisto, renitor, quantum juvor; Dominum meum Iesum reclamo; ipsi me defendo, quia ipsius me juris agnosco; ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum, teneo & dico, Non habeo Regem, nisi Dominum Iesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus! Hoc est regnum Dei* (inquit S. Chrysologus serm. 67.) *quando, & in cælo, & in terra Dei voluntas est sola, quando in omnibus hominibus Deus meus est, Deus vivit, Deus agit, Deus est totum, ut juxta Apostolum, Deus sit omnia in omnibus.* Quisquis ita sentit, ex toto corde, ex tota anima, &c. ut solum DEUM in omnibus quærat, desideret, dicat liberè, *Deus meus.*

§. 9. R. 6. *In quo non regnat vitium, sed Christus.*

Ita

Digitized by Google

§. 10. *Ita dilexit sponsa Cant. 6. v. 16.*

Ita iterum sensit sponsa cum dixit Cantic. 6. vers. 16. *Dilectus meus mihi.* Quæ verba ita explicat S. Bernard. Serm. 68. in Cantic. *Dilectus meus intendit mihi, & ego illi. Ille mihi, quia benignus & misericors est, ego illi, quia non sum ingrata: ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia, ille meæ liberationi, ego illius honori, ille saluti meæ, ego illius voluntati; ille mihi & non alteri, quia una sum columba ejus, ego illi & non alteri, neque enim audio vocem alienorum.* Similia ejusdem animæ Deo addictæ, & officia charitatis remetientis verba sunt Cant. 6. vers. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, ad quæ Theodoretus: *Ego dilecto meo me ipsum addixi, & consecravi, & alienam omnem consuetudinem contempsi; nam ipse quoque me cæteris antetulit*; juxta illud S. Cypr. l. de orat. Dom. *Discamus Christo nihil omnino præponere, quia nec vobis quidquam ille præposuit.*

§. 11. *Amor hominis erga Deum debet esse integer sive ex toto corde.*

Talem dilectionem nobis præcepit Dominus Deuter. 6. v. 5. & Lucæ 10. v. 27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua* Attende, quam stricte integer omnino, & perfectissimus amor ab homine requiratur, *ex toto corde, &c.* quæ verba SS. Patres ita explicant. S. Basilius hom. 11. in Psalm. 144. *Hoc, quod ex toto dicit, divisionem nullam admittit; ideo qui amicus est Dei perfectus, ei totam animam tribuit*, & dicere potest, *Deus meus*. S. Chrysologus Serm. 147. *Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ: ita Dei amore vult possideri, ut hominis mundanus non habeat quod violet, affectus, tum dicat, Deus meus!* S. Gregor. Mag. l. 10. mor. c. 4. *Notandum est, quod divinus sermo, dum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat, ex quanto: cum subjungit, ex toto, ut videlicet, qui perfecte Deo placere desiderat,* (qui dicere vult *Deus meus!*) *sibi de se nil relinquat.* Sic denique S. Augustinus lib. de doct. Christiana cap. 22. *Cum toto corde, ait, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem derelinquit, quæ vacare debeat, & locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.* Elegantissime Aponius lib. 2. in Cant. *Qui ergo ut jussum est, in toto corde, in tota anima & in tota virtute diligit*

Deum

Digitized by Google

Deum, nullum in se officium membrorum vacans relinquit peccato, nullum iræ, nullum mendacio, nullũ libidini: Præoccupavit enim totum habitaculum mentis suæ latissima Dei dilectione, & tentationes plurimas propter Creatorem totis viribus calcando transcendit. Æque eleganter S. Aug. *Deum ex toto corde diligere præciperis, ut omnes cogitationes tuas: ex tota anima tua, ut totam vitam tuam, ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers.*

In quo bene monet S. Bernard. ut dum hæc caritatis officia Deo remetimur, & nos ipsos totos devovemus, non inaniter extollamur, quasi à vinculis beneficiorum Dei liberi & soluti jam simus. *Nam*, ait, *cum ergo ei donavero, quidquid sum, quidquid possum, nonne illud est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem.* Et Serm. 3. de Purificat. Virg. *Quid fratres nos offerimus, aut quid retribuimus Christo pro omnibus, quæ retribuit nobis? ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem, quàm habuit, nimirum quà pretiosior esse non potest. Et nos ergo faciamus quod possumus optimum, quod habemus offeramus illi, quod sumus, utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es, qui te ipsum offerre cuncteris.* Ex quibus omnibus S. Paulinus ep. 4. hanc infert consequentiam. *Ergo illum amemus, quem amare debitum est; illum osculemur, quem osculari castitas est, illi copulemur, cui copulari virginitas est, illi subiiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est, propter illum deiiciamur, cui cadere resurrectio est, illi commoriamur, à quo vita est.* §. 12. *Nihil est quod nos Deo remetimur.*

S. Hier. inq. in verba Ps. 5. *Rex meus & Deus meus. Ille ausus est dicere verè Rex meus & Deus meus, cui nõ regnat peccatũ in mortali corpore. Rex meus & Deus meus, quia regnas in me & non regnat peccatũ; propterea Deus meus es. Tu es Deus meus, quia non est venter Deus meus; quia non est libido Deus meus, quoniam tu virtus es, & ego cupio habere virtutes, propterea tu es Deus meus, hoc est virtus mea.* Est hoc adeo verum, ut David qui toties usurpavit hanc vocẽ *Deus meus*, cum se laqueis peccati, scil. adulterii & homicidii agnovit irretitũ, ea uti ausus non fuerit, sed veniã à Deo efflagitãs dixerit Ps. 50 v. 1. *Miser. mei Deus.* Id sic observante Urb. Papa in metaphrasi quæ habetur t. 1. Bibl. PP. *Non audeo dicere meus, solummodo te Deum agnosco, sed meum te dicere non præsumo; cũ esset mihi datus & ideo proprius Deus meus, ego* §. 13. *Dilatatur paragraphus nonus.*

Digitized by Google

Allicit ex ſua natura Deus & rapit ad ſe, ſive verus, ſive putatus, §. 15. *Profeſſio*
hominis animum tenet, retinet, illaqueat atque (ut dicebat Macharius) *ita alligat ſibi, ut quaſi perpetuo ſitiens inhæreat fonti, & aquis, ut ſiti ſatisfiat.* Et hoc magna aliqua vehementia. Unde fortaſſis verba cit. verſus, *ſitivit anima ad Deum fontem vivum*, in Bibliis Clementis ita leguntur, *Ad Deum fortem vivum.* Licet enim ſiti videatur accomodatior ſimilitudo fontis, ſublimior tamen ſenſus & ad vim divinitatis exprimendam opportunior latet in vocula, *fortis*. Sic enim à vate innuitur diſcrimen, quod inter ſitim ſuam, & eam, quā idololatræ vel ſcelerum cultores, intercidit; quod idola & ſcelera veluti venenatæ beſtiæ, cor q. pellicere & acrē in eo ſitim excitare poſſint, ſed nequaquam depellere & extinguere, imo *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* At vero ipſe David, fortem vivumq; Deum ſitiat, cui non minus robur atq; fortitudo inſit ad animi ſitim explendam, quam ad excitandam. Ergo inquit David, ſitivit anima mea ad Deum fortem vivum, qui in animi mei ſiti excitanda fortis, atq; adeo fortis eſt ut nulli præter ipſum, humanarum voluptatum fontes, nulla ſæcularium bonorum flumina valeāt depellere, in ea vero explenda & exſaturanda æque fortem & vivum ſe præbeat, quippe qui torrente voluptatis ſuæ potare ſitientes ſoleat, Pſalm. 35. v. 9.

Huc pertinet prohibitio à Deo facta Levit. 26. v. 1. *Ego Dominus* §. 16. *Deus debet eſſe ſcopus noſter.*
Deus veſter, non facietis vobis idolum, nec ſculptile, nec inſignem lapidē erigetis in terra veſtra, ut adoretis eum. Has voculas, *inſignem lapidem*; varie vertunt interpretes. Pagnin. legit, *lapidem depictum aut cælatum*, Vatab. *lapidem imaginis*, hoc eſt, lapideam imaginē. Chaldea. *Lapidem adorationis*, LXX. *Nec lapidem ſignum ponetis*. Græca. *Nec lapidem ſcopum ponetis in terra veſtra*; quibus verbis ille ſenſus ineſt, non erigetis idolum, in quod tanquam in ſcopum animi veſtri ſtudia dirigatis. Eſt enim ſcopus (ſumpta metaphora à ſigno, in quod ſagitta jacitur) id, quo mentem & animi propoſitum dirigimus; unde apparet, illud dici homini pro Deo eſſe, in quod tanquam ſcopum animum dirigit & intendit, ſive cui alligatum eſt Cor.

Unde patet, non eos tantum, qui puri Ethnici ſunt, ſed illos §. 17. *Peccatum*

 etiam


mortali suo modo, nos facit idololatras. etiam qui legis divinæ observantiâ contemptâ, in rebus creatis animum & studium figunt, idololatras quodammodo dici posse. Sanè ea cujusvis lethalis criminis natura est, quod Theologi latè prosequuntur, ut qui illud committat, licet à vera Dei cognitione & cultu non deflectat, ab ipso tamen ut ultimo fine deviet, atque ideo finis ultimi ac proinde Divinitatis rationem in creatura constituat. Unde cit. versum ex Deuter. Hesychius sic explicat, *Cumulum auri aut argenti, aut pretiosorum lapidum, in quibus seducuntur avari, sicut gentiles in idolis.* Certè S. Bernardus aliquando ausus fuit in has querelas erumpere: *Væ! væ! in domo Dei horrendum vidimus! quidni? idololatras ministrantes: mentior si non idolorum servitus avaritia est, si non quibusdam etiam venter suus Deus factus est;* (subdit rationem) *quod enim quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse probatur.* Consentit S. Hieron. in ps. 80. ad ea verba: *Non erit in te Deus recens. Cujus Deus venter est, Deus ei recens est; quotcunque vitia habemus, quotcunque peccata, tot recentes habemus deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit & veneratur, hoc illi deus est: avarus aurum deum habet.* Et Philo Hebræus: *Quidquid homo præter DEum magni æstimat, idolum est.*

§. 18. *Confirmatio* Luculenter omnia confirmat S. Ambr. ad cit. Davidis verba ex ps. 118. *Tuus sum ego. Nunquid hac voce utitur avidus pecuniæ? honoris? potestatis? Apostolorum itaque vox ista est, nec omnium tamen Apostolorum, nam & Judas Apostolus fuit, & in convivio Christi inter Apostolos recumbebat, dicebat & ipse tuus sum, sed voce non corde. Venit & introivit in eum Sathanas, & cœpit dicere: non est tuus IESUS, sed meus es: denique ea quæ mea sunt cogitas, quæ mea sunt in pectore tuo volvis. Tecum* (supple JESU) *epulatur, & mecum pascitur; à te panem accipit, à me pecuniam; tecum bibit, & mihi tuum sanguinem fundit; tuus est Apostolus, & meus mercenarius.* Et statim. *Non potest sæcularis dicere, Deus meus, tuus sum: plures enim Dominos habet; Venit libido, & dicit meus es, quia ea quæ sunt corporis, concupiscis, in illius adolescentulæ amore, te mihi vendidisti. Venit avaritia, & dicit, argentum & aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est. Et venit ambitio, &c.* Quomodo ergo, tu qui hujusmodi

modi es, potes dicere, *Domine, tuus sum*, vel *meus es*. Respondebit ille, *non quicunque dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; non quicunque dicit, tuus sum, meus est*, & contra.

Ita S. Ambr. ait in persona Christi, in ps. 118. *Non est meus, quem libido succendit, quia mea est castitas; non est meus, quem cura spoliandi minores exagitat, quia mea largitio est; non est meus quem aura nobilitatis inquietat, quia mea tranquillitas est, pax sum ego, ego litigare non novi; ut quid mihi cura de quo veniat diabolus & dicat, meus est; nam mihi sua colla curvavit, mea in illo plura reperio, nomen sibi tuum vendicat, & meum munus.* Non est quis Christi, nisi qui alienus est à crimine. Nemo dicere potest *Deus meus*, nisi à vitiis sit liber. §. 19. *Confirmatio ex S. Ambr.*

Mirum est, quàm his sint consentanea, quæ scripsit Seneca l. 1. de benef. c. 6. *Sicut nec in victimis, quæ licet optimæ sint, auroq; fulgeant, deorum est honos, sed pia & recta voluntate venerantium: itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt; mali verò non effugiunt impietatem, quamvis aras multo sanguine cruentârint.* Et Philippus Junior in Panegyrico. *Animadverto etiam deos, non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentiâ & sanctitate lætari, gratioremque æstimari, qui delubris eorum, puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.* Idem monet S. Paschasius l. 7. in Matth. ad illud cap 17. *Simile est regnum cælorrm homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosa, vadit & vendit omnia quæ habet, & emit illam.* sic ait. *Quia regnum DEI tantum valet, quantum habes; veruntamen non ita emitur, ut tua tribuas Deo, te autem vitiis & diabolo; sed ut te primùm restituas ei, deinde quæ tua sunt, ut liber sequi valeas, & dicere, Deus meus!* S. Aug. *Non diligit Deus neque speciem tuam, nec oleum tuum, nec jejunium tuum, sed quod redemit ipsum offer, hoc est, animam tuam.* Et si interroges me, quomodo animam meam, quam habet ipse in potestate, offeram? & ego respondebo tibi, moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis, avertendo à malo, & convertendo ad bonum. §. 20. *Testimonia Senecæ & S. August.*



CONCIO XXII.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus,

Joan. 10. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponuntur aliquæ circumstantiæ, infinitæ misericordiæ Christi salvatoris, præsertim erga peccatores.

§. 1. *Quid significat vocula, Recipit peccatores.*

§. 2 *Christus D. continet suam omnipotentiam, ne statim puniat peccatores.*

§. 3. *Cur David conjunxerit has voculas, DEUS judex! justus! fortis & patiens!*

§. 4. *Ingens DEI Clementia, quod impios non statim puniat.*

§. 5. *Idem confirmatur ex Euthymio.*

§. 6. *Natura optimi IESU, est cunctari.*

§. 7. *Dictum Tertulliani.*

§. 8. *Discursus ex cap. 9. epistolæ ad Roman. de præsenti materia.*

§. 9. *Elucidatur exemplis.*

§. 10. *Quæstiones & responsiones S. Cypriani de hac materia.*

§. 11. *Devastatio civitatis Ierichò ex cap. 6. Iosue.*

§. 12. *Ejusdem applicatio.*

§. 13. *Dum DEUS punit, adhuc misericors est.*

§. 14. *Quando tandem DEUS puniat? scilicet, cum impleta est mensura scelerum.*

§. 15. *Quam Angelus Zachariæ ostendit in amphora, cap. 5.*

§. 16. *Prosecutio.*

Præ-

Digitized by Google

PRæparate corda & aures Auditores! iterum ſuavia, dulcia & affectuoſa myſteria, ex ſacris literis, ex SS. Patribus, & ſapientum dictis, vobis proponam, de infinita Chriſti D. Salvatoris noſtri erga nos miſeros miſericordiâ, & præſertim illâ, illoq; tenerrimo amore, quo peccatores complectitur. Occaſionem præbet citatum thema ex hodierno Evangelio; *quia hic peccatores recipit.* Recipit illos, hoc eſt, ſicut paſtor bonus quærit perditam oviculam, ita Chriſtus D. quærit peccatorem. Recipit, hoc eſt, inventam oviculam amplectitur, imponit humeris, ut reportet ad ovile. Chriſtus D. recipit peccatores, hoc eſt, offert illis ſanctiſſima vulnera, imo pectus & dulciſſimum cor ſuum, ut ibi tutum reperiant refugium & præſidium. Recipit peccatorem, hoc eſt, laſſum in via iniquitatis, cum redit, fovet & ſolatur. Recipit, hoc eſt reficit, cibat & potat illum ſuâ carne & pretioſo ſanguine. Recipit, ut illorum maculas eluat in balneo diviniſſimi illius cruoris. Recipit, dum inſtar amantiſſimi patris occurrit reduci filio prodigo, ut ruat in ejus amplexus, ut offerat oſculum pacis, ut induat & ornet illum novâ ſtolâ, & oſtendat ſe patrem, & amantisſimum patrem. Verbo, recipit peccatores, hoc eſt, ſi convertantur, tenerrimè illos amat; & peccatoris converſio eſt illi ingens gaudium. Hac concione hanc boni paſtoris proprietatem exponam: Paſtor, dum reperit perditam oviculam, non percutit, non occidit, non objicit lupo; quia amat ſuam oviculam. Eundem amorem, & longè majorem Chriſtus D. exhibet peccatori, dum illum non ſtatim punit, ſed longanimis diu exſpectat, an tandem velit reſipiſcere. Spero, &c.

§. 1. *Quid ſignificat vocula, Recipit peccatores.*

Matth. cap. 8. v. 24. aſcendit JESUS cum Apoſtolis naviculam: *& ecce motus magnus factus in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat:* ad omnia latera naviculam impugnant venti & fluctus; JESUS dormit. Undæ inſiliunt in naviculam, dormit, oritur ingens diſcipulorum clamor, ob præſentiſſimum ante oculos vitæ periculum, JESUS dormit, cauſam peculiarem advertit Rupertus in cap. 1. Jonæ. *Ipſe verò dormiebat, quia cum eſſet omnipotens, ſuam omnipotentiam continebat.* Potuiſſet ſtatim Chriſtus D. evigilare & oculos ſuos aperire, potuiſſet ſtatim im-

§. 2. *Chriſtus D. continet ſuâ omnipotentiam, ne ſtatim puniat impios.*

Digitized by Google

imperare ventis & mari, quod deinde fecit, potuisset statim compescere fluctus, & restituere tranquillitatem magnam, sed *continuit suam omnipotentiam*, ut deinde illa magis clarescerei. Frequenter legi & scio pulcerrimos discursus SS. Patrum, de hac maris irati tempestate de navicula, de fluctibus maris, de somno Christi Salvatoris. Ego modo per naviculam intelligo, arcam salutis, in qua à naufragio æternæ damnationis omnes debemus liberari, id est ipsum Christum D. per quem salvati sumus. Per fluctus, intelligo graves peccatores, qui in tempestuoso mari hujus mundi, illam naviculam oppugnant, id est, gravissimis sceleribus offendunt. Sed, nunquid idem salvator noster omnipotens est; ut impios statim puniat? cur dormit. Nunquid omnipotens, ut possit imperare morti, ut repente tales scelestos è medio tollat? cur dormit! nunquid, si jubeat fieri potest, ut quisquis actu est in statu peccati mortis, subito moriatur, & præcipitetur in barathrum inferni? cur dormit, cur dissimulat, cur differt punitionem? quare adeo longanimis est? His quæstionibus jam respondit Rupertus: *quia cum sit omnipotens, omnipotentiam suam continet, ut diu & longo tempore sit locus Misericordiæ, & amori, qui exspectat, ut revertatur impius & convertatur. Continet omnipotentiam, ne impius subito deturbetur in inferos.*

§. 3. *Cur David conjunxerit has voculas, Deus judex justus fortis & patiens.*

Puto Rupertum reperisse hunc discursum in meditatione vel ponderatione versus 12. Psalmi 7. ubi regius psaltes tria hæc combinavit. *Deus! judex! justus! fortis! & patiens.* Justus, quia nihil impunitum relinquit. Nullum prorsus est peccatum, etiam minimum, quod non vel in hac, vel altera vita puniatur. Ad hunc finem in inferno ardent ignes æterni, ut impii, si sine pœnitentia moriantur, æternum puniantur. Deus sive Christus D. justus est judex: & simul fortis? ejus potestati quis resistere poterit? Cavete impii! non differte seriam conversionem; fortis & justus judex, momento quo vult, potest repetere animas vestras, Nullus Regum, Principum, &c. in terris tam potens est, ut per momentum reluctari possit. Justus & fortis est! sed simul patiens, & longanimis, hoc est, ex infinito suo amore erga

pecca-

peccatorem, continet suam fortitudinem ut diu misericordiam offerat; ut diu sit locus veniæ & indulgentiæ. Unde David statim subjungit: *Nunquid irascitur per singulos dies?* q. d. habemus Deum justum & fortem, qui quidem quotidie offēditur, sed cum posset, non quotidie punit, quia *patiens* est, vel ut alii legunt, *longanimus, & iram non afferens vel inferens per singulos dies.*

§. 4. Ingens Dei clementia quod impios non statim puniat.

Super quæ verba S. Chrys. hanc proponit quæstionem: *Ubi est clementia, si ex justo judicabit?* & respondet, *in eo quod non statim pœnas infligat- ne quis stultus existimet, quia propter imbecillitatem non exequitur, ostendit causam dilationis, quod magna habeat spatia, & magnam mensuram Patientiæ!* Perpendite apud vos immensam multitudinem, & magnitudinem gravissimorū scelerum, quæ Dei vindictam provocant, quæ est causa dilationis? quot magna habeat spatia &c. Cogitate adulteria, fornicationes, blasphemias, &c. quibus quotidie, potissimum vero diebus festis, Deus offenditur! cur differt? Patientiæ! amoris, misericordiæ, longe major est mensura Justus est! fortis est! sed simul patiens.

§. 5. Idem confirmatur ex Euthymio.

Eandem fere quæstionem sed aliis verbis proponit Euthymius; *si justus est Deus, & condignas tribuit pœnas, quomodo potest dici patiēs & misericors?* respondet elegantissime: *quia non statim castigat: sed sustinet: & pœnitentiæ ac conversioni tempus tribuit: nec dæmonem sinit omnia perficere, quæ ille optat:* ubi multi ex nobis essent, si Christus D. ex infinita misericordia non continuisset suam omnipotentiam, si dæmoni permisisset potestatem, mittendi animas nostras in gehennam. Fare impie adulter! fare sacrilege sacerdos! illis noctibus, illis diebus, quibus tam turpia committis scelera, quid faceret diabolus tibi assistens, si Christus D. illi permitteret, illa facere, quæ optat? sile, sed statim cogita de seria conversione! denique patiens & misericors est Christus, subdit Euthymius, *quia omni ex latere nostram sitit salutem.*

§. 6. Natura optimi 'est cunctari.

Frequens apud SS. Patres est quæstio, in quo Deus Opt. Maximus, sive Christus D salvator noster potissimum ostendat infinitā misericordiam, & peculiarem aliquem amorem Placet mihi in præsenti discursu responsum S. Athanasii quæstion. 32. in parab. *suum erga homines amorem, immensa pietate erga homines*

exercet, quæ Numinis patientia & longanimitas adeo displicuit Plutarcho ut dixerit: *jam pridem enim indignabar, cum Euripidem de Deo dicentem audirem. Cunctatur! talis enim est Numinis natura. Siquidem nulla in re, minime tamen in pravorum animadversione segnem Deum esse decet.* Sententiam tamen hanc nimis temerariam erga Deum, correxit adhuc eodem libro, inquiens: *Deum Opt. Maximum, qui neminem timet, qui nullius rei indiget, vindictam tamen suspendere cernimus, debitumq; sceleribus expectare tempus.* q. d. ideo Deus tam bonus est, & tam misericors, quia non statim, ac potest, punit impios.

§. 7. Dictum Tertull. Idem videtur fuisse sensus Tertulliani, cum lib. de pat. cap. 2. dixit, *Plures* (loquitur de gravibus peccatoribus) *idcirco non credunt* nec moventur ad pœnitentiam) *quia sæculo, iratum tam diu nesciunt.* Videtur voluisse dicere, si recenter orbis periisset diluvio; si recenter spectassemus Sodomas & Gomorrhas cœlesti combustas igne, si frequenter hiatus terræ ante oculos nostros absorberent scelesta quædam capita, fortassis plures converterentur. Sed bonus Jesus cunctatur: hæc est ejus natura.

§. 8. Discursus ex c. 9. ep. ad Rom de præsenti materia. Sequitur modo elegans discursus S. Pauli de præsenti materia. In epistola ad Rom cap. 9. v. 22. ait. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* S. Apostole! vasa iræ, apta in interitum, id est, præparata ad æternum incendium; vasa iræ, id est iniquitatis; vasa repleta abominatione turpissimorum scelerum! quomodo, vel quare conversa sunt in vasa misericordiæ? quis illa replevit oleo salutis, & balsamo divinæ gratiæ? quis præparavit in gloriam? S. Paulus respondit, *Deus volens notam facere omnipotentiam, amorem, &c. sustinuit in multa patientia.*

§. 9. Elucidatur exemplis. Aliqua exempla elucidabunt has quæstiones, & responsionem S. Pauli. Primum exemplum sit ipse S. Paulus. Nunquid erat vas iræ, spirans minas & cædes erga novellam Christi Ecclesiam? cur non fuit confractum in interitum? cur cum à fulmine dejectus fuit ex equo, non simul præcipitatus in orcum: sustinuit illum Dom. & ita tandem factus fuit vas misericordiæ. In S. Paulo

Digitized by Google

Paulo Christus D. ostendit divitias gloriæ suæ. Alterum exemplũ sit Maria Magd. (si placet, formare poteris similem plane discursum.) Sed dicite impii! vasa iræ, vasa, in quibus bullit ardor omnis concupiscẽtię &c. Dicite, cur necdum statis super prunas inferni, inter gehennales flammas, cur necdum fumatis infernali fumo? Christus D. sustinet vos, ut ostendat in vobis divitias sui amoris, & infinitæ misericordiæ. *Et hoc est (* verba sunt S. Ambros. in ep. S. Pauli) *manifestare potentiam suam in multa patientia; quia diu dissimulat, quia cum posset statim judicare, diu sustinet, ut perfidi queri non possint damnati* (habes locum pro pathetico affectu sive apostrophe ad peccatores.)

Etiam S. Cypr. l. de pat. olim hæc cogitatio occurrit, si Deus vel Christus D. est justus judex, ut quid debita tã diu servat supplicia? imo cur gravissimis peccatoribus est tã bene? quare venenatis herbis, & zizaniis inter triticum tã diu datur locus? cur sinuntur crescere? cur à repentina morte non eradicantur? cur non colligantur in fasciculos? cur non proiiciuntur in infernũ, ut ardeant? His quæst. deinde ipse satisfecit his verbis. *Cum crebris, imo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutũ semel retributionis diem,* (pro bonis & impiis) *patienter exspectat, cumq; habeat in potestate vindictã, mavult Dominus tenere patientiam sustinens scilicet clementer, & differens, ut si fieri potest multũ protracta malitia aliquando mutetur* S. Chrysol. Ser. 98. *Differt eradicare zizania usq; ad judicium divina Patientia sua & nostræ pœnitentiæ tẽpus, ut qui se de malo commutavit ad bonum, Dominicum deputetur in triticum, cælestibus horreis aggregandus, si zizaniis non Dei patientia subveniret, nec Matthæum de publicano Evangelistam, nec Paulum de persecutione Apostolum Ecclesia possideret.* Dicamus hôc hodie de obduratis quibusdam peccatoribus; si Christi D. patientia non subveniret, ubi essent?

§. 10. Quæstiones, & responsiones S. Cypriani de hac materia.

Josue c 6. v. 6. reperio historiam aptissimam meo discursui: Præcipiente Domino dixit Josue sacerdotibus. *Tollite arcam fœderis, & septem alii sacerdotes septem tollant jubilæorum buccinas, & incedãt ante arcam Dom.* ad populũ ait, *ite & circuite civitatem armati, præcedentes ante arcam Domini;* hæc facta fuerunt per dies sex, sine clamore

§. 11. Devastatio civitatis Ierico, ex c. 6. Iosue.

Digitized by Google

more in magno silentio. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circumierunt urbem septies, & in septimo circuitu, dixit Josue v. 16. *Vociferamini, tradidit enim vobis Dominus civitatem; sitque civitas hæc anathema*: mox clamante populo, muri corruerunt, & ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat. ceperuntque civitatem, & interfecerunt omnia in ore gladii: deinde urbem & omnia quæ in illa erant, succenderunt. Quæstio Interpretum est; ad quid præmissi sunt sex dies? quare septem circuitus? quare per sex integros dies continuit omnipotentiam suam? nunquid primâ, nunquid alterâ die, &c. si Dominus voluisset, corruissent muri? nunquid quarta die potuisset executioni dari tanta strages. Hoc latet mysterium.

§. 12. *Ejusdem applicatio.*

Jericho, urbs impia, ob oculos nobis ponit obstinatum peccatorem, Josue, Iram & Nemesin Josue, huic statutum est impium aliquando punire æternis flammis; cur non per sex dies, sed sex & plures sæpe annos exspectat? cur differt? cur toties illi ostenditur arca fœderis? cur stant aperta ostia misericordiæ, SS. Vulnera? ad quid clangor buccinarum, sive clamor & voces Concionatorum? donec tandem, in momento, in puncto scelestus aliquis subitò moriatur, & descendat in infernum! nunquid hoc fieri potuisset ante annos plures? respondet pulchrè S. Chrysost. hom. 5. de pœnitentia. *Deus, postquam cœpit demoliendæ urbis consilium, tamen inventus est pietate tardus.* Hoc ego assero hodie de infinita Christi D. erga peccatores misericordiâ, licet tandem cogatur punire, tamen pietate tardus est. Uno, duobus, tribus, &c. diebus, imò annis, offert nobis SS. sua Vulnera; si volumus, possumus salvari. Etiam perfidi peccatores, cum puniuntur, non habent cur de ejus bonitate conquerantur.

§. 13. *Dum Deus impios punit, adhuc misericors est.*

Salvianus lib. 4. de provid. *Quid querimur, quod durè agit nobiscum Deus? multò nos durius cum Deo agimus* (ecce pulchrum locum, quomodo & quinam durè agant cum Christo Salvatore) *exacerbamus quippe eum impuritatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus invitum - vim, ut ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo inferimus misericordiæ suæ. Cumque ejus*

beni-

Digitized by Google

benignitas sit, ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris, scelera quæ admittimus vindicare; & in hoc nihilominus, bonus, pius, misericors, patiens, longanimis, quod dum punit tardus sit: quod longo prius tempore media adhibuerit misericordiæ, ad expugnandum cor peccatoris.

Superest hæc quæstio; quando tandem DEUS iratus puniat impium? Respondent SS. Patres, *quando tandem expleta est mensura peccatorum.* Ita hæc sunt intelligenda. Cuivis peccatori, postquam semel lapsus est in peccatum mortale, præfixus est certus numerus peccatorum, quem cum impleverit, nunquam salvabitur, sed reprobis annumerabitur. Anima mea cur non tremis? cur non ploras? quis scit, an talem numerum non compleveris; O mi JESU! projicio timidas has cogitationes in profundum mare tuæ misericordiæ, & pretiosissimi tui sanguinis. Doleo, quod peccaverim! malo mori potius, quam priori numero adhuc unicum addere, fortassis illud impleret præfixam mihi mensuram. Paulo clarius hæc expono, ex verbis Isaiæ cap. 1. vers. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* LXX. legunt: *populus plenus peccatis.* Vocula, *plenus*, insinuat mensuram: quam ita exponit S. Cyrillus Alexand. lib. 1. in Isa. *In cumulo ac plenitudine suorum peccatorum hæserunt; quod etiam illis Christus dixit Ioannis 8. v. 21. in peccatis vestris moriemini, etenim expleverunt & ipsi mensuram patrum suorum. Ad aliquod enim tempus, & mensuram tulit Deus contemptum delinquentium; cum autem ad plenitudinem peccati pertigerunt, supplicium irrogat.* Quid illustrius? mensuram peccatorum impleri exspectat DEUS, cum supereffluentem viderit, punit.

§. 14. *Quando tandem Deus puniat? scilicet, cum impleta est mensura scelerum.*

Mensuram, de quâ ago, Angelus ostendit Zachariæ cap. 5. vers. 5. & 6. *Angelus dixit ad me, leva oculos tuos, & vide quid est hoc? quod egreditur? & dixi, quidnam est? & ait hæc est amphora egrediens. Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit: hæc est impietas.* Quam visionem ita explicat S. Hieronymus: *Angelus qui loquebatur in Propheta, præcipit illi, ut levet*


§. 15. *Quam angelus ostendit Zachariæ in amphora. c. 5.*

oculos suos, & videat peccata populi Israel, in mensuram coacervata perfectam, & impleta delicta cunctorum. Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 33. *quoniam quæris, quidnam causa sit, cur Zacharias iniquitatem super mensuram sedentem viderit? respondeo: per mensuram, divina erga eos, qui peccaverunt, lenitatis & patientiæ finis, pœnaque principium significatur. Nec enim absque mensura, nec semper vitiis indulgere permittentur: verùm, jamjamque acerbissimis suppliciis mulctabuntur.* Hæc est cogitatio Isidori. Cuivis homini, qui peccare potest mortaliter, præfixus est certus numerus peccatorum; v. g. mille peccata mortalia; interim dum hic numerus vel mensura impleatur; patiens est DEUS, monet, rogat, terret, orat, differt punitionem; illâ impletâ finis imponitur ejus clementiæ, & in momento fit justus judex. S. Ambrosius l. 1. de Abraham cap. 5. *Magna Domini patientia! ut non statim peccatorem puniat, sed diu differat, exspectans correctionem: nec commoveatur ad ulciscendum, nisi peccator mensuram excedat; unde & Dominus IESVS in evangelio ad Iudæos ait, implete mensuram patrum vestrorum.*

§. 16. *DEVS non punit nisi impletâ peccatorum mensurâ.*

Notissima sunt verba, ab ignota manu descripta in pariete ante oculos Regis; Danielis 5. v. 25. *Mane, id est, numeravit DEus regnum tuum, & complevit illud. Techel; appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Ecce! etiam dum impium Regem punire voluit DEUS; ratio fuit habita numeri, mensuræ, & stateræ, ut sciamus DEUM, antequam puniat, numerare scelera, mensurare & appendere delicta. Theoderetus hîc. *Docuit Propheta, nihil esse, quod apud DEVM non ponderetur, quin etiam misericordiam ac divinam lenitatem, mensurâ quadam & pondere, hominibus adhibere, quando itaque transgressus es* (inquit) *clementiæ fines; accipe sententiam.* Quæso caveamus Auditores, ne peccemus iterum: fortassis, &c. (fiat ex dictis affectuosus epilogus.)

CON-



CONCIO XXIII.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum,

Joannis 16. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr varias significationes hujus voculæ, ex sacris literis & SS. Patribus declaratur vanitas hujus mundi.

§. 1. *Diabolus ipse fuit fassus; res hujus mundi esse Modicum.*
§. 2. *Sanctus Iob declaravit per punctum.*
§. 3. *Regius Psaltes, per diem hesternum.*
§. 4. *Testimonia Senecæ, S. Augustini & aliorum.*
§. 5. *Rerum humanarum mutatio, & vicissitudo ingens.*
§. 6. *Prosperitas hujus mundi est indicium damnationis futuræ.*
§. 7. *A vanitate mundi, periculum submersionis.*
§. 8. *Antonius, quomodo peremptus à Cleopatra.*
§. 9. *Felix est, qui mundum conculcat.*
§. 10. *Post paucos dies vanitatis, sequitur mors æterna.*
§. 11. *Vt stuppa accensa, sic transit gloria mundi.*
§. 12. *Prosecutio.*
§. 13. *In morte filii hujus sæculi agnoscunt vanitatem mundi.*
§. 14. *Testimonia SS. Patrum.*

DUo habet vanitas mundi; ut non diu duret; & quam diu durat, multum nocet, dum æternam animæ causat mortem. Hoc in hodierno Evangelio nobis declarare voluit Christus Dominus unicâ vocula, *Modicum.* Voculæ hujus consideratio puto movisse S. Aug. ut auream hanc nobis reliquerit sententiam. *Non vocatus es* (f. 106. de diversis) *ad feli-*

§. 1. *Diabolus fuit fassus, res hujus mundi esse modicum.*

felicitatem terrenam, sed ad cœlestem, non ad temporales successus, & prosperitatem volaticam, & transitoriam, sed ad æternam cum Angelis vitam. Quomodo abeat, transeat, volet, terrena felicitas, quam brevi & modico tempore duret mundi hujus prosperitas, ipse diabolus animarum nostrarum acerrimus hostis, nobis, proposuit ab oculos, dum Lucæ 4. v. 5. Christum Domin. post primam tentationem, ut in deserto lapides converteret in panes, *duxit in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ*; (advertite voculas quæ sequuntur) *in momento temporis*. Hoc est, brevi temporis intervallo, totius orbis terrarum gloriam ob oculos proposuit; quò ostendit, quàm facile hæc fugiant, & evanescant. Cogitate nos stare in tali monte, ex quo despicere nobis licet, v. g. S. R. Imperii majestatem. Potentiam Imperatoris Turcarum; Hispanicæ Monarchiæ coronas & sceptra; Gallicorum liliorum splendorem, cogitate vos oculis cernere tales & tantos monarchas; illorum divitias, honores, delicias; sed simul attendite verba S. Ambros. super cit. locum S. Lucæ, lib. 1. de Cain & Abel, cap. 5. ubi ait. *Bene in momento* (dicamus ex hod. Evangelio, in modico) *quia diuturna esse nequeunt; Paululum exspecta, & cito transeunt, tu itaque in Deo gloriam quære* de quo Christus D. respondit sathanæ, *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies, à quo æterna accipias; non temporalia, quæ in momento temporis transeunt.*

§ 2. *S. Iob declaravit per punctum.*

Evangelicum Modicum, Sanctus Job cap. 21. v. 13. explicat per punctum. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Multis in illo capite fuerat prosecutus impiorum felicitatem in hoc mundo vers. 7. *Sublevati sunt, confortatique divitiis.* vers. 8 *Propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum.* vers. 9. *Domus eorum secura sunt, & pacata; & non est virga DEI super illos.* versu 12. *tenent tympanum & citharam; & gaudent ad sonitum organi. Ecce beate vir* (ait Sanctus Gregorius Magnus lib. 15. moral. capite 19.) *eorum gaudia diu narraveras, quomodo nunc asseris, quod in puncto ad inferna descendunt, nisi quod omnis longitudo vitæ præsentis* (quod omnis divitiarum abundantia, honorum splendor, respectu hominis, qui diu vivere non

potest

potest) *punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur.* Cum in momento, in puncto, in modico, divites, potentes, &c. *fiunt sicut palea ante faciem venti, & sicut favilla, quam turbo dispergit.* Ita loquitur cit. cap. 21. v. 18 Cum in momento, *moritur robustus & sanus, dives & felix.* v. 23. Cum in momento, sæpe quo minime putabat. dives *moritur in amaritudine animæ, absq; ullis opibus* v. 25. Cum in puncto, *simul in pulvere dormiunt, & vermes operient eos.* v. 26. Cum in momento dicere possumus. *Ubi est domus Principis? & ubi tabernacula impiorum?* quæ ex saxis fuerunt ædificata, diruta sunt, quæ ornata fuerunt herbis & rosis, exaruerunt. Modico temporis durarunt. Et quod miserabilius est, post momentum, post punctum, sequitur dies perditionis malus, & dies furoris Domini.

§. 3. Regius Psaltes per diem hesternum.

Regius Psaltes Psalm. 89. vers. 9. Evangelicum *Modicum* ita declarat. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit. Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habetur, eorum anni erunt.* Id est, etiamsi vita nostra protenderetur per mille annos, tamen foret instar diei hesternæ. Sed cur non componit cum die præsenti vel futuro? latet mysterium, nam dies præsens adhuc manet, & aliqua ejus pars peragenda restat: dies vero crastinus adhuc erit; sed dies hesternus omnino præteriit, & nihil de illo restat, & fieri non potest, ut redeat. Itaque hic est sensus. Res humanæ omnes, & inprimis vita hominis, perinde sunt, acsi jam omnino defecissent, jam quasi præterierunt, fuerunt, sunt, & erunt sed *Modicum:* Sanctus Augustinus: *Quoniam quamtumlibet hujus vitæ longum tempus optetur, mille tamen anni ante oculos ejus, tanquam dies hesternus qui præteriit, non saltem tanquam dies crastinus, qui venturus est, & ita omnia, quæ temporis fine clauduntur, pro transactis habenda sunt.*

§. 4. Testimonia Senecæ, S. Aug. & aliorum.

Sapientissimus Seneca, de brevitate vitæ cap. 10. *Præsens tempus brevissimum est, in cursu semper est, fluit & præcipitatur; ante desinit esse, quàm venit,* & S. Aug. in coment in Ps. 38. *Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur - ante absunt pæne, quam*

Digitized by Google

veniant, & cum venerint, stare non possunt; jungunt se, sequuntur se, & non se tenent. Pagninus in cap. 38. Isaiæ. *Nostra vita, vel tempus, sphæra est, quæ tota in revolutionibus & in vicissitudinibus consistit.* Verè ita est, à die nativitatis usque ad extremum vitæ spiritum volvimur semper, nunquam sistimus, labentis vitæ rota, & paucorum dierum vertiginibus circumacti. Quod asseritur de tempore, asserendum est de usu divitiarum: divitiæ, voluptates, &c. rotæ sunt, quæ celerrime circumaguntur, fluunt, præcipitantur, instar torrentis, cujus aquæ de montibus præcipitatæ, celerrime ex oculis nostris disparent.

§. 5. *Rerum humanarum mutatio & vicissitudo ingens.* Proinde sicut in tempore, ita in rebus hujus mundi ingens variatio & commutatio; de qua S. Petrus Dam. Opusc. 57. cap. 7. *Quis est enim, cui se fortuna non transferat? & modo de adversis in prospera, modo de prosperis in adversa, Scenica se varietate non convertat? Et infert hanc consequentiam. Cum ergo fallax, hujusmodi felicitas, tot calamitatibus sit obnoxia; cum potentia temporalis tot casibus varianda subjaceat; & rerum ordo, sese velut mundanæ dejectionis alternitate confundat; quis sanæ mentis à rebus tam frivolis, tamque fugacibus animum non avertat?* & Sanctus Chrysostomus super vers. 2. capitis 1. Ecclesiastæ, *Vanitas Vanitatum*, &c. Hunc versiculum si saperent qui in potentia versantur, in parietibus omnibus, & in vestibus suis scriberent (vel *Modicum*) in foro, domo, in ingressibus. Quoniam quidem multæ sunt rerum facies, multæ imagines falsæ, quæ decipiunt incautos: istud oportet quotidie salutare carmen, & in prandiis, & in cœnis, & in omni conventu unumquemque proximo suo canere, & à proximo suo libenter audire, quia *Vanitas vanitatum &c.*

§. 6. *Prosperitas hujus mundi est indicium damnationis futuræ.* Alterum est, SS. aliqui Patres, qui per Evangelicum *Modicum* intellexerunt, rerum temporalium in hoc mundo felicitatem, eleganter observarunt, eandem non tantum modicum durare, sed esse prænuntiam futuræ damnationis in altero mundo. Ita S. Bernardinus Sen. Serm. 23. in fer. 5 post 2. Dom. Quadr. art. 3. c. 3. *Sicut fulgur tonitrua portat, ita prosperitas supplicia sempiterna prænuntiat.* S. Ambros. *Successus temporalium, futuræ damnationis indicium est.*

Quod

Digitized by Google

Quod ceti exemplo explicat Stephanus Cantuariensis, cujus ludus tempestatis signum esse perhibetur. Sic ait l. alleg. in Gen. c. 1. *Nota quod ludus ceti, signum est tempestatis, ita gaudium divitum, signum est tempestatis æternæ.* S. Bern. Serm. 11. in Ps. 90. *Quid si cui forte videtur in terrenarum affluentia rerum felicitas arridere cupita? Eo ipso infelicior est, quo vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & absorbetur ab ea*; scilicet in barathrum æternæ damnationis.

Quidam ut fabula tradit, cum ad littus fluvii umbram captare vellet, in aquas cecidit, & periit; idem omnino accidit illis; qui sectantur bona temporalia, quæ nihil aliud sunt, quam inanes imagines apparentes in undis. Plotinus Ennead. l. 6. c. 8. *Si quis ad hæc proruat, quasi vera capescens, quæ tamen velut formosæ imagines apparent in aqua; idem procul dubio patietur, quod* (ut fabula tradit) *ille perpessus est, qui umbram captare contendens, in aquam sese mersit, atq. disperiit.* §. 7. *A vanitate mundi periculum submersionis.*

Accidit filiis hujus sæculi, quod contigit Antonio; quoties edebat vel bibebat, pavidus erat, ne porrigeretur sibi venenum, nihilominus venenũ hausit, à fœmineo astu delusus cum in florido serto, quo caput redimivit variis flosculis veneno illitis, illud in cyathum generoso vino plenum injiciens, Antonium jam hilariorem invitavit ut biberet coronas. Quis timeret insidias? verum inter rosas & flores, in roseo serto Antonius hausit venenum. Hæ mundi fallaciæ sunt, floreas deliciarum coronas exhibet veneno infectas, ut ita mortales decipiat, & mortem causet animæ. Quisquis rem serio pensat, aperte deprehendet, veneno illitam sæculi felicitatem esse, lætalique contagione infectas ejus delicias, omnia ejus bona. Quisquis sapit, fugit hæc Circæa pocula, contemnit luxus, delicias sæculi, illecebrasque; venenatas coronas non carpit, abiicit potius & pedibus conculcat; mentem vero erigit ad æternas immarcessibilesque coronas, sibi certo persuadens verissimum esse axioma nobilis Interpretis S. Script. *Mundi voluptates fellis plurimum habent, nihil mellis; floreas coronas, qui ambit, spineis ambitur.* §. 8. *Antonius quomodo peremptus à Cleopatra.*

Digitized by Google

§. 9. *Felix est qui mundum conculcat.* Felix est, quisquis scit mundum contemnere. Ambitio & fastus, Persarum reges eò dementia rapuit, ut loco regis scabelli pedibus subjecerint sphæram, vel globum, sibi imaginantes, se ipsos cœlos posse pedibus suis subjicere. Vide quò fastus homines abripiat, ut homines se esse obliviscantur. Nisi fortassis reges illi possint non tantùm excusari, sed laudari, quod voluerint indicare, omnem regum gloriam nihil aliud esse, quam globum qui citò volvitur, rotatur & vertitur. Ut bene dixerit S. Aëlvedus Abbas c. 7. spec. carit. *Quid suavius? quid gloriosius? quam mundo contempto se cernere celsiorem, ac in bona conscientia vertice consistentem, & mundum habere sub pedibus, nihilque videre quod appetat.* S. Bern. *O si cognovisses & tu, quàm dulce sit cupiditates fugisse, atque fugasse, mundum habere sub pedibus, & ex altissima paupertatis specula, respicere, & despicere vanitates, & insanias falsas.*

§. 10. *Post paucos dies vanitatis sequitur mors æterna.* A vanitate hujus mundi & voluptatibus, aliud sperare non possumus quàm exitium & mortem æternam. Pistor Pharaonis in somnio visus sibi fuit tria canistra farinæ, ait enim ad Josephum Gen. 40. v. 16. *Ego vidi somnium, quod tria canistra haberem super caput meum.* Malum fuit portasse in capite, præstitisset calcare pedibus, ait enim Joseph interpres somnii: *Hæc est interpretatio - tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos Pharao auferet caput tuum, & suspendet te in cruce.* Ægyptiaca farina denotat vanitatem & delicias: ferre illas in capite, nil aliud est, quam illas amare, de illis cogitare, illis adhærere. Exspecta modicum, post tres dies adest improvisa mors, quæ impios suspendit de cruce desperationis & damnationis æternæ. Pedibus conculcanda est hæc farina: mundum contemne, & æternum vives.

§. 11. *Ut stuppa accensa, sic transit gloria mundi.* Utinam hoc modicum serio perpenderemus, memores moris, qui viguit apud Græcos; ut cum quis rex crearetur, adesset statim qui vasculum, mortuorum ossibus plenum, & stuppam lini, cui protinus ignis adhiberetur, offerret, ut ex pulvere disceret, se brevi fore pulverem: ex stuppæ vero combustione, omnia combustum iri, inque inanem fumum abitura, mundana omnia, quæ magna diuque duratura putantur.

Uti-

Digitized by Google

Utinam sic filii hujus sæculi, humanarum rerum vertigines, citatissimosque præsentis circuitus, sub cineris, stuppęque figura perpenderent.

Non possum, non apponere verba B. Petri Dam. de hac consuetudine, ep. 17. ad Alex. II. Pontif. *Apud Græcos - cum Imperator quis crearetur, mox ut imperialibus fuit infulis redimitus, corona simul ac sceptri gloriâ decoratus, cum denique procerum vallaretur obsequiis, cum exciperetur modulantibus psallentium choris, quidam præsto obvius, una manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulveribus obtulit, in alia verò stuppam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibebatur, & repente in ictu oculi* (nota Modicum) *flammâ subito vorante consumebatur. Vt in altero debeat considerare, quod est, in altero videre valeat, quod habet. In cineribus quidem se cinerem recognoscit, in stuppa jam colligit in die judicii, quam subito mundus ardebit: quatenus dum se simul ac sua, tam vana, tam flocci pendenda considerat, de imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat.* Hucusque sanctus ille: cujus verbis nihil detrahi debet, nihil addi, exceptâ unicâ voculâ Salvatoris, *Modicum.* Ut illud bene perpendentes, altè mentibus nostris infigamus auream sententiam S. Augustini. *Nulla major insania, quam pro delectatione momentanea, perdere gaudia æterna, & obligare se ad æterna supplicia.* §. 12. *Prosecutio.*

Tandem in morte sed nimis sero, has veritates credunt, filii hujus sæculi. Cap. 7. Daniel narrat hanc visionem: vidit quatuor bestias: *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Aspiciebam* (ait) *donec avulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Hæc bestia fuit symbolum regni Græcorum: proinde hoc præsertim notandum est, quod prius avulsæ illi fuerint alæ, antequam velut homo steterit super pedes, & humanum cor dicatur habuisse, quia sæpè contingit, ut tunc tantùm ad se redeant Reges, & filii hujus sæculi, se agnoscant homines, & mortales, cum se mori cernunt, cum intelligunt veritatem Modici. Ideo postquam bestia stetit super pedes, tanquam homo, tunc cor dicitur §. 13. *In morte, filii hujus sæculi, agnoscunt mundi vanitatem.*


recepisse; de quo B. Eucherius hom. in Dom. 2. Adventus: *Prima bestia regnum Græcorum est, cujus initium Alexander M. fuit, qui quasi leo rugiens, tam parvo tempore circumquaque provincias occupavit, ut magis volasse quam pugnasse videatur.* Unde non immeritò leonis speciem, & aquilæ alas habuisse describitur. Sed quoniam parvo tempore sive Modicum regnavit, ideò alas ejus evulsas dixit. Stetit autem super pedes quasi homo, quia tandem se mortalem intellexit, & cor proprium recepit, ut magis de morte, quàm de honoribus cogitaret.

§. 14. *Testimonis SS. PP.*

Voculæ, *parvo tempore*, in memoriam mihi revocant aureum monitum S. Chrysostomi hom. de avaritia. *Assiduè perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius habet quam amnium defluxus, & fumo in aerem evanescente fugacior est, & umbrâ prætercurrente inanior.* Et S. Augustinus ep. ad Sophronium. *Vides quæ sit conditio rerum nostrarum, atque rota quadam negotiorum humanorum cursu circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus, ac marcentibus; dum neque prosperitas, neque adversitas nobis constat, sed quam ocyssimè in diversum mutatur ac transilit, ut aquis & literis aquæ inscriptis, fidere liceat citiùs, quàm humanæ felicitati.* Et S. Greg. Naz. orat de pauperum amore. *Naturâ nihil est in rebus humanis firmum, & æquabile ac durabile, atque eodem statu constanter manens; verùm res nostræ velut orbe quodam volvuntur, alias sæpe etiam unâ eadem die, atque etiam interdum horâ, mutationes advehente.*

CON-

Digitized by Google



CONCIO XXIV.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum, qui misit me,

Joannis 16. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COmmendat frequentem memoriam & recordationem cœlestis gloriæ & beatitudinis, ob pulcherrimos effectus, quos in nobis operatur.

§. 1. *Christus D. suis Apostolis inculcat memoriam cæli.*

§. 2. *Cur David orsus fuerit psalmos à beatitudine.*

§. 3. *Quo sensu Christus D. sanatum cæcum Marci 8. jusserit ire in domum suam.*

§. 4. *Cogitationes de cælo sunt aurei clavi, & vitta hyacinthina.*

§. 5. *Cherub cum igneo gladio ante paradisum collocatus, provocat nos ad contemplationẽ cæli.*

§. 6. *Memoria gloria cælestis facit nos animosos.*

§. 7. *Cur collum sponsæ comparetur turri David.*

§. 8 *Memoria cæli convertit filium prodigum.*

§. 9. *Cur DEUS hominem creaverit corpore erecto.*

§. 10. *Alii sunt filii cæli, alii terræ.*

§. 11. *Respicientes cælum facilè contemnunt terrena.*

§. 12. *Memoria cæli nos facit animosos. Patet in Iacob.*

§. 13. *Applicatio ad Auditores.*

§. 14. *Idem patet in Christo D.*

§. 15. *Memoria & spes cælestis gloriæ, spinas convertit in rosas.*

§. 16. *Ejus pulchritudo rapit corda ad amandum.*

Dum

§. 1. *Christus D. suis inculcat memoriam cœli.*

DUm Christus D. suis Apostolis & discipulis retulit, se brevi rediturum ad Patrem, & quod inde sequitur ad illum locum unde venerat, scilicet ad regnum cœlestis Jerosolymæ, intentio ejus fuit, illis, & nobis quoque inculcare memoriam tantæ gloriæ, ad excitandum ingens & ardens desiderium eandem obtinendi. Pendet inde, ut magnis animis sequamur vestigia Christi, reddamusq; nos dignos, ut tale bravium felici cursu comprehendamus. Non tantum utile & proficuum, sed necessarium nobis est, ut dum per hunc mundum magno labore peregrinamur, ne succumbamus, frequenter oculos in cœlum conjiciamus.

§. 2. *Cur David orsus fuerit psalmos à beatitudine.*

Faustum principium à cœlis est. Unde David, qui totus erat cœlestis, & cœlesti numine & lumine afflatus, psalmos suos ordiri voluit à cœlis & cœlesti beatitudine: ut audita tanti jucundiq; nominis felicitate ad consequendam cœlorum beatitudinem, provocemur. *Beatus vir*, inquit Ps. 1. v. 1. Ubi S. Ambr. *Quam aptum, quā opportunum principium! Velut præco magni Imperatoris sanctus David, hortatur milites, athletas vocat: à præmio cœpit ut pondus futuri certaminis elevaret, mercedem promisit, ut unusquisque rerum sollicitudines ac labores corde transiliens, ad emerendam beatitudinem futurorū, avida festinatione contenderet.* Ita Regius Psaltes initio statim psalmorum cœlum nobis prædicavit. Homo terrenus de terrenis loquitur. David homo cœlestis de cœlo loqui voluit, & deinde ipsi Christus D. tales sermones de cœlesti gloria instituit, ut illorum memores, tanquam milites & athletæ magni Imperatoris, pondus certaminis feramus generosè, ut strenuè laboremus & ita ad emerendam beatitudinem futurorum avida festinatione contendamus.

§. 3. *Quo sensu Christus D. Marci 8. sanatū cæcum jusserit ire in domū suā.*

Marci 8. vers. 26. cum cæcus ex sputo & impositione manuum, à Christo D. recepisset lumen & visum, misit illum Dominus in domum suam dicens, *Vade in domum tuam.* Verba ad literam sonant, Christum D. fuisse locutum de domo cæci materiali; sed in sensu mystico, aliud mysterium advertit Theophilus in Cat. Sancti Thomæ: *Postquam sanavit, mittit in domum,*

nam

nam domus utriusque nostrum cœlum est & mansiones quæ sunt in eo. Solerter bonus JESUS, hominem oculis orbatum, sed sanitati & lumini restitutum suavibus verbis stimulat, & incitat ad inquirendam æternitatis mansionem; ut innovato intuitu prospectet sidera, sacrumque Beatorum domicilium amore complectatur. O cœci mortales! ut quid in tenebris ambulatis? quid terrena quæritis? ad Jesum properate, hunc rogate, ut oculos mentis aperiatis, ut eatis in domum vestram, hoc est, ut ad cœlestes illas mansiones anheletis. Qui sidera intuentur, illis sordet terra, palatia hujus mundi sunt lutea, divitiæ, voluptates, stercora! Aureas, crystallinas, stabiles quærite mansiones. Domus nostra, patria nostra, cœlum est.

Ex l. 2. Paral. c. 3. scimus Regem Salomonem internos parietes magnificentissimi sui templi ornasse Cherubinis, cælaturis, palmis, & aureis laminis, de quibus addit textus lib. 3 Reg. cap. 6. vers. 21. *Et affixit laminas clavis aureis.* De quibus piè Venerabilis Beda, *Clavi aurei, quibus affixa erant aurea lamina, ipsa sunt promissa æternæ claritatis, per quæ in exercitio studioque virtutis, ne deficiamus, donante Christi gratia continemur.* Similem fere locum reperio Exodi cap. 28. vers. 36 *facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino, ligabisque eam vitta hyacinthina.* Ex sententia S. Ruperti in Cat in Exodum. *Lamina aurea fronti imminens, Corona est gloriæ.* Secundum D. Thomam, *significabat cœlum Empyreum.* Tam beata mansio, tam insignis gloria nobis quoque est parata, sed desunt nobis aurei clavi, hyacinthinæ vittæ, quibus tantam gloriam affigere debemus frontibus & cordibus nostris, ut identidem & jugiter illius recordemur. Quiquis his vittis & clavis alligatus est pedibus & cruci Christi salvatoris, qui suo sanguine hoc bravium nobis promeruit, non desiderabit solvi vel separari. nihil sic fixum tenet cor, ne cadat, quam recordatio promissorum cœlestium, ne aurea charitatis lamina, de pariete cordis tui decidat, cœli beatitudinem tecum perpende, istis cœlestibus cogitationibus veluti clavis aureis illam affige, O dulce! O felicem ligaturā!

§ 4. *Cogitationes de cœlestibus sunt aurei clavi & vitta hyacinthina.*

felix animus, qui in terris vivens, fixus est cœlestibus. O beatum Virum!

§. 5. Cherub cũ igneo gladio ante paradisum collocatus provocat nos ad contemplationem cœli

Quoties hactenus legi versum 24. capitis 3. Genesis: *Et collocavit ante paradisum voluptatis, Cherubim & flammeum gladium*: semper judicavi, illum Angelum fuisse positum cum ignito ferro, micante scintillanteque ad horrorem, & ad incutiendum timorem mortali generi, vel certe ad minimum nobis innui, violentes rapere regnum cœlorum per ignem & gladium tribulationum. Interim fui miratus acumen Philonis, cujus opinio fuit, (libro de Cherubin) *Cherubino & igneo gladio, homini repræsentari habitationem paradisi, non tanquam hostibus locum oppugnaturis, sed tanquam familiarissimis amicissimisq; ut ex aspectu, contemplationeque mutua, innascatur desiderium mutuum.* Subdit Philo, *ille Cherubin-totius cæli, circumferentiam cogitari vult*: Ut nimirum tantæ gloriæ pulchritudine allecti, oculos in cœlum coniiciamus, & ita res humanas facillime despiciamus.

§. 6. memoria gloriæ cœlestis facit nos animosos.

Quantam vero magnanimitatem ornatissimi cœli aspectus hominibus ingerat, quantam in illis excitet admirationem, & rerum terrenarum contemptum, & despicientiam, scripsit Seneca in præf. lib. 1. natur. quæst. *Tunc consummatum habet* (homo) *plenumque bonum sortis humanæ, cum calcato omni malo petit altum, & in interiorem naturæ sinum venit, tunc juvat inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere, & totam cum auro suo terram. Nec potest ante contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles sylvas, & derivata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, & terrarum orbem terrena despiciens - totius cæli circumferentiam. Totius mundi gloriam & magnificentiam ridebis, si paveris oculos cælestium spectaculo, & pulcherrima illa atria paveris animo.*

§. 7. Cur collum

Dum cœlestis sponsus Cantic. 4. vers. 4. magnanimitatem sponsæ vult deprædicare ait, *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Symmachus legit. *sicut*

Digitized by Google

ſicut turris altiſſima. Ut ſciamus turrim à Davide ædificatam laudari non tantum propter fortitudinem, ſed quia omnibus erat conſpicua & ſublimis, ad denotandam ſublimitatem & altitudinem cordis ſponſæ. Theodoretus. *Collum ſponſæ excelſum eſt, & ſublime, altaque circumſpicit, & contemplatur.* Quod ſponſo in ſponſa mirifice placuit. Ex ſublimium enim rerum intuitu, quid ſequitur? ſubdit citatus auctor. *Neque enim brutorum more pronum in terram deſpicit, neque in ventrem vergens ſues imitatur* (ſcilicet cor hominis) *ſed erectum eſt, atque arduum, & mille clypeos gerit, atque fortium omnium jacula.* Itaque animus ſponſæ dum triumphantis Jeroſolymæ propugnacula conſiderat, dum cœlorum altitudines circumſpicit, dum eſt in erectionibus, in eminentiis, in ſublimitatibus! ſuſpenditur à terra, ideoque labentes voluptates aſpernatur, apparentia bona, cum tempore peritura, contemnit, & iſthæc deſpicientis animi magnitudo, & generoſitas, inſtar turris eſt & cœleſtis panopliæ; in qua diabolus illam impetere non audet. Cœlum aſpexiſti? Mundum deſpexiſti! diabolum viciſti.

Sponſa comparatur turri David.

Non dubito, vos hactenus ſæpius audiviſſe ex cap. 15. Lucæ, feliciſſimum reditum filii prodigi ad amantiſſimum patrem, ſed dubito, an adverteritis ejus initium & cauſam fuiſſe recordationem cœli, ſic enim ait verſ. 17. *Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi in cœlum & coram te.* Et in parentis occurſu, amplexu, oſculo, ſtatim in eadem verba erupit, *Pater peccavi in cœlum.* An cœlum DEUS eſt, qui inobedientis filii ſceleribus fuit offenſus? in hunc peccavit, non in cœlum! ſed ſubtiliter advertit ingenioſus Interpres. Oblivio cœli fuerat illi occaſio flagitii, cum cœleſtibus terrena præpoſuit, nunc cœli memoria ſalutis fuit exordium, *idcirco reverſus dixit*, (ita Patres Græci in Catena) *Pater peccavi in cœlum, & coram te. Derelinquendo peccavi in ea, præferens ipſis voluptatem contemptibilem, & præeligens cœleſti patriæ meæ regionem famis: quemadmodum enim in aurum peccare dicitur, qui illi plum-*

§. 8. Memoria cœli convertit filium prodigum.

Digitized by Google

felicitatem terrenam, sed ad cælestem, non ad temporales successus, & prosperitatem volaticam, & transitoriam, sed ad æternam cum Angelis vitam. Quomodo abeat, transeat, volet, terrena felicitas, quam brevi & modico tempore duret mundi hujus prosperitas, ipse diabolus animarum nostrarum acerrimus hostis, nobis, proposuit ab oculos, dum Lucæ 4. v. 5. Christum Domin. post primam tentationem, ut in deserto lapides converteret in panes, *duxit in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ;* (advertite voculas quæ sequuntur) *in momento temporis.* Hoc est, brevi temporis intervallo, totius orbis terrarum gloriam ob oculos proposuit; quò ostendit, quam facile hæc fugiant, & evanescant. Cogitate nos stare in tali monte, ex quo despicere nobis licet, v. g. S. R. Imperii majestatem. Potentiam Imperatoris Turcarum; Hispanicæ Monarchiæ coronas & sceptra; Gallicorum liliorum splendorem, cogitate vos oculis cernere tales & tantos monarchas; illorum divitias, honores, delicias; sed simul attendite verba S. Ambros. super cit. locum S. Lucæ, lib. 1. de Cain & Abel, cap. 5. ubi ait. *Bene in momento* (dicamus ex hod. Evangelio, in modico) *quia diuturna esse nequeunt; Paulum exspecta, & cito transeunt. tu itaque in Deo gloriam quære* de quo Christus D. respondit sathanæ, *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies, à quo æterna accipias; non temporalia, quæ in momento temporis transeunt.*

§ 2. *S. Iob declaravit per punctum.*

Evangelicum Modicum, Sanctus Job cap. 21. v. 13. explicat per punctum. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Multis in illo capite fuerat prosecutus impiorum felicitatem in hoc mundo vers. 7. *Sublevati sunt, confortatique divitiis.* vers. 8 *Propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum.* vers. 9. *Domus eorum securæ sunt, & pacatæ; & non est virga DEI super illos.* versu 12. *tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ecce beate vir* (ait Sanctus Gregorius Magnus lib. 15. moral. capite 19.) *eorum gaudia diu narraveras, quomodo nunc asseris, quod in puncto ad inferna descendunt, nisi quod omnis longitudo vitæ præsentis* (quod omnis divitiarum abundantia, honorum splendor, respectu hominis, qui diu vivere non

potest

poteſt) *punctus eſſe cognoſcitur, cum fine terminatur.* Cum in momento, in puncto, in modico, divites, potentes, &c. *fiunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut favilla, quam turbo diſpergit.* Ita loquitur cit. cap. 21. v. 18 Cum in momento, *moritur robuſtus & ſanus, dives & felix.* v. 23. Cum in momento, ſæpe quo minime putabat, dives *moritur in amaritudine animæ, abſq; ullis opibus* v. 25. Cum in puncto, *ſimul in pulvere dormiunt, & vermes operient eos.* v. 26. Cum in momento dicere poſſumus. *Ubi eſt domus Principis? & ubi tabernacula impiorum?* quæ ex ſaxis fuerunt ædificata, diruta ſunt, quæ ornata fuerunt herbis & roſis, exaruerunt. Modico temporis durarunt. Et quod miſerabilius eſt, poſt momentum, poſt punctum, ſequitur dies perditionis malus, & dies furoris Domini.

§. 3. *Regius Pſaltes per diem heſternum.*

Regius Pſaltes Pſalm. 89. verſ. 9. Evangelicum *Modicum* ita declarat. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit. Et cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habetur, eorum anni erunt.* Id eſt, etiamſi vita noſtra protenderetur per mille annos, tamen foret inſtar diei heſternæ. Sed cur non componit cum die præſenti vel futuro? latet myſterium, nam dies præſens adhuc manet, & aliqua ejus pars peragenda reſtat: dies vero craſtinus adhuc erit; ſed dies heſternus omnino præteriit, & nihil de illo reſtat, & fieri non poteſt, ut redeat. Itaque hic eſt ſenſus. Res humanæ omnes, & inprimis vita hominis, perinde ſunt, acſi, jam omnino defeciſſent, jam quaſi præterierunt, fuerunt, ſunt, & erunt ſed *Modicum*: Sanctus Auguſtinus: *Quoniam quamtumlibet hujus vitæ longum tempus optetur, mille tamen anni ante oculos ejus, tanquam dies heſternus qui præteriit, non ſaltem tanquam dies craſtinus, qui venturus eſt, & ita omnia, quæ temporis fine clauduntur, pro tranſactis habenda ſunt.*

§. 4. *Teſtimonia Senecæ, S. Aug. & aliorum.*

Sapientiſſimus Seneca, de brevitate vitæ cap. 10. *Præſens tempus breviſſimum eſt, in curſu ſemper eſt, fluit & præcipitatur; ante deſinit eſſe, quàm venit,* & S. Aug. in coment in Pſ. 38. *Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur - ante abſunt pæne, quam*

Digitized by Google

veniant, & cum venerint, stare non possunt; jungunt se, sequuntur se, & non se tenent. Pagninus in cap. 38. Isaiæ. *Nostra vita, vel tempus, sphæra est, quæ tota in revolutionibus & in vicissitudinibus consistit.* Verè ita est, à die nativitatis usque ad extremum vitæ spiritum volvimur semper, nunquam sistimus, labentis vitæ rota, & paucorum dierum vertiginibus circumacti. Quod asseritur de tempore, asserendum est de usu divitiarum: divitiæ, voluptates, &c. rotæ sunt, quæ celerrime circumaguntur, fluunt, præcipitantur, instar torrentis, cujus aquæ de montibus præcipitatæ, celerrime ex oculis nostris disparent.

§. 5. *Rerum humanarum mutatio & vicissitudo ingens.* Proinde sicut in tempore, ita in rebus hujus mundi ingens variatio & commutatio; de qua S. Petrus Dam. Opusc. 57. cap. 7. *Quis est enim, cui se fortuna non transferat? & modo de adversis in prospera, modo de prosperis in adversa, Scenica se varietate non convertat? Et infert hanc consequentiam. Cum ergo fallax, hujusmodi felicitas, tot calamitatibus sit obnoxia; cum potentia temporalis tot casibus varianda subjaceat; & rerum ordo, sese velut mundanæ dejectionis alternitate confundat; quis sanæ mentis à rebus tam frivolis, tamque fugacibus animum non avertat?* & Sanctus Chrysostomus super vers. 2. capitis 1. Ecclesiastæ, *Vanitas Vanitatum*, &c. Hunc versiculum si saperent qui in potentia versantur, in parietibus omnibus, & in vestibus suis scriberent (vel *Modicum*) in foro, domo, in ingressibus. Quoniam quidem multæ sunt rerum facies, multæ imagines falsæ, quæ decipiunt incautos: istud oportet quotidie salutare carmen, & in prandiis, & in cœnis, & in omni conventu unumquemque proximo suo canere, & à proximo suo libenter audire, quia *Vanitas vanitatum &c.*

§. 6. *Prosperitas hujus mundi est indicium damnationis futuræ.* Alterum est, SS. aliqui Patres, qui per Evangelicum *Modicum* intellexerunt, rerum temporalium in hoc mundo felicitatem, eleganter observarunt, eandem non tantum modicum durare, sed esse prænuntiam futuræ damnationis in altero mundo. Ita S. Bernardinus Sen. Serm. 23. in fer. 5. post 2. Dom. Quadr. art. 3. c. 3. *Sicut fulgur tonitrua portat, ita prosperitas supplicia sempiterna prænuntiat.* S. Ambros. *Successus temporalium, futuræ damnationis indicium est.* Quod

Digitized by Google

Quod ceti exemplo explicat Stephanus Cantuariensis, cujus ludus tempestatis signum esse perhibetur. Sic ait l. alleg. in Gen. c. 1. *Nota quod ludus ceti, signum est tempestatis, ita gaudium divitum, signum est tempestatis æternæ.* S. Bern. Serm. 11. in Ps. 90. *Quid si cui forte videtur in terrenarum affluentia rerum felicitas arridere cupita? Eo ipso infelicior est, quo vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & absorbetur ab ea*; scilicet in barathrum æternæ damnationis.

Quidam ut fabula tradit, cum ad littus fluvii umbram captare vellet, in aquas cecidit, & periit; idem omnino accidit illis; qui sectantur bona temporalia, quæ nihil aliud sunt, quam inanes imagines apparentes in undis. Plotinus Ennead. l. 6. c. 8. *Si quis ad hæc proruat, quasi vera capescens, quæ tamen velut formosæ imagines apparent in aqua; idem procul dubio patietur, quod* (ut fabula tradit) *ille perpessus est, qui umbram captare contendens, in aquam se se mersit, atq; disperiit.* §. 7. *A vanitate mundi periculum submersionis.*

Accidit filiis hujus sæculi, quod contigit Antonio; quoties edebat vel bibebat, pavidus erat, ne porrigeretur sibi venenum, nihilominus venenū hausit, à fœmineo astu delusus cum in florido serto, quo caput redimivit variis flosculis veneno illitis, illud in cyathum generoso vino plenum iniiciens, Antonium jam hilariorem invitavit ut biberet coronas. Quis timeret insidias? verum inter rosas & flores, in roseo serto Antonius hausit venenum. Hæ mundi fallaciæ sunt, floreas deliciarum coronas exhibet veneno infectas, ut ita mortales decipiat, & mortem causet animæ. Quisquis rem serio pensat, aperte deprehendet, veneno illitam sæculi felicitatem esse, lætalique contagione infectas ejus delicias, omnia ejus bona. Quisquis sapit, fugit hæc Circæa pocula, contemnit luxus, delicias sæculi, illecebrasque venenatas coronas non carpit, abiicit potius & pedibus conculcat; mentem vero erigit ad æternas immarcessibilesque coronas, sibi certo persuadens verissimum esse axioma nobilis Interpretis S. Script. *Mundi voluptates fellis plurimum habent, nihil mellis; floreas coronas, qui ambit, spineis ambitur.* §. 8. *Antonius quomodo peremptus à Cleopatra.*

§. 9. *Felix est qui mundum conculcat.* Felix est, quisquis scit mundum contemnere. Ambitio & fastus, Persarum reges eò dementia rapuit, ut loco regis scabelli pedibus subjecerint sphæram, vel globum, sibi imaginantes, se ipsos cœlos posse pedibus suis subjicere. Vide quò fastus homines abripiat, ut homines se esse obliviscantur. Nisi fortassis reges illi possint non tantùm excusari, sed laudari, quod voluerint indicare, omnem regum gloriam nihil aliud esse, quam globum qui citò volvitur, rotatur & vertitur. Ut bene dixerit S. Aëlvedus Abbas c.7. spec. carit. *Quid suavius? quid gloriosius? quàm mundo contempto se cernere celsiorem, ac in bona conscientia vertice consistentem, & mundum habere sub pedibus, nihilque videre quod appetat.* S. Bern. *O si cognovisses & tu, quàm dulce sit cupiditates fugisse, atque fugasse, mundum habere sub pedibus, & ex altissima paupertatis specula, respicere, & despicere vanitates, & insanias falsas.*

§. 10. *Post paucos dies vanitatis sequitur mors æterna.* A vanitate hujus mundi & voluptatibus, aliud sperare non possumus quàm exitium & mortem æternam. Pistor Pharaonis in somnio visus sibi fuit tria canistra farinæ, ait enim ad Josephum Gen. 40. v. 16. *Ego vidi somnium, quod tria canistra haberem super caput meum.* Malum fuit portasse in capite, præstitisset calcare pedibus, ait enim Joseph interpres somnii: *Hæc est interpretatio: tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos Pharao auferet caput tuum, & suspendet te in cruce.* Ægyptiaca farina denotat vanitatem & delicias: ferre illas in capite, nil aliud est, quam illas amare, de illis cogitare, illis adhærere. Exspecta modicum, post tres dies adest improvisa mors, quæ impios suspendit de cruce desperationis & damnationis æternæ. Pedibus conculcanda est hæc farina: mundum contemne, & æternum vives.

§. 11. *Ut stuppa accensa, sic transit gloria mundi.* Utinam hoc modicum serio perpenderemus, memores moris, qui viguit apud Græcos; ut cum quis rex crearetur, adesset statim qui vasculum, mortuorum ossibus plenum, & stuppam lini, cui protinus ignis adhiberetur, offerret, ut ex pulvere disceret, se brevi fore pulverem: ex stuppæ vero combustione, omnia combustum iri, inque inanem fumum abitura, mundana omnia, quæ magna diuque duratura putantur. Uti-

Digitized by Google

Utinam sic filii hujus sæculi, humanarum rerum vertigines, citatissimosque præsentis circuitus, sub cineris, stuppęque figura perpenderent.

Non possum, non apponere verba B. Petri Dam. de hac consuetudine, ep. 17. ad Alex. II. Pontif. *Apud Græcos cum Imperator quis crearetur, mox ut imperialibus fuit infulis redimitus, corona simul ac sceptri gloriâ decoratus, cum denique procerum vallaretur obsequiis, cum exciperetur modulantibus psallentium choris, quidam præsto obvius, una manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulveribus obtulit, in alia verò stuppam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibebatur, & repente in ictu oculi* (nota Modicum) *flammâ subito vorante consumebatur. Ut in altero debeat considerare, quod est, in altero videre valeat, quod habet. In cineribus quidem se cinerem recognoscit, in stuppa jam colligit in die judicii, quam subito mundus ardebit: quatenus dum se simul ac sua, tam vana, tam flocci pendenda considerat, de imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat.* Hucusque sanctus ille: cujus verbis nihil detrahi debet, nihil addi, exceptâ unicâ voculâ Salvatoris, *Modicum.* Ut illud bene perpendentes, altè mentibus nostris infigamus auream sententiam S. Augustini. *Nulla major insania, quam pro delectatione momentanea, perdere gaudia æterna, & obligare se ad æterna supplicia.* §. 12. *Prosecutio.*

Tandem in morte sed nimis sero, has veritates credunt, filii hujus sæculi. Cap. 7. Daniel narrat hanc visionem: vidit quatuor bestias: *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Aspiciebam* (ait) *donec avulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Hæc bestia fuit symbolum regni Græcorum: proinde hoc præsertim notandum est, quod prius avulsæ illi fuerint alæ, antequam velut homo steterit super pedes, & humanum cor dicatur habuisse, quia sæpè contingit, ut tunc tantùm ad se redeant Reges, & filii hujus sæculi, se agnoscant homines, & mortales, cum se mori cernunt, cum intelligunt veritatem Modici. Ideo postquam bestia stetit super pedes, tanquam homo, tunc cor dicitur §. 13. *In morte filii hujus sæculi, agnoscunt mundi vanitatem.*


Digitized by Google

recepisse; de quo B. Eucherius hom. in Dom. 2. Adventus: *Prima bestia regnum Graecorum est, cujus initium Alexander M. fuit, qui quasi leo rugiens, tam parvo tempore circumquaque provincias occupavit, ut magis volasse quam pugnasse videatur.* Unde non immeritò leonis speciem, & aquilæ alas habuisse describitur. Sed quoniam parvo tempore sive Modicum regnavit, ideò alas ejus evulsas dixit. Stetit autem super pedes quasi homo, quia tandem se mortalem intellexit, & cor proprium recepit, ut magis de morte, quàm de honoribus cogitaret.

§. 14. *Testimonia SS. PP.* Voculæ, *parvo tempore*, in memoriam mihi revocant aureum monitum S. Chrysostomi hom. de avaritia. *Assidue perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius habet quam amnium defluxus, & fumo in aerem evanescente fugacior est, & umbrâ prætercurrente inanior.* Et S. Augustinus ep. ad Sophronium. *Vides quæ sit conditio rerum nostrarum, utque rota quadam negotiorum humanorum cursu circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus, ac marcentibus; dum neque prosperitas, neque adversitas nobis constat, sed quam ocyssimè in diversum mutatur ac transilit, ut aquis & literis aquæ inscriptis, fidere liceat citiùs, quàm humanæ felicitati.* Et S. Greg. Naz. orat de pauperum amore. *Naturâ nihil est in rebus humanis firmum, & æquabile ac durabile, atque eodem statu constanter manens; verùm res nostræ velut orbe quodam volvuntur, alias sæpe etiam unâ eadem die, atque etiam interdum horâ, mutationes advehente.*

CON-

Digitized by Google



CONCIO XXIV.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum, qui misit me,

Joannis 16. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS.

COmmendat frequentem memoriam & recordationem cœlestis gloriæ & beatitudinis, ob pulcherrimos effectus, quos in nobis operatur.

§. 1. *Christus D. suis Apostolis inculcat memoriam cœli.*

§. 2. *Cur David orsus fuerit psalmos à beatitudine.*

§. 3. *Quo sensu Christus D. sanatum cœcum Marci 8. jusserit ire in domum suam.*

§. 4. *Cogitationes de cœlo sunt aurei clavi, & vitta hyacinthina.*

§. 5. *Cherub cum igneo gladio ante paradisum collocatus, provocat nos ad contemplationẽ cœli.*

§. 6. *Memoria gloria cœlestis facit nos animosos.*

§. 7. *Cur collum sponsa comparetur turri David.*

§. 8 *Memoria cœli convertit filium prodigum.*

§. 9. *Cur DEVS hominem creaverit corpore erecto.*

§. 10. *Alii sunt filii cœli, alii terra.*

§. 11. *Respicientes cœlum facilè contemnunt terrena.*

§. 12. *Memoria cœli nos facit animosos. Patet in Iacob.*

§. 13. *Applicatio ad Auditores.*

§. 14. *Idem patet in Christo D.*

§. 15. *Memoria & spes cœlestis gloria, spinas convertit in rosas.*

§. 16. *Ejus pulchritudo rapit corda ad amandum.*

Dum

Digitized by Google

§. 1. *Christus D. suis inculcat memoriam cœli.*

DUm Christus D. suis Apostolis & discipulis retulit, se brevi rediturum ad Patrem, & quod inde sequitur ad illum locum unde venerat, scilicet ad regnum cœlestis Jerosolymæ, intentio ejus fuit, illis, & nobis quoque inculcare memoriam tantæ gloriæ, ad excitandum ingens & ardens desiderium eandem obtinendi. Pendet inde, ut magnis animis sequamur vestigia Christi, reddamusq; nos dignos, ut tale bravium felici cursu comprehendamus. Non tantum utile & proficuum, sed necessarium nobis est, ut dum per hunc mundum magno labore peregrinamur, ne succumbamus, frequenter oculos in cœlum conjiciamus.

§. 2. *Cur David orsus fuerit psalmos à beatitudine.*

Faustum principium à cœlis est. Unde David, qui totus erat cœlestis, & cœlesti numine & lumine afflatus, psalmos suos ordiri voluit à cœlis & cœlesti beatitudine: ut audita tanti jucundiq; nominis felicitate ad consequendam cœlorum beatitudinem, provocemur. *Beatus vir*, inquit Ps. 1. v. 1. Ubi S. Ambr. *Quam aptum, quã opportunum principium! Velut præco magni Imperatoris sanctus David, hortatur milites, athletas vocat: à præmio cœpit ut pondus futuri certaminis elevaret, mercedem præmisit, ut unusquisque rerum sollicitudines ac labores corde transiliens, ad emerendam beatitudinem futurorũ, avida festinatione contenderet.* Ita Regius Psaltes initio statim psalmorum cœlum nobis prædicavit. Homo terrenus de terrenis loquitur. David homo cœlestis de cœlo loqui voluit, & deinde ipsi Christus D. tales sermones de cœlesti gloria instituit, ut illorum memores, tanquam milites & athletæ magni Imperatoris, pondus certaminis feramus generosè, ut strenuè laboremus & ita ad emerendam beatitudinem futurorum avida festinatione contendamus.

§. 3. *Quo sensu Christus D. Marci 8. sanatũ cæcum jusserit ire in domũ suã.*

Marci 8. vers. 26. cum cæcus ex sputo & impositione manuum, à Christo D. recepisset lumen & visum, misit illum Dominus in domum suam dicens, *Vade in domum tuam.* Verba ad literam sonant, Christum D. fuisse locutum de domo cæci materiali; sed in sensu mystico, aliud mysterium advertit Theophilus in Cat. Sancti Thomæ: *Postquam sanavit, mittit in domum,*

nam

nam domus utriusque nostrum cœlum est & mansiones quæ sunt in eo. Solerter bonus JESUS, hominem oculis orbatum, sed sanitati & lumini restitutum suavibus verbis stimulat, & incitat ad inquirendam æternitatis mansionem; ut innovato intuitu prospectet sidera, sacrumque Beatorum domicilium amore complectatur. O cœci mortales! ut quid in tenebris ambulatis? quid terrena quæritis? ad Jesum properate, hunc rogate, ut oculos mentis aperiatis, ut eatis in domum vestram, hoc est, ut ad cœlestes illas mansiones anheletis. Qui sidera intuentur, illis sordet terra, palatia hujus mundi sunt lutea, divitiæ, voluptates, stercora! Aureas, crystallinas, stabiles quærite mansiones. Domus nostra, patria nostra, cœlum est.

Ex l. 2. Paral. c. 3. scimus Regem Salomonem internos parietes magnificentissimi sui templi ornasse Cherubinis, cælaturis, palmis, & aureis laminis, de quibus addit textus lib. 3 Reg. cap. 6. vers. 21. *Et affixit laminas clavis aureis.* De quibus piè Venerabilis Beda. *Clavi aurei, quibus affixa erant aurea lamina, ipsa sunt promissa æternæ claritatis, per quæ in exercitio studioque virtutis, ne deficiamus, donante Christi gratia continemur.* Simi-lem fere locum reperio Exodi cap. 28. vers. 36 *facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino, ligabisque eam vitta hyacinthina.* Ex sententia S. Ruperti in Cat in Exodum. *Lamina aurea fronti imminens, Corona est gloria.* Secundum D. Thomam, *significabat cælum Empyreum.* Tam beata mansio, tam insignis gloria nobis quoque est parata, sed desunt nobis aurei clavi, hyacinthinæ vittæ, quibus tantam gloriam affigere debemus frontibus & cordibus nostris, ut identidem & jugiter illius recordemur. Quiquis his vittis & clavis alligatus est pedibus & cruci Christi salvatoris, qui suo sanguine hoc bravium nobis promeruit, non desiderabit solvi vel separari. nihil sic fixum tenet cor, ne cadat, quam recordatio promissorum cœlestium, ne aurea charitatis lamina, de pariete cordis tui decidat, cœli beatitudinem tecum perpende, istis cœlestibus cogitationibus veluti clavis aureis illam affige, O dulce! O felicem ligaturã!

§ 4. Cogitationes de cœlestibus sunt aurei clavi & vittæ hyacinthinæ.

Digitized by Google

ſicut turris altiſſima. Ut ſciamus turrim à Davide ædificatam laudari non tantum propter fortitudinem, ſed quia omnibus erat conſpicua & ſublimis, ad denotandam ſublimitatem & altitudinem cordis ſponſæ. Theodoretus. *Collum ſponſæ excelſum eſt, & ſublime, altaque circumſpicit, & contemplatur.* Quod ſponſo in ſponſa mirifice placuit. Ex ſublimium enim rerum intuitu, quid ſequitur? ſubdit citatus auctor. *Neque enim brutorum more pronum in terram deſpicit, neque in ventrem vergens ſues imitatur* (ſcilicet cor hominis) *ſed erectum eſt, atque arduum, & mille clypeos gerit, atque fortium omnium jacula.* Itaque animus ſponſæ dum triumphantis Jeroſolymæ propugnacula conſiderat, dum cœlorum altitudines circumſpicit, dum eſt in erectionibus, in eminentiis, in ſublimitatibus! ſuſpenditur à terra, ideoque labentes voluptates aſpernatur, apparentia bona, cum tempore peritura, contemnit, & iſthæc deſpicientis animi magnitudo, & generoſitas, inſtar turris eſt & cœleſtis panopliæ; in qua diabolus illam impetere non audet. Cœlum aſpexiſti? Mundum deſpexiſti! diabolum viciſti.

Sponſa comparatur turri David.

Non dubito, vos hactenus ſæpius audiviſſe ex cap. 15. Lucæ, feliciſſimum reditum filii prodigi ad amantiſſimum patrem, ſed dubito, an adverteritis ejus initium & cauſam fuiſſe recordationem cœli, ſic enim ait verſ. 17. *Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi in cælum & coram te.* Et in parentis occurſu, amplexu, oſculo, ſtatim in eadem verba erupit, *Pater peccavi in cælum.* An cœlum DEUS eſt, qui inobedientis filii ſceleribus fuit offenſus? in hunc peccavit, non in cœlum! ſed ſubtiliter advertit ingenioſus Interpres. Oblivio cœli fuerat illi occaſio flagitii, cum cœleſtibus terrena præpoſuit, nunc cœli memoria ſalutis fuit exordium, *idcirco reverſus dixit,* (ita Patres Græci in Catena) *Pater peccavi in cælum, & coram te. Derelinquendo peccavi in ea, præferens ipſis voluptatem contemptibilem, & praeligens cæleſti patria mea regionem famis: quemadmodum enim in aurum peccare dicitur, qui illi plumbum*

§. 8. Memoria cœli convertit filium prodigum.

bum præfert: ita in cœlum peccat, qui illi terrena præponit. At nunc cum cœli radius ejus menti illucet, labentes sæculi voluptates spernit; cum cœlum tangit, terram contemnit: *& ita* (ut D. Chrysologus ait ser. 3. de prodigo) *surrexit iste, mentis & corporis de ruina: surrexit de profundo inferni, cœli alta contingens.* Occasione hujus paragraphi habes latissimum campum, separandi tuos Auditores in duas classes, unam eorum, qui cum filio prodigo comedunt siliquas porcorum; alteram eorum, qui cum Christo D. cogitant, se tendere ad cœlum.

§. 9. *Cur DEUS hominem creaverit corpore erecto.*

Inter Interpretes, qui causas examinant, ob quas rerum omnium conditor DEUS, in architectura hominis, sive formatione humani corporis, ejus verticem, sive caput erexerit in altum ad intuendum cœlos; eleganter ait Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 22. *Dignitas pulchrè exprimitur conditionis humanæ, qua à cunctis longè diversa sit animantibus, tam formaturâ corporis, quam vivificatione DEI inspirantis. Forma corporis in hoc solo animante sursum caput attollit, cœlum intuetur, terramque calcans pedibus, recto pectore incedit, & sidera, vel cœlestia regna, supernè positis meditari commonentur oculis.* Reliquæ animantes incurvantur ad terram, delicias & felicitatem in terreno pabulo inquirentes: at homo ad superos, & cœlestis Regis aulam attollit oculos, ut æthereas regiones animo lustret, pascatque oculos gratissimo siderum spectaculo. Geminam illam sententiam benè connectit Rupertus: *Cœlum intuetur, terramque calcat pedibus.* Quid enim ex supernornm intuitu, & contemplatione promanaret, nisi terrenorum conculcatio, & humanarum rerum contemptio, & despicientia?

§. 10. *Alii sunt filii cœli, alii terræ.*

Unde clare infertur à Philone differentia hominum, super illa verba Genesis cap. 6. vers. 4. *Gigantes erant super terram.* Hoc est, affixi terræ, inhiantes voluptatibus, graves sceleribus, dum ait: *Docemur alios esse terræ, alios cœli homines; terræ quidem eos, qui venantur voluptates corporis; Cœli autem eos,*

qui

Digitized by Google

qui tenent artes ac scientias, aut eas sectantur. Homo cœli fuit Abraham, id est, (ait Philo) *homo sublimis, æthereaque naturæ scrutator, ex quo studio appellationem præsentem sibi accersivit, Abraham enim interpretatur pater sublimis, nomen conveniens consideranti sublimia, cœlestiaque.* Ingens elogium! esse aliquem hominem cœlestem. Ignominiosum verò esse filium terræ; qualis v. g. fuit Esau, qui, &c.

Quisquis cœlum respicit, ab omnibus terrenis affectibus facillime nudatur. Ideò sponsa de se ait Cant. cap. 5. vers. 3. *Spoliavi me tunica mea.* Hoc est, inquit Gilbertus Abbas, serm. 43. in Cantic. *Nuda sum ab omni materia mundi, & sine impedimento velaminis, libera & quasi revelatâ facie, gloriam contemplatura Dilecti, surgam, ut aperiam ei. Brevis via. Nam Dilectus stat ad ostium, vociferans & pulsans, quasi moræ impatiens. Pulsat ad ostium, explorat aditus, & ardentius diligens prævenit me:* Ut scilicet trahat in odorem unguentorum cœlestis gloriæ; cujus spes & memoria, etiam viam Crucis facit dulcissimam, & rosis aspergit. Ob quam causam, sponsæ, dum amoris poculo ebria, per plateas & compita, quærula voce quæsivit Sponsum; vigiles & custodes murorum, Cantic. cap. 5. vers. 7. tulerunt ei pallium, ut nuda nudum sequeretur (sunt fermè verba Hugonis Cardinalis) & omnia illam relinquere facerent Quisquis Christum Dominum ardenter diligit & gloriam ejus concupiscit, facile permittit, ut omnia vestimenta terrenorum affectuum illi auferantur: imò hæc nuditas erit fons ingentis consolationis: juxta promissionem Jobi cap. 22. vers. 26. *Tunc deliciis affl.ues.* Sed quo modo vel quare? Respendet versio LXX. *Fiducialiter agas coram Domino, inspiciens cœlum hilariter.* Hoc est, si contingat te spoliari divitiis, quod contingit Jobo: fide DEO, & hilariter inspice cœlum, affl.ues deliciis. (hoc modo per varias tribulationes pulchra poterit fieri inductio.)

§. 11. *Respicientes cœlum, facile contemnunt terrã.*

Inter tales delicias, eadem memoria cœlestis gloriæ, & spes nos facit audaces & animosos. Figura fuit Patriarcha Jacob, dum enim egressus è domo Laban, inaudiit iratum fratrem Esau,

§. 12. *Memoria cœlines facit animosos Patet in Jacob.*

Digitized by Google

ſua premere veſtigia, *Timuit Iacob valde, & perterritus* (Gen. c. 32. v. 11.) Deum precatur, *Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo.* Sed mox capite ſequenti ejus charitas & dilectio erga ſuos, præſertim dilectam & formoſam Rachelem, foras miſit timorem, & diſcuſſâ formidine, ante faciem ſuorum præcucurrit, tanquam murum & propugnaculum ſe opponens furori fratris, ut morte & profuſione ſanguinis ſuos redderet incolumes. *Et ipſe progrediens*, ait v. 3. LXX. *Ipſe autem præceſſit eos*, ut primus prælium exciperet. Florididiſſimo diſcurſu ſuper hunc locum diſcurrit S. Chryſoſtomus hom. 33. 1. Corinth. c. 13. *Quod meticuloſus fuerit Iacob, ex eo liquet, quod dum Eſau fratrem præſtolaretur, timore penè exanimabatur. Sed vide quomodo timidus ille, caritate ſuſcitante, leone quovis animoſior evadat: velut propugnaculum enim quoddam, ſe ipſum ante cæteros omnes locans, paratus erat,* - fratrem - *ſpirantem ferrum, & minas excipere primus, & ſuo ipſius corpore parare - ſuis ſalutem, & quem domi timebat, quem horrebat, intueri primus in acie ſtudet. Erat terrore major, ſcilicet ille - in Rachelem - amor. Vides quo pacto, qui timidus erat, audax evaſit confeſtim, non equidem naturæ habitum immutans, ſed caritatis vi coactus.*

§. 13. *Applicatio ad Auditores.* Cum Chriſtus D. claris verbis monuerit violentos rapere regnum cœlorum, clarum eſt, nos quoque certando, pugnando, laborando debere obtinere illud bravium, & quidem contra potentes hoſtes, contra infernalem Eſau, qui inſtar rugientis leonis nos dies noctesque perſequitur; ne timeamus, ne in prælio ſuccumbamus, ne exanimemus, caritas & amor formoſiſſimæ Rachelis, hoc eſt, cœleſtis gloriæ, generoſos in nobis ſuſcitare debet ſpiritus, quibus reddamur audaces ad fortiter pugnandum, conjiciendo oculos in Rachelem, in cœleſtem gloriam. Hæc caritas, hic amor nos faciet leones, & vis eoſdem coget nos ad opera heroica omnium virtutum.

§. 14. *Idem patet in Chriſto D.* In umbra Jacobi, ſive hac figura, licet nobis intueri delineatum JESU CHRISTI myſterium. Timuit JESUS mortem, Judæorum cohortem, Judam proditorem. Sed triſtitia & horrore correptum, mox leone quovis animoſiorem illum reddidit amor,

amor, dum in hostiles acies impavidus irruens, quærit, *Quem quæritis?* Christus D. velut propugnaculum se se objecit ante suos; (est locus pro pulchra descriptione) ut suis obtineret salutem, & gloriam cœlestis beatitudinis! (inquit nobilis Interpres) itaque Christum imitemur, &c.

Addo breviter ultimam partem hujus discursus; quod desideranti cœlestem gloriam, etiam spinæ sint rosæ & deliciæ. Cant. 3. v. 11. dicunt cœlestes genii ad filias Jerusalem: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Plerique SS. PP. & Interpretes, putant hæc dicta de spinea corona Christi D. inter quos Theodoretus. *Matrem appellat Judæam, spinis enim illum contemptus causa coronavit. Ipse verò per spinas suscepit diadema caritatis; sponte enim illam ignominiam pertulit, atque ultrò ad mortis cruciatus accessit. Quamobrem desponsationis illam diem vocavit, & diem lætitiæ cordis.* Sed quis spinas convertit in rosas? fel in mel? Idem scilicet dies desponsationis & lætitiæ, quatenus repræsentabat diem illam felicissimam, beatissimam, quâ æternùm in gloria, & in cœlis coronabimur coronâ immensæ beatitudinis. Ne spinæ te pungant, sed convertantur in rosas, ama, dilige, & oculos conjice in coronam æternæ gloriæ.


§. 15. Memoria et spes cœli spinas convertit in rosas.

Quam incredibili voluptate sensus demulceat, & animum pelliciat venustas, testis est S. Augustinus l. 4. conf. cap. 13. *Non amamus aliquid nisi pulchrum: Quid est ergo pulchrum? & quid est pulchritudo? quid est quod nos allicit & conciliat rebus, quas amamus? Nisi enim esset in eis decus & species, nullo modo nos ad se moveret.* Scio hæc præcipue dici de pulchritudine Christi D. DEI & hominis, qui est ipsa substantia pulchritudinis; ita decorus, ut sit ipsum decus humani generis, & consummata pulchritudo, neque proinde mirum sit, quod omnes ad sui amorem rapiat, & pelliceat, juxta v. 3. psalmi 49. *Ignis in conspectu ejus exardescet.* Etenim formositas eructat incendia, & jaculatur flammas, jaculisque caritatis ferit oculos. Et quis ambiget, quod ad conspectum JESU exardescat ignis? D. Bruno, id est; *Fervor dilectionis an-*

§. 16. Cœlestis gloria pulchritudo, rapit corda ad amandum.

Digitized by Google

augmentabitur ad modum ignis exardescentis in conspicientibus cum speciali aspectu. Hæc omnia quæ afferuntur de pulchritudine Christi, & suavissimis ejus affectibus, quod aspicientes recreat & soletur, quod moveat ad amorem, &c. verissima sunt de memoria Cœlestis gloriæ! quid est pulchrum! &c. habes materiam pro affectuosissimo epilogo, &c.



CONCIO XXV.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite & accipietis.

Joannis 16. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Commendatur Oratio humilis.

§. 1. *Introitus.*

§. 2. *Suadet, ut oremus in valle. Quid hoc sit?*

§. 3. *Fontes ebullientes in vallibus, sunt symbolum humilis Orationis.*

§. 4. *Oratio humilis est scala Cæli.*

§. 5. *Quare David petierit velociter exaudiri.*

§. 6. *Regina Saba, humilitate rapuit oculos & cor Salomonis.*

§. 7. *Qualem orationem respiciat Dominus.*

§. 8. *Humilitatem ad orationem requisitam, docuit nos Christus D. in monte Oliveti.*

§. 9. *Inter orandum simus parvuli, & infantes.*

§. 10. *Cur Filius hominis se vocet primum & novissimum.*


§. 11.

Digitized by Google

MUlta hactenus in variis Concionibus vobis proposui de excellentia, fructibus, utilitate & necessitate Orationis; supersunt multa de ejusdem proprietatibus, ut optimo jure & fundamento dici possit, *bona est Oratio, cum jejunio & eleemosyna.* *§. 1. Introitus.*

Hac vice desidero, ut sit humilis Orationem enim humilem exaudit, & remunerat Dominus. Lib. 1. Reg. cap. 6. ait versus 13. *Bethsamitæ metebant triticum in valle, & elevantes oculos suos, viderunt arcam, & gavisi sunt.* Hunc locum ad mores trahit Sanct. Gregorius, ex cujus discursu hæ formari possunt quæstiones. 1. quid significet Bethsames. 2. quid Bethsamitæ. 3. quid sit metere triticum. 4 quid elevare oculos. 5. quid respicere arcam. 6. Cur hæc omnia contigerint in valle: Respondet S. Gregorius, 1. Bethsames idem est, ac domus solis. 2. viri ergo Bethsamitæ, sive illi, qui habitant in domo solis, sunt illi, qui in oratione & meditatione rerum cœlestium attentis oculis Deum respiciunt, & ferventibus precibus ejus opem & auxilium implorant. (Cum hodie sit Dominicæ Congregationis Agoniæ, videor mihi ejus sodales appellare posse Bethsamitas, sive illos qui in domo solis, qui in quinque palatiis SS. Vulnerum Jesu Crucifixi habitant, ibi gemunt, suspirant, orant, ut sanctis precibus obtineant sanctam mortem.) 3. Tales triticum metunt, hoc est, magnas à liberali Deo obtinent gratias, illuminantur, accenduntur à radiis solis justitiæ; verbo, ex oratione eximios & præclaros decerpunt fructus. 4. Elevare oculos est orare. 5. respicere arcam, est implorare DEI auxilium. Sed 6. cum magno mysterio exprimitur locus, in quo collegerunt triticum, scilicet in valle; vallis autem sive locus depressus *§. 2. Suadet orantes in valle. Quid sit.*

augmentabitur ad modum ignis exardescentis in conspicientibus cum speciali aspectu. Hæc omnia quæ asseruntur de pulchritudine Christi, & suavissimis ejus affectibus, quod aspicientes recreat & soletur, quod moveat ad amorem, &c. verissima sunt de memoria Cœlestis gloriæ! quid est pulchrum! &c. habes materiam pro affectuosissimo epilogo, &c.



CONCIO XXV.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite & accipietis.

Joannis 16. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Commendatur Oratio humilis.

§. 1. *Introitus.*

§. 2. *Suadet, ut oremus in valle. Quid hoc sit?*

§. 3. *Fontes ebullientes in vallibus, sunt symbolum humilis Orationis.*

§. 4. *Oratio humilis est scala Cœli.*

§. 5. *Quare David petierit velociter exaudiri.*

§. 6. *Regina Saba, humilitate rapuit oculos & cor Salomonis.*

§. 7. *Qualem orationem respiciat Dominus.*

§. 8. *Humilitatem ad orationem requisitam, docuit nos Christus D. in monte Oliveti.*

§. 9. *Inter orandum simus parvuli, & infantes.*

§. 10. *Cur Filius hominis se vocet primum & novissimum.*

§. 11.

Digitized by Google

§. 11. *Quare sponsus se appellaverit florem campi, & lilium convallium.*
§. 12. *Elegans descriptio humilis orationis ex S. Bernardo.*
§. 13. *Ad orationem humilium DEUS inclinat aurem suam.*

MUlta hactenus in variis Concionibus vobis proposui de excellentia, fructibus, utilitate & necessitate Orationis; supersunt multa de ejusdem proprietatibus, ut optimo jure & fundamento dici possit, *bona est Oratio, cum jejunio & eleemosyna.* *§. 1. Introitus.*

Hac vice desidero, ut sit humilis Orationem enim humilem exaudit, & remunerat Dominus. Lib. 1. Reg. cap. 6. ait versus 13. *Bethsamitæ metebant triticum in valle, & elevantes oculos suos, viderunt arcam, & gavisi sunt.* Hunc locum ad mores trahit Sanct. Gregorius, ex cujus discursu hæ formari possunt quæstiones. 1. quid significet Bethsames. 2. quid Bethsamitæ. 3. quid sit metere triticum. 4 quid elevare oculos. 5. quid respicere arcam. 6. Cur hæc omnia contigerint in valle: Respondet S. Gregorius, 1. Bethsames idem est, ac domus solis. 2. viri ergo Bethsamitæ, sive illi, qui habitant in domo solis, sunt illi, qui in oratione & meditatione rerum cœlestium attentis oculis Deum respiciunt, & ferventibus precibus ejus opem & auxilium implorant. (Cum hodie sit Dominicæ Congregationis Agoniæ, videor mihi ejus sodales appellare posse Bethsamitas, sive illos qui in domo solis, qui in quinque palatiis SS. Vulnerum Jesu Crucifixi habitant, ibi gemunt, suspirant, orant, ut sanctis precibus obtineant sanctam mortem.) 3. Tales triticum metunt, hoc est, magnas à liberali Deo obtinent gratias, illuminantur, accenduntur à radiis solis justitiæ; verbo, ex oratione eximios & præclaros decerpunt fructus. 4. Elevare oculos est orare. 5. respicere arcam, est implorare DEI auxilium. Sed 6. cum magno mysterio exprimitur locus, in quo collegerunt triticum, scilicet in valle; vallis autem sive locus depressus *§. 2. Suadet oremus in valle. Quid sit.*

Digitized by Google

humilitatem significat, quia illi prælertim eximium fructum ex oratione colligunt, qui coram DEO in humilitate se abiiciunt, & orant, audite verba Sancti Gregorii. *Qui enim Bethsamitæ rectius possunt intelligi, quam hi, qui perfecti viri jam sunt in sublimitate contemplationis? nam veluti de domo solis sunt, qui contemptis terrenis omnibus, veri luminis splendoribus illustrantur,* (iterum fieri potest digressio ad Sodales Agoniæ) *Quid est ergo quod Bethsamitæ metunt triticum in valle? nisi quia contemplativæ vitæ dediti, delicias æternæ refectionis colligunt in virtute humilitatis.* Oratio humilis obtinet, quod vult.

§. 3. *Fontes humilitatis in vallibus sunt symbolum humilis orationis.* Ex una in aliam vallem deducor. Versus 10. Psalmi 103. ait, *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.* Plerumque fontes nascuntur in vallibus ad radices montium, imo imbres, qui super montes decidunt, mox defluunt in valles, ideoque plerumque sunt steriliores, quam valles. Per valles, inter medium montium decurrunt rivuli. Iterum vallis designat humilitatem, aqua vero gratiam, quam instar pluviæ ex alto demittit Dominus; sed hæc pluvia licet decidat super montes & valles, nihilominus in montibus non manet, sed colligitur in vallibus; quia humilis oratio gratiam DEI ad se trahit. Sanct. Gregorius cap 4. lib. 5. in Reg. *Vallis namque in sacro eloquio æstimationem designat humilium, Psalmista attestante, qui de Domino loquens ait: qui emittis fontes in convallibus, nam infusionem supernæ gratiæ infundit dispositis per humilitatem.* Advertant iterum Sodales Agoniæ, quomodo debeant esse dispositi, cum ex fontibus salvatoris haurire velint aquas salutis, scilicet ut sint humiles. In valle humilitatis illos fontes reperiemus.

Necdum invenio exitum ex his vallibus. Psalm. 83. vers. 6.

§. 4. *Oratio humilis est scala cæli.* ait David. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te*, id est, beatus est ille, qui sibi parum fidens, omnem spem suam in DEUM collocat, multam enim ex hac humilitate capiet utilitatem. Et quam? *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* Nempe animi demissio, dum oramus, scala

quædam

quædam est, per quam mens ascendit ad DEI cognitionem. Forte hæc illa scala est, quam vidit Jacob ad cœlum usque à terra pertingentem; dum in somno, sive dum in quieta oratione, sub arbore, cubaret humi, & caput suum super saxum inclinasset; ita Auditores, cum scalam orationis vultis applicare ad cœlum usque, imo usque ad thronum Divinæ Majestatis, basis sive fundamentum scalæ, debet esse terra, sive humilitas, humi oportet cubare, cavete ne cum superbissimo Lucifero cogitationes vestras elevetis super nubes, & montes Aquilonis, disponite vos per humilitatem, & scalam orationis erigite quantum vultis. S. Gregor. in Ps. 7. ex pœnit. *Si amore cælestium accensus fueris, & per gradus ascenderis humilitatis, poteris & tu dicere cum Propheta, auxilium meum à Domino.*

Psalm. 142. ait David vers. 7. *Velociter exaudi me.* Non tantum cupit ut exaudiatur, sed desiderat ut hoc statim, & sine mora fiat. Sed unde tanta fiducia? subdit, *defecit spiritus meus*, non volvo cogitationes altas, non habeo spiritum superbiæ, fundo orationem meam cum multa animi mei humilitate, habeo cor contritum & humilitatum, & ideo non tantum spero me exaudiendum, jure quodam, fundato super humilitatem meam, postulo ut illud velociter fiat. Sanct. Gregor. cit. *Parum desideranti est, si exaudiatur, nisi etiam velociter exaudiatur. Addit causam, quare ita exaudiri debeat, quod inflantem spiritum non habeat, sed spem suam omnino in Deo ponat, dicendo enim, defecit spiritus meus, pauperem spiritu se testatur.*

§. 5. *Quare David petiverit velociter exaudiri.*

Scimus ex 3. Reg. cap. 10. quam liberalis & familiaris erga Reginam Saba fuerit Salomon, quod ostenderit illi regios thesauros. &c. (vide lib. 3. Reg. 10.) quærunt Interpretes ob quam causam Regina Saba ita rapuerit oculos & cor Salomonis. Aliqui illam sumunt, ex illis verbis vers. 5. quæ de Regina ajunt, quod in conspectu Salomonis, ante regium thronum, *non habuerit ultra spiritum*, hoc est, quod profundissima quadam reverentia, & pulcherrimi corporis inclinatione, tanta gratia Salomonem adorarit, ut statim invenerit gratiam in oculis ejus.

§. 6. *Regina Saba humilitate rapuit oculos & cor Salomonis.*

ejus. Pulchrè P. Pinna: *Regina Saba, anima est, quæ ad DEUM se convertit; quæ coram throno divinæ Majestatis sese abjiciens, ferventi oratione ejus auxilium implorat.* Talis si Spiritum superbiæ evacuet, si turgere desierit, & spiritum humilitatis induerit, à rege Salomone, à Christo Domino excipitur, exauditur, & regiis remuneratur donis. S. Gregorius ait: *Hinc de Regina Saba scriptum est, quod non habebat ultra spiritum, quia electorum Ecclesia de gentibus congregata, cognitâ CHRISTI gratiâ -- abjecto superbiæ spiritu, omnique elationis fastu deposito, didicit de se ipsa deficere, & in Regis sui misericordia magna sperare.* (NB. si sit Dominica Congregationis Agoniæ, habes locum pro affectuosa digressione ad orationem Rosarii Sanctissimorum Vulnerum, quo ejus sodales postulant sanctam mortem.)

§. 7. *Qualem orationem respiciat Dominus.*

Cap. 66. vers. 2. ait Dominus per Isaiam: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* DEI respectus idem est, quod oratio, per quam nos respicimus Dominum, & vicissim ab illo respicimur, si tamen simus pauperculi, si contriti, & trementes, quæ omnia animi humilitatem, & abjectionem portendunt. Ergo sensus est, illum respici à DEO, qui orat, & humilis est. S. Gregorius sæpius cit. *Non enim DEI receptaculum, quisquam efficitur, nisi spiritu suo primitùs exacuetur. Nam non requiescit Spiritus DEI, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones DEI.* Ideò David ait Psal. 118. vers. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Hoc est, sub meis orationibus humiliavi me; & - *in verbum tuum speravi.* Id est, juxta verbum DEI, & factas promissiones, judico me posse omnia à DEO obtinere, quia sum humilis, & oro. S. Gregorius M. *Nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui supra ipsum est, non appropinquat.* Ex animi humilitate oratio sumit vires. S. Bern. Ser. 4. de Nat. *Humilitas DEO nos reconciliat - DEO placet in nobis; sicut ait B. Virgo, respexit humilitatem ancillæ suæ.*

§. 8. *Humilitatem, ad orationem requisitam*

Hunc modum orandi nos docuit Christus D. Matth. 26. v. 37. *cum assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mæstus esse.* Quid est, quod hos Apostolos elegerit præ aliis? scilicet, quia hi præ aliis superbierant, Jacobus quidem & Joañes,

pri-

primas sedes appetendo, Petrus verò ardua supra humanas vires promittendo, ut Christus D. hunc superbiæ morbum curaret. (Origines tr. 55. in Matth.) *ad hoc autem adduxit eos, maximè Petrum magna de se confidentem, ut videant & audiant, ubi est posse hominis, & quomodo impetratur* (id est, quomodo debeamus orare.) *videant eum cadentem in faciem suam* (Pulchre hoc describe) Ita oremus exemplo Christi, & velociter exaudiemur. Ad Philippenses c. 2. v. 6. de Christo D. ait S. Paulus, *qui cùm in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est esse se aqualem DEO, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Hoc faciamus, cum oramus. **nos docuit Christus D. in monte Oliveti.**

Alium modum orandi nobis suggerit S. Petrus ep. 1. c. 2. v. 2. *Sicut modò geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis.* Doctrinam, quæ latet in his verbis advertit S. Petrus Chrysolog. s. 128. *nempe pueri, dum à patre, vel matre aliquid volunt obtinere, cum à matre petunt ubera, non viribus id tentant, non armis, sed precibus & humili voce omnia conficiunt. Ut noverint Christiani, non tantum deferendū esse viribus, quàm precibus & orationi*; ita loquitur Chrysol. *Infantiā dico fratres, qua totū semper obtinet; qua plus lachrymis, quam virium oratione contēdit.* (digressio ut sodales Agoniæ sint parvuli. **§. 9. Inter orandum simus parvuli, & infantes.**

Apoc. 1. v. 17. Christus D. de se ait. *Ego sum primus & novissimus.* Repetit eandem sententiam c. 22. v. 13. *Ego sum alpha & omega, primus & novissimus, principium & finis,* id est, sum primus, quia fui novissimus & humillimus, scilicet cum factus fui obediens usq; ad mortem Crucis: nunc exaltatum est nomen meum, &c. humilitas enim est mensura excellentiæ, & eò quis magis alios excellit, quò profundius se aliis submittit; hæc fuit mens S. Chrysost. in ps. 50. *Ipse enim verus David, manu-fortis atq; mansuetus, primus & novissimus; æternitate primus, humilitate ultimus.* Ergo qui Christum imitatur, fit humilitate ultimus, sed primus merito, & excellentiâ. His positis, ego quæro, quænā sit mensura perfectissimæ orationis, sive quis sit primus in arte bene orandi; ni fallor, recurrere debemus ad basin humilitatis, quò profundius hæc posita est, in abysso terræ, sive humilitatis, supra firmam petram quæ Christus est, eo altiùs & securius per orationem homo Christianus se erigere potest in altum, & alis piorum affectuum elevare se usq; ad thronum divinæ majestatis, coram quo, novissimuš sive humillimus est primus. Humilitate ultimus, in sanctitate primus. **§. 10. Cur Filius hominis se vocet primū & novissimum.**

 Idem

Digitized by Google

§. 11. *Quare sponsus se appellaverit florem campi, & lilium convallium.* Idem videtur voluisse insinuare sponsus Cant. 2. v. 1. *Ego flos campi & lilium convallium.* Campus est locus apertus & latè patens; vallis est locus humilis & depressus. In campis varii crescunt flosculi, symbola pulcherrimarum virtutum, in quibus sponsus fuit excellens, patiens, mitis, obediens, &c. gaudet tamen potissimum, quod sit lilium convallium sive quod sit humilis, q. d. humilitas tantùm superat reliquas virtutes, quantum lilia, candore, odore, altitudine, &c. superant reliquos flores, ita S. Ambrosius in Ps. 118. *Pulchrè dictum est lilium convallium: quia in humilibus magis elucet gratia.* Pari ratione; vocate orationes & preces flosculos, vocate rosas, narcissos, &c. ego quæro, quænam oratio vocari possit lilium; quænam oratio sit perfectissima? Respondeo, quæ crescit in convallibus, sive, oratio humilis.


§. 12. *Elegans descriptio humilis orationis ex S. Bernardo.* Qualem eleganter describit S. Bernardus serm. de 4. orandi modis: *Omnino oportet orationis tempore curiam intrare cælestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Unde & ipse qui viderat, quia majorem numerum non invenit, millia ait, millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, è palude sua procedens & repens, ranuncula vilis? Quam tremebundus & supplex, quam denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo, Regi gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio justorum & congregatione assistere debet, miser homuncio. In cunctis igitur actionibus nostris, multâ opus est animi vigilantiâ, sed præcipuè in oratione. Nam licet omni horâ & omni loco, oculi Domini super nos speculentur, maxime tamen in oratione. Porro quamvis ubique sit Deus, in cælo tamem orandus est, ibique orationis tempore cogitandus: ut mens nostra, non oratoris tecto, non aeris spatio, non ipsa nubium retardetur densitate: juxta eam formam, quæ à Christo nobis tradita est, ubi ait, sic orabitis, Pater noster, qui es in cælis: Ut nimirum in his cogitationibus, in præsentia & conspectu oculorum divinæ majestatis, humiliemus animas nostras; ut excellens & efficax evadat humilis nostra oratio.*

Su-

Digitized by Google

Super versum Psal. 114. *Dilexi, quoniam inclinavit aurem suam mihi*, eleganter D. Ambr. orat. de obitu Theodosii: *Inclinat se nobis, ut oratio nostra ad Deum velocius ascendat.* S. Hieron. *Quoniam nos parvi sumus & humiles, & non possumus nos extendere, & exaltare; propterea Dominus inclinat aurem suam, & dignatur exaudire nos. Incomparabilis prærogativa orationis, ut Deus omnipotens in solio gloriæ suæ, constipantibus undique Angelorum millibus, subitò se demittat ex throno, inclinetque aurem, ut orationem è terra* (orationem humilium) *excipiat ascendentem.* S. Chrysost. in v. 13. ps. 9. *Non est oblitus clamorem pauperum*, inquit, *Orationis vehiculum, est humilitas*: pari ratione eadem virtus dici potest orationis nervus. P. Cornelius à Lap. ait, *humilitas orationi dat alas, sine quibus in altum nunquam subvehetur.* Ideò humilis S. Franciscus Seraphicus, antequam oraret, dicere solebat: *Quis ego Domine? quis tu? tu abyssus sapientiæ, bonitatis, &c. ego abyssus nihili, ignorantiæ & malitiæ.* Vel cum Abrahamo Gen. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis.* itaque, *quantum apposuerimus ad diligentiam* (ut oratio nostra sit humilis) *tantum ille addit ad gratiam*: dixit sæpius citatus S. Gregorius.

§. 13. *Ad orationem humilium DEus inclinat aurem suã.*



CON-

CONCIO XXVI.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Absque Synagogis facient vos,

Joannis 16. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit patientiam in tribulationibus, ob varias quas operatur virtutes; esse optimam dispositionem & præparationẽ ad recipiendum Spiritum S. Ob quam causam in hodierno Evangelio Christus D. suis Apostolis videtur prædicere adversitates & persecutiones.

§. 1. *Exordium & Propositio.*
§. 2. *Variæ lectiones Versus 25. Capitis 1. Isaiæ.*
§. 3. *Quæ igni Contritionis, igni Divini Amoris, & igni tribulationis applicantur.*
§. 4. *Cur justi & electi dicantur probari in fornace tribulationum veluti aurum*
§. 5. *Testimonium S. Chrysostomi.*
§. 6. *Tribulatio operatur mutuam dilectionem, quæ optima est dispositio ad recipiendum spiritum Sanctum: exponitur eleganter versus 29. capitis 25. lib. 1. Regum.*
§. 7. *Tribulatio facit, ut ardenter oremus: talis Oratio trahit ad nos Spiritum Sanctum.*
§. 8. *Tristis Agar quibus mediis impetraverit auxilium de cælo.*

§. 9.

§. 9. *Iisdem mediis, Patientia in adversis, & ferventibus precibus trahemus ad nos Spiritum Sanctum.*

§. 10. *Eucharistia fons melleus, ex quo haurire possumus Spiritum S.*

§. 11. *Communicantes illuminantur à Spiritu S. Ex v. 6 Ps. 36.*

§. 12. *Petra scaturiens melle, figura Christi & Spiritus Sancti.*

IN Evangelio hodiernæ Dominicæ, quæ festum Pentecostes, sive adventum Spiritus S. immediate præcedit, Christus D. non sine mysterio & causa, facit mentionem tribulationum, exilii, persecutionum & adversitatum, quas suis Apostolis prædicit & minatur. Ut sciamus, patientiam in tribulationibus, cum nos reddat puros, igneos, & ferventes, esse optimam dispositionem & præparationem, ad excipiendum Spiritum Sanctum, quod hic discursus fuse probabit. *§. 1. Exordium & Propositio.*

Versum 25. capitis 1. Isaiæ, *Excoquam ad purum scoriam tuam.* Doctissimi Interpretes diversimode legunt. LXX. Biblia regia. S. Basilius. *Igne examinabo te ad purum*, S. Cyrillus. *Vram te ad purum.* Chaldæus: *Mundabo quasi purificans cum herba borith omnes improbos tuos, & auferam omnes peccatores tuos.* Verbum *excoquere*, in hebraico idem est, quod *purificare, conflare, igni metalla excoquere, & examinare, expurgare à scoriis.* Psalm. 66. vers. 10. *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Zachariæ cap. 13. vers. 9. *Vram eos, sicut uritur argentum.* Vocula hæc *ad purum* in hebraico idem est, quod *fortiter, multiplicetur, copiose, vehementer.* *§. 2. Variæ lectiones vers. 25. c. 1. Isai.*

Cum in exordio & propositione, insinuaverim, velle me in hac Concione agere, de insigni aliqua præparatione ad recipiendum gratias & fructus Spiritus Sancti, & ut libenter ingrediatur tabernaculum cordis nostri, fortassis aliqui cogitant, per scorias, quarum fit mentio, intelligi peccata; per ignem vero, qui illa purificat, repræsentari Sacramentum pœnitentiæ, vel ignem excellentissimæ & ardentissimæ contritionis; quæ simul & seorsim sumpta, cor peccatoris excoquunt ad purum. Hic scilicet ignis examinat, consci- *§. 3. Quâ igni Contritionis igni divini amoris & igni tribulationum applicantur*

conſcientias noſtras, urit, accendit facibus amoris, & purificat, convertit in argentum. Hic ignis eſt herba borith, quæ aufert, & eluit omnes maculas peccatorum, expurgat à ſcoriis, fortiter, multipliciter, copioſe, vehementer. Non improbo has cogitationes, quis enim neſcit pœnitentiam, & contritionem, illaſque virtutes, quas continet, eſſe nobiliſſimas diſpoſitiones ad adventum Spiritus S. cui in hoc mundo non eſt requies niſi in corde puro & mundo. Neque illi errabunt, qui arbitrantur, hos effectus; cordis humani purificationem, munditiem, ardorem, fervorem fortem, copioſum, vehementem, eſſe aſcribendos, igni Amoris divini, quem petit Eccleſia in ſuo Hymno, *Veni Creator ſpiritus*; ubi inter alia ardenter efflagitat. *Accende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus*, cujus amoris vis de cœlis ad ſe trahit Spiritum S. Verum, quia à textu Evangelii modo nolo diſcedere, aſſero Prophetam Iſaiam locutum eſſe de igne tribulationum, qui juſtos & electos ita purificat, urit, examinat, ita reddit ſplendidos & illuſtres, ut digniſſimi ſint, qui à Spiritu ſancto viſitentur, multipliciter, copioſe, abundanter.

§. 4. *Cur justi in fornace tribulationum dicantur probari, ut aurum.*

Pari ferme phraſi Iſaias & ante illum verſus. 6. c. 3. Sapientiæ, loquuntur, vel DEUS ipſe, de ſe loquitur, veluti de aurifice, dum ait. *Tanquam aurum in fornace probabo illos.* Cur non tanquam argentum, quod ex igne prodit candidius, quod gratiorem edit tinnitum, quod gratius fulget? Ex Plinio reſpondeo lib. 33. cap. 3. aurum omnibus aliis præſtare, non ob colorem & alias nobiliſſimas proprietates. *Sed quia nihil illi in igne deperit, tuto, etiam in incendiis, rogiſque durante materia. Quin imo quo ſæpius arſit, profuit ad bonitatem.* In igne accipit incrementum puritatis, & nitoris. Itaque tanquam aurum in fornace tribulationum probantur juſti, ut animi virtus, ita fortior, illuſtriorque reddatur, & majorem diffundat ſplendorem. Spero Auditores, vos, ut vos præparetis ad adventum Spiritus S. digne præparetis, fore ſolicitos, ut igne pœnitentiæ corda veſtra mundetis, ut in iiſdem accendatis flammas divini amoris, his ignibus libenter jungitur flamma Spiritus S. ut luceatis, ut fulgea-

Digitized by Google

tis, ut ardentis adhuc magis, & splendidius, forte, patienter, si Divina Providentia vos veluti aurum probet in fornace tribulationum. Justis in hoc igne nihil deperit, tuto in incendiis durant, proficiunt ad bonitatem. Ita pulcherrime disponuntur, ut recipiant Spiritum S.

§. 5. Testimonium S. Chrys.

Eleganter, & ad rem Sanct. Chrysostom. homil. 14. ex variis in Matth. *Nunquam formides tentationem, si animam præparatam habes, non nocebit tribulatio, quia tolerantiam operabitur, sicut enim aurum in camino non læditur, sic nec stabili animæ tribulatio nocebit. Quid operatur caminus? aurum mundat. Quid operatur tribulatio, tolerantiam, ampliorem que patientiam, ampliorem humilitatem, ampliorem constantiam, fortitudinem, operatur fiduciam in Deo accendit charitatem, &c.* Nunquid hæ virtutes pulcherrimæ sunt dispositiones ad accipiendum, Spiritum Sanctum. Paulo post inquit de Job: *Job & ante tentationes præcipuus erat, sed postea melior apparuit, nec tantum bonus erat, cum illæsum haberet corpus, sed multo melior ostensus est, cum ex corpore sanies & vermes defluebant.* Si itaque patientia in tribulationibus reliquas nostras virtutes, reddit longe pulchriores & illustriores, dubitare non possumus, eandem nos disponere, ut digni simus qui fructus Spiritus S. copiose & abundanter colligamus.

§. 6. Tribulatio operatur mutuam dilectionem, quæ optima est dispositio ad recipiendũ Spiritum S. exponitur eleganter Versus 29. c. 25. l. 1. Regum.

Sanctus David, contumeliosissimus verbis lacessitus à Nabal lib. 1. Reg. 25. vers. 29. inflammatus ardore vindictæ jam ruebat in necem hostis, fudissetque inimicum sanguinem, nisi prudentissima Abigail vultus venustate, & dulcissima oratione, Regis animum composuisset. Postquam David injuriam illatam remisit, acremque contumeliam patienter tulit, Abigail, pro solatio, illi dixit cit. loco v. 29. *Si enim surrexerit aliquando homo persequens se te, & quærens animam tuam* (subintellige, & feras in patientia) *erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium, apud Dominum DEUM tuum, porro inimicorum tuorum anima rotaibtur quasi impetu & circulo fundæ.* De venustissimo & floridissimo Abigail ore, quid nisi flores pullularent? per flores intellige floridissimam hanc comparationem, in qua

ſapiens fœmina peculiariſſimo diſcrimine, probos ab improbis diſcernit. Juſtus namque dum preſſuris ſtringitur, ſervatur ad vitam, reprobus dum voluptatibus diffluit, deſtinatur ad pœnam. Do vobis verba Angelomi in ſtromatibus. *Pulcherrimâ comparatione ſtatum juſtorum ac reproborum ſorte diſcernit. Horum quippe animas, hoc eſt, juſtorum, appellat viventes; ut reproborum è contrario ſpirituali morte praoccupatas inſinuet. Hos faſciculo, illos lapidi funda aſſimilat: faſciculus enim conſtringitur, ut integer maneat & conſervetur, lapis in funda expeditus ponitur, ut abjiciatur. Sic in hoc ſæculo electi preſſuris coanguſtantur, ut his admoniti arctius ad invicem mutuâ charitate connectantur, & coadunati ad invicem, manu ſui Redemptoris in perpetuum conſerventur. At verò reprobi, quantò latiùs in hac vita, voluptatibus propriis veluti liberi dimittuntur, tantò longius, in futuro à divina viſionis gloria projiciuntur; ut de eis meritò dicatur, & quidem ipſi de manu tua expulſi ſunt.* Adverte adhuc aliud acumen ſagaciſſimæ fœminæ: quod electos preſſuris preſſos, non vocat calathum viventium, ſed faſciculum; licet enim in calatho pulcherrimè floreant & vernent flores, tamen colligati non ſunt, ideoq; in periculo, ut unus facilè ab alio ſeparetur. At in faſciculo, in quo flores conſtringuntur funibus, ligantur filis, unà ſimul omnes conſervantur. Ex quo patet, tribulationes à DEO immiſſas nihil aliud eſſe quàm funes, quibus electi ad invicem mutuâ charitate connectuntur, ut coadunati ad invicem manu JESU Redemptoris in perpetuum conſerventur. Quid igitur operatur tribulatio? charitatem, unionem & mutuam concordiam, imò dilectionem inimicorum. Ad quid prodeſt caminus adverſitatum? formantur aureæ catenæ mutuæ dilectionis! Sed quis ignorat hanc virtutem eſſe optimam diſpoſitionem ad adventum Spiritus ſancti.

§ 7. *Tribulatio facit ut ardenter oremus. Talis*

Ob alias quoque cauſas, patientia in tribulationibus ad nos trahit Spiritum Sanctum. Calamitates ſuas declamat Regius Pſaltes, pſal. 141. verſ. 5. latitans in ſpelunca ob perſecutionem Saulis. *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat*

erat qui cognosceret me. Tenebatur undique clausus à potenti Saulis exercitu; nil aliud videbatur superesse, nisi incidere in hostiles manus, aut offerre regium pectus ab hasta Saulis trajiciendum; pauci quoque milites, illi fidi, veluti lepores tenebantur inclusi, inter latebras alicujus saxi. Auget Davidis calamitatem S. Chrysostomus in psal. *Hic ostendit ingentem calamitatam, & hostium insidias; & quod est omnium difficillimum, nulli erant socii aut adjutores; hoc est maxima solitudo, maxima abalienatio.* Sed nullum inde detrimentum passus est David, nec defuit divina Providentia; quapropter idem S. Chrysostomus subjungit. *Hoc non modo eum non læsit, sed etiam valde juvit, utpote quod eum DEO familiarem fecerit.* Hic fuit merces & fructus tribulationis. David in istis angustiis comprehensus, ardentissimis precibus DEUM imploravit, ad illum clamavit ex toto corde; & DEUS invocatus non defuit; sed subito admirabili modo, patientem in tribulatione, & ardenter orantem eripuit è periculo. Eja animæ piæ! præmitnè vos aliqua calamitas, consideratis ad dexteram, & non est, qui cognoscat vos; an aliquis morbus? an dolores? an paupertas? an adversariorum acerbitas; an alia quæcunque adversitas vos tenet captivos in spelunca ingentis tristitiæ? an desideratis amicum, qui vobis afferat auxilium? an consolatorem? inter has ærumnas, in patientia, cum Davide elevare oculos ad cœlum. ex toto corde clamate ad DEUM; intra paucos dies aderit Paracletus Spiritus Sanctus. hic suâ gratiâ prostratos eriget, tristes solabitur, ægris afferet medelam; consolator optimus, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, &c.

oratio ad nos trahit Spiritum S.

Tale auxilium experta fuit tristissima Agar, ab hera sua cum filio, è domo ejecta in solitudinem, in suprema necessitate aliud solatium non reperit, nisi ardentem orationem, elevando oculos ad cœlum, flendo, gemendo, tantam tribulationem patienter ferendo, divinum de cœlo provocavit auxilium, imò Angelum, qui illam non tantum verbis fuit solatus, sed fontē ostendit, cujus aquis sitibundum filium è mortis faucibus eripuit.

§. 8. Tristis Agar quibus mediis impetraverit auxilium de cœlo.

Audivit Dominus afflictionem ejus, Gen. 16.v. 11. misitque consolationem. Ubi S.Chrysost. hom. 38. in Gen. *Afflictiones autem in ancilla videre licet; quia postquam ab hera afflicta fugit, & multùm ærumnosa fuit, dolenteque animâ, Dominũ invocavit. Et statim supernam visitationem assecuta est. Vt enim discat, quod per humiliationem, & afflictionem* (& ardentem orationem) *tantam benevolentiam invenerit, dicit ei Angelus: quoniam audivit Dominus afflictionem tuam: itaque dilecti cum sciamus, quod si sobrii & prudentes fuerimus, tribulationes nos magis Domino appropiare faciant; poterimus ejus gratiam nobis conciliare.* Neminem in tribulatione constitutum, & in patientia orantem DEUS derelinquit. Hugo Card. ad v. 19. ps. 33. *juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Est eis Dominus juxta, ut medicus ægro, ut consolator afflictis, ut adjutor laborantibus. Securus debet esse, juxta quem est Dominus, & quid mirum, si Dominus est juxta suum sacrificium? quia sacrificium est DEO spiritus contribulatus.*

§. 9. *Iisdem mediis patientiâ in afflictione & oratione trahens ad nos Spiritum S.*

O tristes Agares! O animæ afflictæ, & variis ærumnis oppressæ, ex visceribus caritatis, fundatæ in Christo JESU, vobis condoleo & compatior. Verum vultis, ut in terra arida & deserta, vobis ostendam fontem omnium miserationum & consolationum? Fons hic non est alius, nisi Spiritus Sanctus. Vultis scire, quinam comites ad illum fontem nos ducant; Patientia in adversis, & ardens oratio. Cum afflictio aliqua vos præmit, dolente animâ dicite: *Veni Sancte Spiritus!* & superna visitatio non deerit. Orate! Si ægri estis, Spiritus S. erit medicus. Orate! si afflicti estis, erit consolator. Orate! si laboratis, erit adjutor. Orate! in labore, erit requies, in æstu temperies, in fletu solatium. Orate! fons nobis erit Spiritus S. *Et si quis æstuat* (S. Chrysost. t. 5. hom. 61. de Euch.) *ad hunc veniat fontem, & æstum refrigeret; nam cuncta refovet inflammata non à sole, sed jaculis ignitis. Hic fons est, veritatis radios effundens, fons luminis.*

§. 10. *Eucharistia fons melleus, ex quo haurire pos-*

Ab hoc fonte ad alium fontem progredior, ex quo si inter ærumnas, si corde & labiis puris, si in mutuâ dilectione, si inter ferventes preces, & ardentia suspiria, (puto vos advertere, me hactenus de his punctis egisse, velut de pulcherrimis dispositionibus,

bus, & præparationibus, ad dignè excipiendū tantum hospitem, (qualis est Spiritus S.) si inquam ex hoc fonte, quem mox nominabo, biberimus, Spiritus S. infallibiliter ad nos veniet, & mansionem apud nos faciet. Fons hic est sanctissima Eucharistia. Itaque hoc agamus, in patientia, in mutua dilectione, post conscientiam per Confessionem ab omnibus maculis emundatam, inter ardentes preces proximo festo Pentecostes, cum possibili nobis devotione, sumamus sanctissimam Eucharistiam, & Spiritus S. super nos descendet. Inter S. Eucharistiam & Spiritum S. est admirabilis quidam nexus, & suavissima unio. *sumus Spiritum S.*

Ideo S. David dixit ps. 33. v. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Quis sit ille accessus, & quænam illuminatio, exponit S. Augustinus hîc. *Accedamus ad eum, & illuminemur; non quomodo accesserunt Iudæi, ut tenebrarentur. Accesserunt enim ad illum ut crucifigerent: nos ad eum accedamus, ut Corpus & Sanguinem ejus accipiamus. Illi de Crucifixo tenebrati sunt, nos manducando Crucifixum, & bibendo illuminamur.* Revocate in memoriam, ex hymno Ecclesiæ, *Veni S. Spiritus*, hæc ejus elogia; Quod cœlitus emittat radios suæ lucis; quod sit lux beatissima, replens intima cordium, quod sit fons vivus, igneus; & non dubitabitis S. Augustinum loqui de illuminatione, quæ adscribenda est spiritui S. Quod S. Cyrillus acuto conceptu ita exponit, dum agit de S. Eucharistia. *Est panis pinguis, hoc est, valde opimus, & ad alendum efficacissimus, alit enim & nutrit nos Salvator noster JESVS CHRISTVS, non sensibile manna prabens, sicut olim Israelitis; sed seipsum in animas fidelium immittens per Spiritum Sanctum.* Sic intellige ut Spiritus S olim in mysterio Incarnationis efformavit corpus Christi, & temperavit, ut assumeretur à Verbo, & in utero Virginis, ut in clibano ignivit, & flammis suis panem vitæ decoxit, ut postmodum consecratus in sacramento Eucharistiæ esset cibus fidelium, Ita etiamnum, quoties nos cibum & panem illum manducamus, id non fit sine peculiaribus operationibus, quas Spiritus S. in nobis operatur. Cum sanctissima Hostia, cum Christi D. carne & sanguine, immittitur in nos Spiritus S. *Itaq.* (D. Chrysost.) *reputate salutarem sanguinem, quasi è divino, & impolluto latere effluere,*

§. 11. *Communicantes illuminantur à Spiritu S. Ex v. 6. Ps. 33.*

ejus. Pulchrè P. Pinna: *Regina Saba, anima est, quæ ad DEVM se convertit; quæ coram throno divinæ Majestatis se se abjiciens, ferventi oratione ejus auxilium implorat.* Talis si Spiritum superbiæ evacuet, si turgere desierit, & spiritum humilitatis induerit, à rege Salomone, à Christo Domino excipitur, exauditur, & regiis remuneratur donis. S. Gregorius ait: *Hinc de Regina Saba scriptum est, quod non habebat ultra spiritum, quia electorum Ecclesia de gentibus congregata, cognitâ CHRISTI gratiâ - - abjecto superbiæ spiritu, omnique elationis fastu deposito, didicit de se ipsa deficere, & in Regis sui misericordia magna sperare.* (NB. si sit Dominica Congregationis Agoniæ, habes locum pro affectuosa digressione ad orationem Rosarii Sanctissimorum Vulnerum, quo ejus sodales postulant sanctam mortem.)

§. 7. *Qualem orationem respiciat Dominus.* Cap. 66. vers. 2. ait Dominus per Isaiam: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* DEI respectus idem est, quod oratio, per quam nos respicimus Dominum, & vicissim ab illo respicimur, si tamen simus pauperculi, si contriti, & trementes, quæ omnia animi humilitatem, & abjectionem portendunt. Ergo sensus est, illum respici à DEO, qui orat, & humilis est. S. Gregorius sæpius cit. *Non enim DEI receptaculum, quisquam efficitur, nisi spiritu suo primitùs exacuetur. Nam non requiescit Spiritus DEI, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones DEI.* Ideò David ait Psal. 118. vers. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Hoc est, sub meis orationibus humiliavi me; & - *in verbum tuum speravi.* Id est, juxta verbum DEI, & factas promissiones, judico me posse omnia à DEO obtinere, quia sum humilis, & oro. S. Gregorius M. *Nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui supra ipsum est, non appropinquat.* Ex animi humilitate oratio sumit vires. S. Bern. Ser. 4. de Nat. *Humilitas DEO nos reconciliat - DEO placet in nobis; sicut ait B. Virgo, respexit humilitatem ancillæ suæ.*

§. 8. *Humilitatem, ad orationem requisitam* Hunc modum orandi nos docuit Christus D. Matth. 26. v. 37. *cum assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mæstus esse.* Quid est, quod hos Apostolos elegerit præ aliis? scilicet, quia hi præ aliis superbierant, Jacobus quidem & Joañes,

pri-

primas sedes appetendo, Petrus verò ardua supra humanas vires promittendo, ut Christus D. hunc superbiæ morbum curaret. (Origines tr. 55. in Matth.) *ad hoc autem adduxit eos, maximè Petrum magna de se confidentem, ut videant & audiant, ubi est posse hominis, & quomodo impetratur* (id est, quomodo debeamus orare.) *videant eum cadentem in faciem suam* (Pulchre hoc describe) Ita oremus exemplo Christi, & velociter exaudiemur. Ad Philippenses c. 2. v. 6. de Christo D. ait S. Paulus, *qui cùm in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Hoc faciamus, cum oramus.

nos docuit Christus D. in monte Oliveti.

§. 9. Alium modum orandi nobis suggerit S. Petrus ep. 1. c. 2. v. 2. *Sicut modò geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis.* Doctrinam, quæ latet in his verbis advertit S. Petrus Chrysolog. s. 128. *nempe pueri, dum à patre, vel matre aliquid volunt obtinere, cum à matre petunt ubera, non viribus id tentant, non armis, sed precibus & humili voce omnia conficiunt. Ut noverint Christiani, non tantum deferendũ esse viribus, quàm precibus & orationi*; ita loquitur Chrysol. *Infantiã dico fratres, quæ totũ semper obtinet; quæ plus lachrymis, quam virium oratione contẽdit.* (digressio ut sodales Agoniæ sint parvuli.

Inter orandum simus parvuli, & infantes.

§. 10. Apoc. 1. v. 17. Christus D. de se ait. *Ego sum primus & novissimus.* Repetit eandem sententiam c. 22. v. 13. *Ego sum alpha & omega, primus & novissimus, principium & finis,* id est, sum primus, quia fui novissimus & humillimus, scilicet cum factus fui obediens usq; ad mortem Crucis: nunc exaltatum est nomen meum, &c. humilitas enim est mensura excellentiæ, & eò quis magis alios excellit, quò profundius se aliis submittit; hæc fuit mens S. Chrysost. in ps. 50. *Ipse enim verus David, manu-fortis atq; mansuetus, primus & novissimus; æternitate primus, humilitate ultimus.* Ergo qui Christum imitatur, fit humilitate ultimus, sed primus merito, & excellentiâ His positis, ego quæro, quænã sit mensura perfectissimæ orationis, sive quis sit primus in arte bene orandi, ni fallor, recurrere debemus ad basin humilitatis, quò profundius hæc posita est, in abysso terræ, sive humilitatis, supra firmam petram quæ Christus est, eo altiùs & securius per orationem homo Christianus se erigere potest in altum, & alis piorum affectuum elevare se usq; ad thronum divinæ majestatis, coram quo, novissimus sive humillimus est primus. Humilitate ultimus, in sanctitate primus.

Cur Filius hominis se vocet primũ & novissimum.

Digitized by Google

§. 11. *Quare sponsus se appellaverit florem campi, & lilium convallium*

Idem videtur voluisse insinuare sponsus Cant. 2. v. 1. *Ego flos campi & lilium convallium.* Campus est locus apertus & latè patens; vallis est locus humilis & depressus. In campis varii crescunt flosculi, symbola pulcherrimarum virtutum, in quibus sponsus fuit excellens, patiens, mitis, obediens, &c. gaudet tamen potissimum, quod sit lilium convallium sive quod sit humilis, q. d. humilitas tantùm superat reliquas virtutes, quantum lilia, candore, odore, altitudine, &c. superant reliquos flores, ita S. Ambrosius in Ps. 118. *Pulchrè dictum est lilium convallium: quia in humilibus magis elucet gratia.* Pari ratione; vocate orationes & preces flosculos, vocate rosas, narcissos, &c. ego quæro, quænam oratio vocari possit lilium; quænam oratio sit perfectissima? Respondeo, quæ crescit in convallibus, sive, oratio humilis.

§. 12. *Elegans descriptio humilis orationis ex S. Bernardo.*

Qualem eleganter describit S Bernardus serm. de 4. orandi modis: *Omnino oportet orationis tempore curiam intrare cælestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Unde & ipse qui viderat, quia majorem numerum non invenit, millia ait, millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, è palude sua procedens & repens, ranuncula vilis? Quam tremebundus & supplex, quam denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo, Regi gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio justorum & congregatione assistere debet, miser homuncio. In cunctis igitur actionibus nostris, multâ opus est animi vigilantiâ, sed præcipuè in oratione. Nam licet omni horâ & omni loco, oculi Domini super nos speculentur, maxime tamen in oratione. Porro quamvis ubique sit Deus, in cælo tamem orandus est, ibique orationis tempore cogitandus: ut mens nostra, non oratoris tecto, non aeris spatio, non ipsa nubium retardetur densitate: juxta eam formam, quæ à Christo nobis tradita est, ubi ait, sic orabitis, Pater noster, qui es in cælis: Ut nimirum in his cogitationibus, in præsentia & conspectu oculorum divinæ majestatis, humiliemus animas nostras; ut excellens & efficax evadat humilis nostra oratio.*

Su-

Digitized by Google

Super versum Psal. 114. *Dilexi, quoniam inclinavit aurem suam mihi*, eleganter D. Ambr. orat. de obitu Theodosii: *Inclinat se nobis, ut oratio nostra ad Deum velocius ascendat.* S. Hieron. *Quoniam nos parvi sumus & humiles, & non possumus nos extendere, & exaltare; propterea Dominus inclinat aurem suam, & dignatur exaudire nos.* *Incomparabilis prærogativa orationis, ut Deus omnipotens in solio gloriæ suæ, constipantibus undique Angelorum millibus, subitò se demittat ex throno, inclinetque aurem, ut orationem è terra* (orationem humilium) *excipiat ascendentem.* S. Chrysost. in v. 13. ps. 9. *Non est oblitus clamorem pauperum*, inquit, *Orationis vehiculum, est humilitas*: pari ratione eadem virtus dici potest orationis nervus. P. Cornelius à Lap. ait, *humilitas orationi dat alas, sine quibus in altum nunquam subvehetur.* Ideò humilis S. Franciscus Seraphicus, antequam oraret, dicere solebat: *Quis ego Domine? quis tu? tu abyssus sapientiæ, bonitatis, &c. ego abyssus nihili, ignorantiæ & malitiæ.* Vel cum Abrahamo Gen. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis.* itaque, *quantum apposuerimus ad diligentiam* (ut oratio nostra sit humilis) *tantum ille addit ad gratiam*: dixit sæpius citatus S. Gregorius. §. 13. *Ad orationem humilium DEus inclinat aurem suã.*



CON-

CONCIO XXVI.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Absque Synagogis facient vos,

Joannis 16. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit patientiam in tribulationibus, ob varias quas operatur virtutes; esse optimam dispositionem & præparationẽ ad recipiendum Spiritum S. Ob quam causam in hodierno Evangelio Christus D. suis Apostolis videtur prædicere adversitates & persecutiones.

§. 1. *Exordium & Propositio.*

§. 2. *Variæ lectiones Versus 25. Capitis 1. Isaiæ.*

§. 3. *Quæ igni Contritionis, igni Divini Amoris, & igni tribulationis applicantur.*

§. 4. *Cur justi & electi dicantur probari in fornace tribulationum veluti aurum*

§. 5. *Testimonium S. Chrysostomi.*

§. 6. *Tribulatio operatur mutuam dilectionem, quæ optima est dispositio ad recipiendum spiritum Sanctum: exponitur eleganter versus 29. capitis 25. lib. 1. Regum.*

§. 7. *Tribulatio facit, ut ardenter oremus: talis Oratio trahit ad nos Spiritum Sanctum.*

§. 8. *Tristis Agar quibus mediis impetraverit auxilium de cœlo.*

§. 9.

Digitized by Google

IN Evangelio hodiernæ Dominicæ, quæ festum Pentecostes, sive adventum Spiritus S. immediate præcedit, Christus D. non sine mysterio & causa, facit mentionem tribulationum, exilii, persecutionum & adversitatum, quas suis Apostolis prædicit & minatur. Ut sciamus, patientiam in tribulationibus, cum nos reddat puros, igneos, & ferventes, esse optimam dispositionem & præparationem, ad excipiendum Spiritum Sanctum, quod hic discursus fuse probabit. *§. 1. Exordium & Propositio.*

Versum 25. capitis 1. Isaiæ, *Excoquam ad purum scoriam tuam.* Doctissimi Interpretes diversimode legunt. LXX. Biblia regia. S. Basilius. *Igne examinabo te ad purum*, S. Cyrillus. *Vram te ad purum.* Chaldæus: *Mundabo quasi purificans cum herba borith omnes improbos tuos, & auferam omnes peccatores tuos.* Verbum *excoquere*, in hebraico idem est, quod *purificare*, *conflare*, *igni metalla excoquere, & examinare*, *expurgare à scoriis.* Psalm. 66. vers. 10. *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Zachariæ cap. 13. vers. 9. *Vram eos, sicut uritur argentum.* Vocula hæc *ad purum* in hebraico idem est, quod *fortiter, multiplicetur, copiose, vehementer.* *§. 2. Variæ lectiones Vers. 25. c. 1. Isai.*

Cum in exordio & propositione, insinuaverim, velle me in hac Concione agere, de insigni aliqua præparatione ad recipiendum gratias & fructus Spiritus Sancti, & ut libenter ingrediatur tabernaculum cordis nostri, fortassis aliqui cogitant, per scorias, quarum fit mentio, intelligi peccata; per ignem vero, qui illa purificat, repræsentari Sacramentum pœnitentiæ, vel ignem excellentissimæ & ardentissimæ contritionis; quæ simul & seorsim sumpta, cor peccatoris *excoquunt ad purum.* Hic scilicet ignis examinat, *§. 3. Quæ igni Contritionis igni divini amoris & igni tribulationum applicantur*

conſcientias noſtras, urit, accendit facibus amoris, & purificat, convertit in argentum. Hic ignis eſt herba borith, quæ aufert, & eluit omnes maculas peccatorum, expurgat à ſcoriis, fortiter, multipliciter, copioſe, vehementer. Non improbo has cogitationes, quis enim neſcit pœnitentiam, & contritionem, illaſque virtutes, quas continet, eſſe nobiliſſimas diſpoſitiones ad adventum Spiritus S. cui in hoc mundo non eſt requies niſi in corde puro & mundo. Neque illi errabunt, qui arbitrantur, hos effectus; cordis humani purificationem, munditiem, ardorem, fervorem fortem, copioſum, vehementem, eſſe aſcribendos, igni Amoris divini, quem petit Eccleſia in ſuo Hymno, *Veni Creator ſpiritus*; ubi inter alia ardenter efflagitat. *Accende lumen ſenſibus, infunde amorem cordibus*, cujus amoris vis de cœlis ad ſe trahit Spiritum S. Verum, quia à textu Evangelii modo nolo diſcedere, aſſero Prophetam Iſaiam locutum eſſe de igne tribulationum, qui juſtos & electos ita purificat, urit, examinat, ita reddit ſplendidos & illuſtres, ut digniſſimi ſint, qui à Spiritu ſancto viſitentur, multipliciter, copioſe, abundanter.

§. 4. Cur juſti in fornace tribulationum dicantur probari, ut aurum.

Pari ferme phraſi Iſaias & ante illum verſus. 6. c. 3. Sapientiæ, loquuntur, vel DEUS ipſe, de ſe loquitur, veluti de aurifice, dum ait. *Tanquam aurum in fornace probabo illos.* Cur non tanquam argentum, quod ex igne prodit candidius, quod gratiorem edit tinnitum, quod gratius fulget? Ex Plinio reſpondeo lib. 33. cap. 3. aurum omnibus aliis præſtare, non ob colorem & alias nobiliſſimas proprietates. *Sed quia nihil illi in igne deperit, tuto, etiam in incendiis, rogiſque durante materia. Quin imo quo ſæpius arſit, profuit ad bonitatem.* In igne accipit incrementum puritatis, & nitoris. Itaque tanquam aurum in fornace tribulationum probantur juſti, ut animi virtus, ita fortior, illuſtriorque reddatur, & majorem diffundat ſplendorem. Spero Auditores, vos, ut vos præparetis ad adventum Spiritus S. digne præparetis, fore ſolicitos, ut igne pœnitentiæ corda veſtra mundetis, ut in iiſdem accendatis flammas divini amoris, his ignibus libenter jungitur flamma Spiritus S. ut luceatis, ut fulgeatis

Digitized by Google

tis, ut ardentis adhuc magis, & splendidius, forte, patienter, si Divina Providentia vos veluti aurum probet in fornace tribulationum. Justis in hoc igne nihil deperit, tuto in incendiis durant, proficiunt ad bonitatem. Ita pulcherrime disponuntur, ut recipiant Spiritum S.

§. 5. Testimonium S. Chrys.

Eleganter, & ad rem Sanct. Chrysostom. homil. 14. ex variis in Matth. *Nunquam formides tentationem, si animam præparatam habes, non nocebit tribulatio, quia tolerantiam operabitur, sicut enim aurum in camino non læditur, sic nec stabili animæ tribulatio nocebit. Quid operatur caminus? aurum mundat. Quid operatur tribulatio, tolerantiam, amplioremque patientiam- ampliorem humilitatem, ampliorem constantiam, fortitudinem, operatur fiduciam in Deo accendit charitatem, &c.* Nunquid hæ virtutes pulcherrimæ sunt dispositiones ad accipiendum, Spiritum Sanctum. Paulo post inquit de Job: *Job & ante tentationes præcipuus erat, sed postea melior apparuit, nec tantum bonus erat, cum illæsum haberet corpus, sed multo melior ostensus est, cum ex corpore sanies & vermes defluebant.* Si itaque patientia in tribulationibus reliquas nostras virtutes, reddit longe pulchriores & illustriores, dubitare non possumus, eandem nos disponere, ut digni simus qui fructus Spiritus S. copiose & abundanter colligamus.

§. 6. Tribulatio operatur mutuam dilectionem, quæ optima est dispositio ad recipiendum Spiritum S. exponitur eleganter Versus 29. c. 25. l. 1. Regum.

Sanctus David, contumeliosissimus verbis lacessitus à Nabal lib. 1. Reg. 25. vers. 29. inflammatus ardore vindictæ jam ruebat in necem hostis, fudissetque inimicum sanguinem, nisi prudentissima Abigail vultus venustate, & dulcissima oratione, Regis animum composuisset. Postquam David injuriam illatam remisit, acremque contumeliam patienter tulit, Abigail, pro solatio, illi dixit cit. loco v. 29. *Si enim surrexerit aliquando homo persequens se te, & quærens animam tuam* (subintellige, & feras in patientia) *erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium, apud Dominum DEUM tuum, porro inimicorum tuorum anima rotabitur quasi impetu & circulo fundæ.* De venustissimo & floridissimo Abigail ore, quid nisi flores pullularent? per flores intellige floridissimam hanc comparationem, in qua

 sapiens

Digitized by Google

ſapiens fœmina peculiariſſimo diſcrimine, probos ab improbis diſcernit. Juſtus namque dum preſſuris ſtringitur, ſervatur ad vitam, reprobus dum voluptatibus diffluit, deſtinatur ad pœnam. Do vobis verba Angelomi in ſtromatibus. *Pulcherrimâ comparatione ſtatum juſtorum ac reproborum ſorte diſcernit. Horum quippe animas, hoc eſt, juſtorum, appellat viventes; ut reproborum è contrario ſpirituali morte præoccupatas inſinuet. Hos faſciculo, illos lapidi fundæ aſſimilat: faſciculus enim conſtringitur, ut integer maneat & conſervetur, lapis in funda expeditus ponitur, ut abjiciatur. Sic in hoc ſæculo electi preſſuris coanguſtantur, ut his admoniti arctius ad invicem mutuâ charitate connectantur, & coadunati ad invicem, manu ſui Redemptoris in perpetuum conſerventur. At verò reprobi, quantò latiùs in hac vita, voluptatibus propriis veluti liberi dimittuntur, tantò longius, in futuro à divinæ viſionis gloria projiciuntur; ut de eis meritò dicatur, & quidem ipſi de manu tua expulſi ſunt.* Adverte adhuc aliud acumen ſagaciſſimæ fœminæ: quod electos preſſuris preſſos, non vocat calathum viventium, ſed faſciculum; licet enim in calatho pulcherrimè floreant & vernent flores, tamen colligati non ſunt, ideoq; in periculo, ut unus facilè ab alio ſeparetur. At in faſciculo, in quo flores conſtringuntur funibus, ligantur filis, unà ſimul omnes conſervantur. Ex quo patet, tribulationes à DEO immiſſas nihil aliud eſſe quàm funes, quibus electi ad invicem mutuâ charitate connectuntur, ut coadunati ad invicem manu JESU Redemptoris in perpetuum conſerventur. Quid igitur operatur tribulatio? charitatem, unionem & mutuam concordiam, imò dilectionem inimicorum. Ad quid prodeſt caminus adverſitatum? formantur aureæ catenæ mutuæ dilectionis! Sed quis ignorat hanc virtutem eſſe optimam diſpoſitionem ad adventum Spiritus ſancti.

§. 7. *Tribulatio facit ut ardenter oremus. Talis*

Ob alias quoque cauſas, patientia in tribulationibus ad nos trahit Spiritum Sanctum. Calamitates ſuas declamat Regius Pſaltes, pſal. 141. verſ. 5. latitans in ſpelunca ob perſecutionem Saulis. *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non*

erat

erat qui cognosceret me. Tenebatur undique clausus à potenti Saulis exercitu; nil aliud videbatur superesse, nisi incidere in hostiles manus, aut offerre regium pectus ab hasta Saulis trajiciendum; pauci quoque milites, illi fidi, veluti lepores tenebantur inclusi, inter latebras alicujus saxi. Auget Davidis calamitatem S. Chrysostomus in psal. *Hic ostendit ingentem calamitatam, & hostium insidias; & quod est omnium difficillimum, nulli erant socii aut adjutores; hoc est maxima solitudo, maxima abalienatio.* Sed nullum inde detrimentum passus est David, nec defuit divina Providentia; quapropter idem S. Chrysostomus subjungit. *Hoc non modo eum non læsit, sed etiam valde juvit, utpote quod eum DEO familiarem fecerit.* Hic fuit merces & fructus tribulationis. David in istis angustiis comprehensus, ardentissimis precibus DEUM imploravit, ad illum clamavit ex toto corde; & DEUS invocatus non defuit; sed subito admirabili modo, patientem in tribulatione, & ardenter orantem eripuit è periculo. Eja animæ piæ! præmitnè vos aliqua calamitas, consideratis ad dexteram, & non est, qui cognoscat vos; an aliquis morbus? an dolores? an paupertas? an adversariorum acerbitas; an alia quæcunque adversitas vos tenet captivos in spelunca ingentis tristitiæ? an desideratis amicum, qui vobis afferat auxilium? an consolatorem? inter has ærumnas, in patientia, cum Davide elevare oculos ad cœlum, ex toto corde clamate ad DEUM; intra paucos dies aderit Paracletus Spiritus Sanctus, hic suâ gratiâ prostratos eriget, tristes solabitur, ægris afferet medelam; consolator optimus, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, &c.

oratio ad nos trahit Spiritum S.

Tale auxilium experta fuit tristissima Agar, ab hera sua cum filio, è domo ejecta in solitudinem, in suprema necessitate aliud solatium non reperit, nisi ardentem orationem, elevando oculos ad cœlum, flendo, gemendo, tantam tribulationem patienter ferendo, divinum de cœlo provocavit auxilium, imò Angelum, qui illam non tantum verbis fuit solatus, sed fontē ostendit, cujus aquis sitibundum filium è mortis faucibus eripuit.

§. 8. Tristis Agar quibus mediis impetraverit auxilium de cœlo.

bus, & præparationibus, ad dignè excipiendū tantum hospitem, qualis est Spiritus S.) si inquam ex hoc fonte, quem mox nominabo, biberimus, Spiritus S. infallibiliter ad nos veniet, & mansionem apud nos feciet. Fons hic est sanctissima Eucharistia. Itaque hoc agamus, in patientia, in mutua dilectione, post conscientiam per Confessionem ab omnibus maculis emundatam, inter ardentes preces proximo festo Pentecostes, cum possibili nobis devotione, sumamus sanctissimam Eucharistiam, & Spiritus S. super nos descendet. Inter S. Eucharistiam & Spiritum S. est admirabilis quidam nexus, & suavissima unio. *sumus Spiritum S.*

Ideo S. David dixit ps. 33. v. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Quis sit ille accessus, & quænam illuminatio, exponit S. Augustinus hîc. *Accedamus ad eum, & illuminemur; non quomodo accesserunt Iudæi, ut tenebrarentur. Accesserunt enim ad illum ut crucifigerent: nos ad eum accedamus, ut Corpus & Sanguinem ejus accipiamus. Illi de Crucifixo tenebrati sunt, nos manducando Crucifixum, & bibendo illuminamur.* Revocate in memoriam, ex hymno Ecclesiæ, *Veni S. Spiritus*, hæc ejus elogia; Quod cœlitus emittat radios suæ lucis; quod sit lux beatissima, replens intima cordium, quod sit fons vivus, igneus; & non dubitabitis S. Augustinum loqui de illuminatione, quæ adscribenda est spiritui S. Quod S. Cyrillus acuto conceptu ita exponit, dum agit de S. Eucharistia. *Est panis pinguis, hoc est, valde opimus, & ad alendum efficacissimus, alit enim & nutrit nos Salvator noster IESVS CHRISTVS, non sensibile manna prabens, sicut olim Israelitis; sed seipsum in animas fidelium immittens per Spiritum Sanctum.* Sic intellige ut Spiritus S olim in mysterio Incarnationis efformavit corpus Christi, & temperavit, ut assumeretur à Verbo, & in utero Virginis, ut in clibano ignivit, & flammis suis panem vitæ decoxit, ut postmodum consecratus in sacramento Eucharistiæ esset cibus fidelium, Ita etiamnum, quoties nos cibum & panem illum manducamus, id non fit sine peculiaribus operationibus, quas Spiritus S. in nobis operatur. Cum sanctissima Hostia, cum Christi D. carne & sanguine, immittitur in nos Spiritus S. *Itaq.* (D. Chrysost.) *reputate salutarem sanguinem, quasi è divino, & impolluto latere effluere,*

§. II. *Communicantes illuminantur à Spiritu S.* Ex v. 6. Ps. 33.

ere,

ere, & ita approximantes labiis puris accipite. Bibite, haurite ex hoc fonte, & simul accipite Spiritum Sanctum. Quid dulcius? quid felicius? quam patulo sanctissimi lateris & Cordis Vulneri imprimere labia? figere oscula? gustare sanguinem, & à Spiritu S. inundari gaudiis Paradisi.

§. 12. *Petra scaturiens melle figura Christi D. & Spiritus S.*

Scio S. Hieronymum elegantissimè exponere versum ultimum Psalmi 80. *De petra melle saturavit eos.* Ad literam id contigit, cum populus Israelis ingressus fuit terram promissionis, in qua petræ montium melle fluebant. In sensu mystico ait cit. S. Hieron. *Ipse, scilicet Christus D. frumentum est, ipse petra, qui populum Israel satiavit aqua in deserto.* Spiritaliter, melle, & non aqua saturavit eum: ut quicunque crediderunt, & acceperunt cibum, mel sentiant in ore suo. Denique Dominus noster post Resurrectionem, propterea favum comedit, & de petra melle saturatus est: ergo rem dico novam, ipsa petra mel comedit, ut nobis mel tribueret, & dulcedinem, ut qui in lege biberant myrrham, postea in Evangelio comedant mel. Alibi sæpius ostendo per mel, per nectar, per saccarum, per ficus & dulces fructus adumbrari dulcedinẽ Eucharisticam, qua satiantur, & inebriantur, qui comedunt Corpus Domini & bibunt sanguinem ejus. Ego modo per mysticum mel, intelligo consolationes illas, quibus nos replet ille Spiritus, de quo S. Bernardus dixit: Dulcissimum quidpiam, (nimirum inter tres Personas SSæ Trinitatis) est Spiritus Sanct. Quem nullibi certius reperiemus, quam in devota sumptione Corporis & sanguinis Domini.

Itaque, &c.

FINIS.

AU-

Digitized by Google

AUCTARII NILI MYSTICI,

SIVE


CONCIONUM

IN

Omnes Dominicas à Pentecoste usque ad Adventum,

PARS II.

Digitized by Google



Digitized by Google

CONCIO XXVII.

DOMINICA PENTECOSTES.

Paracletus autem Spiritus Sanctus,

Joan. 14. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponuntur præcipui effectus doni Spiritus S. quod vocatur Sapientia.

§. 1. *Magna laus est, referre Spiritum Sanctum.*

§. 2. *Spiritus S. nos elevat in altum.*

§. 3. *Quod hodie patuit in Apostolis.*

§. 4. *Quale mysterium lateat in duabus voculis à Christo D. prolatis, sursum, deorsum.*

§. 5. *Digressio ad Auditores.*

§. 6. *Effectus doni Sapientiæ.*

§. 7. *Spiritus S. est sapientissimus Doctor & Magister noster.*

§. 8. *Comæ sponsi, quo sensu dicantur aureæ & nigræ.*

§. 9. *Josephus, Daniel; viri sapientissimi ob donum à Spiritu Sancto collatum.*

§. 10. *Prosecutio.*

§. 11. *Miseri sunt, qui non acceperunt Spiritum Sanctum.*

§. 12. *Beati, qui acceperunt eximium donum Sapientiæ.*

Digitized by Google

§. 1. Magna laus est, referre Spiritum S.

INter innumera & eximia elogia B. Mariæ Virginis hodierno festo Pentecostes, placet mihi verba Alani Varenii in panegyricis Dei Genetricis Mariæ, Ser 1. *Qualis & quanta hæc est, qua inter mulieres, imo plus quam omnes mulieres, benedicta est, qua nulli Evæ maledicto potuit esse subjecta, vel obnoxia. Pulchrior Rachel, facundior Lia, amabilior Rebecca, Spiritū S. referens*; addo ex aliis SS. Patribus altare, arca, aula, cathedra, sedes animata, civitas, colūba, concha, domus aurea, favus, flos, fons, gaudium, gloria, magnificentia (omitto alia) deniq; sponsa Spiritus Sancti. Hanc ego hodierna die meis Auditoribus opto gratiam & felicitatem; ut referant Spiritum S. ut ejusdem vivæ & spirantes sint imagines. In quo pulchritudo hujus imaginis consistat: sive, quid sit referre Spiritum Sanctum, patebit ex præsenti discursu.

§. 2. Spiritus S. nos elevat in altum.

In prima creatione mundi jam Spiritus S. ostendit, eos qui ad se attinent & aguntur divino Spiritu, superferri, super extolli, elevari ad cœlorum sublimia, Gen. c. 1. v. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* LXX. legunt. *Superferebatur* tanquam sublimis & altissimus ille Spiritus, qui vi sua homines excitat, & attollit ad superna, ut de mundi hujus pelago emergant, & super immundū mundum superferantur. Vel, ut S. Aug. loquitur l. 13. Confess. c. 5. *Amor illuc attollit nos.* & subjungit: *Dono tuo accendimur & sursū ferimur: inardescimus & imus, ascendimus ascensiones in corde, & cantamus canticum laudis. Igne tuo, igne tuo bono inardescimus, & imus, quoniam sursum imus ad pacem Hierusalem.* Spiritus malus, Spiritus concupiscentiæ, Spiritus hujus mundi suo pondere urgent hominem, ut deorsum labatur, ut ruat in interitum, ut submergatur in mari scelerum: at Spiritus Dei, animos inflammans, eosdem sublevat, ne humi serpant, sed accensis desideriis elevati ad cœlum usque ascendant.

§. 3. Quod hodie patuit in Apostolis

Hoc hodierna die in descensu Spiritus S. super Apostolos, clare patuit. Serpebant quasi humi, premebantur deorsum ab inordinatis affectibus. Sed momento quo amor increatus, hoc est, tertia Persona SS. Trinitatis, sive Spiritus S. de cœlo effusus est, in corda illorum, hoc dono, hoc igne, hoc bono igne, hoc amore, hoc suavissimo amore accensi sunt, exarserunt, inflammati sunt, iverunt, & facti sunt præcones, cantantes magnalia Dei. Non jam terrestres & mundani homines, sed sublimes & cœlestes. *Nec turbetur quispiam si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse, nondum enim mysterium Crucis erat consummatum* (verba sunt S. Joannis Chryso. hom. 66.) *nondum gratia Spiritus S. in corda ipsorum infusa.* Quod si Virtutem ipsorum disce-

Digitized by Google

discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus Sancti fuerint, considera,&videbis omnem ab illis perversam affectionem fuisse superatam. Hâc enim de causa eorum modo imperfectio revelatur, ut apertè percipere possis, quales subitò per gratiã effecti fuerint. Si nosse vultis, an hodie referatis imaginem Spiritûs S. attendite, quo inardescatis igne; an serpatis humi, an cœli sublimia petatis. Hic amor! hic suavissimus amor! hic ignis, hic bonus ignis! hoc donum! hoc excellentissimum donum! hic Spiritus! hic divinissimus Spiritus attollit nos, accendit & inflammat. Si imaginem Spiritûs S. cum B. Virgine & sanctis Apostolis referre volumus, toti debemus esse ignei, ut relicto mundo, ut emergentes ex hoc mari superferamur sursum.

§. 4. *Quale mysterium lateat in duabus voculis à Christo D. prolatis, sursum, deorsum.*

Joan. 8. cap. v. 21. increpans Jesus impietatem, & duritiem cordis eorum; fecit mentionem gloriosissimæ suæ Ascensionis ad cœlum, & reditus ad Patrem: *Quo ego vado*, & aliàs, *vado ad Patrem, qui me misit.* Sed simul clarissimis verbis objecit, *Quo ego vado, vos non potestis venire*, q. d. vos mecum non potestis ascendere ad cœlos; hujus meæ gloriæ vos nunquam eritis participes, æternùm excludemini è regno cœlorum. Non est opus, ut causam indagemus; Christus D. eandem paucis, sed claris verbis exposuit: *Et dicebat eis, vos deorsum estis; ego de supernis sum.* In duabus his voculis, *sursum & deorsum*, Christus D. nobis proposuit clarissimum signum prædestinationis, vel æternæ reprobationis. Ascendenti sursum offert regnum cœlorum; deorsum vergenti minatur descensum in tartarum, & æternum interitum. Eleganter Asterius in cat. Græc. PP. *Ex solis sursum & deorsum nominibus, boni, malique differentiam insinuans; similiter hic dicens, descendit, id eodem sensu protulit: bonum enim naturâ suâ tendit sursum, malum verò seu vitium, quem irretivit, deorsum humi repentem detinet.* Iniquitas plumbea est, & ponderosa, trahens secum ad inferiora peccantem, virtus verò evehit hominem ad superna.

§. 5. *Effectus divinæ sapientiæ*

Si examinare lubet, an acceperitis Spiritum S. an referatis ejus imaginẽ; respondebo ex hoc discursu Christi D. vos mundani, vos filij hujus sæculi, vos superbi! vos luxuriosi Spiritum Sanctum non accepistis. Hic Spiritus tendit semper sursum, hic Spiritus evehit homines ad cœlestia; *vos autem de deorsum estis.* Hæ voculæ,

sursum, deorsum, insinuant differentiam illorum, qui acceperunt Spiritum S. & qui non acceperunt. Spiritus S. urget nos, ut altiora petamus, spiritus malus ait, quod Matth. 4. v. 6. dixit ad Christum D. *mitte te deorsum.*

§. 6. *Effectus doni sapientiæ.* Operatur autem Spiritus S. hunc effectum, per suavissimum illud donum, quod vocatur sapientia ex mente Philonis super v. 13. cap. 32. Deuteron. *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*, ubi ait citatus auctor: *Petram solidam, & infrangibilem indicans sapientiam Dei, nutricem, bajulam, educatricemque desiderantium vitam incorruptibilem.* In hoc enim vera sapientia consistit, ut relictis vanis, cœlestia & æterna concupiscamus. Pergit: *Labitur autem divinæ sapientiæ fons nunc leniore fluxu, placidioreque; nunc vehementiori cursu, majoreque impetu. Quando igitur sensim descendit, dulcescit mellis in morem; quando verò confertim, celeriterque labitur, fit tanquam oleum illustrandæ animæ.* Hic fons, hæc mellea petra, nunc dulcedinem instillat contemplationum, quæ insunt scientiis; mox & lucem accendit fulgidissimam, in his, qui non fastidiosè degustant; sed firmiter constanterque retinent ea, quorum tenentur desiderio. Hi sunt, qui ascendunt super vim terræ. Pulchriora encomia ego hodie Spiritui Sancto attribuere non possum, quàm quod sit, mater nostra, nutrix nostra, bajula, fons dulcedinis, & illustrationis, fundit enim rivos olei, dum mentem illuminat, & ignorantiæ caliginem repellit; fundit rivos mellis, dum præ nectare sapit acquisitio veræ sapientiæ. Sed his perfruuntur illi, qui ascendunt super vim terræ, qui terrena despiciunt; necesse enim est, ut ascensiones disponamus ad montem & petram Jesum, in quo fons est, oleum, & mel jugi scatebrâ scaturiens. Hoc est Christus D. Salvator noster de cœlis ad nos mittit Spiritum S. *qui illos, quos visitat* (D. Isidorus Pelusiota) *ad virtutem ac pietatem hortatur, id efficiens, ut res terrenas negligant, atque in cælestes sese insinuent.* Veni ô Sancte Spiritus! (fiat ex his pulchra imploratio gratiæ Spiritûs S.) Divus Dionysius Areopagita ait lib. de divin. nom. c 4. *Lux spiritualis* (idem dicamus de dono sapientiæ) dicitur bonum, quod lucem omnem superat, quod quasi radius fontis, lucisque manans effusio, mentem omnem, quæ mun-

mundum superat; quæ circa mundum est, quæ in mundo versatur, ex sua, ut ita dicam, plenitudine illustret, omnesque mentis facultates renovet, omnes complexu suo contineat; eaque omnia, quæ mentem, rationemque habent, congreget atque colligat. Ad hæc attendite, an corda vestra à tali luce sint illustrata, an vinculo charitatis sitis conjuncti cum Deo, & glutine charitatis conglutinati cum proximo per pacem, & mutuam dilectionem; & ex his iisdem signis judicate, an referatis imaginem Spiritûs Sancti, an tanti boni, & tam immensæ lucis, sitis facti participes.

Ob eximium hoc donum sapientiæ, Spiritus Sanctus à Sanctis Patribus vocari solet sapientissimus noster Doctor & Magister, juxta illud Christi D. *Ille docebit vos omnem veritatem.* Lapideis tabulis Moyses in monte Sinai, dum legem accepit à digito Dei *divini characteres fuerunt insculpti.* Digitus Dei est Spiritus Sanctus, qui in lege gratiæ, non lapideis tabulis, sed cordibus nostris, similes characteres inscribit de altissimis fidei mysterijs, & arcanis maximis, quarum notitia, ad æternam salutem obtinendam requiritur. Profunditas horum mysteriorum (in qua thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi latent) tanta est, ut naturâ suâ comprehendi nequeant; sed licet tam profunda & recondita obscuraque sint, ut beatus Paulus dixerit: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt,* idem tamen Doctor gentium subdit, *Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum;* & ita mysteria, quæ abscondita fuerunt à sæculis, & quæ aliis generationibus non fuerunt agnita, nobis per Spiritum Sanctum revelantur. *Et ita, divino munere* (inquit S. Ambrosius,) *aspiratione quâdam, humanis infunduntur mentibus, ut convenientia, & fidei plena de Deo sentiamus.* Neque Apostoli vel Prophetæ, de divina Majestate, & de cœlestibus ausi loqui sunt, nisi postquam Spiritus Sanctus talia illis revelavit, & demonstravit. Tam profundas veritates de Sanctissima Trinitate, de secundæ personæ Incarnatione nemo alius docuit vel docere potuit, nisi Spiritus Sanctus. Etiamsi non voce sonante per urbem, (etiamsi non amplius visibilis in igne de cœlo descendat, etsi non fulguret cœlum) *in corde tamen,*

§. 7. Spiritus S. est sapientissimus Doctor & Magister noster

men, ubi ipse (scilicet Spiritus Sanctus) *Magister est.* Super versum primum capitis 1. Genes. *In principio creavit Deus cælum & terram;* quærit S. Augustinus lib. 11. de civit. Dei cap. 4. *Nunquidnam ibi fuit iste Propheta, quando Deus fecit cælum & terram?* (quando creavit solem, interfuitne his operibus Moyses, ut tam eleganter omnia potuerit describere?) *Non, sed ibi fuit Sapientia Dei* (ibi fuit Spiritus Sanctus) *per quam facta sunt omnia, quæ in animas sanctas se transfert; amicos Dei constituit, eisque opera sua, intus sine strepitu enarrat.* In corde est Magister.

§. 8. Comæ sponsi quo sensu dicantur aureæ & nigræ.

Inter alia sponsa commendat comas sponsi, dum ait Cant. 5. v. 11. *Comæ illius nigræ sicut corvus,* sed aliàs dicendo, *Caput ejus aurum optimum,* insinuavit, fuisse rutilas, flammescentes & aureas, quo sensu simul dici potuerunt nigræ? Quid color aureus cum nigredine corvi? mysterium advertit Theodoretus cũ ait: *At comas ejus, cum perspicuæ sint, ait, esse nigras; illis enim, qui nondum divinam assecuti sunt revelationem* (in quibus non est donum sapientiæ à Spiritu Sancto infusum) *ea quoque videntur obscura & difficilia, quæ manifesta sunt, & sensibus comprehenduntur.* Oculis v.g. cernimus refluxum maris, videmus tam mirabiles effectus magnetis, nihilominus talia videntur difficillima: *Qui verò ad intima mysteria sunt admissi* (quibus Spiritus Sanctus largitur donum sapientiæ) *iis perspicua videntur etiam illa, quæ sunt obscura,* de quo Regius Psaltes sibi fuit gratulatus, dum ait: *Occulta sapientiæ tuæ revelasti mihi. Quæcunque enim Spiritus Sanctus per parobolas, obscurosque sermones locutus est, ea illis qui in ejusdem Spiritûs Sancti communionem, & societatem recepti sunt, cognitu facilia, & quasi obvia sunt, utpote ab ipso Spiritu Sancto edoctis, & informatis:* inquit D. Chrysostomus. Talis fuit Salomon, quamdiu fuit amicus Dei, quem Regina Saba tentavit in ænigmatibus lib. 3. Reg. c. 10. & lib. 2. Paral. c. 9. v. 2. *Et exposuit Salomon ei omnia, quæ proposuerat, nec quicquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit.* Habebat enim in corde suo Magistrum Spiritum Sanctum, qui etiam rudes Apostolos *piscatores indoctos, magnis mysterijs cognoscendis, momento reddit idoneos.*

§. 9. Ioseph, tres, Daniel, viri.

Talis fuit Joseph, qui obscura somnia, & occultas visiones, Pharaoni objectas, tam sapienter fuit interpretatus, ut Rex

Gen.

Digitized by Google

Gen. 41. v. 44. *verterit nomē ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi.* Juxta S. Hiero *absconditorum repertorem*; ex mente S. Augustini & S. Chrysostomi, *Occultorum cognitorem & revelatorem*, eo quod omnibus occulta revelavit. Ex mente Theodoreti, *arcanorum interpretem.* Eleganter Sanctus Ambrosius lib. 2. de off. cap. 16. *Quam argute Regalis interpres somnii veritatem expressit? quid primum mirer? ingenium, quo in ipsum Veritatis descendit cubile; an consilium, quo tam gravi, ac diuturnæ prospexit necessitati.* Sed, quis Josepho tantam concessit sapientiam? quis talia suggessit consilia? unde Joseph tam prudens & providus? Pharao respondet his quæstionibus Genes. 41. vers. 39. *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus, locutusque est ad eos: num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit. Dixit ergo ad Ioseph, quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es; nunquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero?* Cum Spiritus Dei, non sit alius, nisi Spiritus Sanctus, sequitur, ut si sapientiam talem desideremus, Spiritum S. ardentissimis votis invocemus.

Sapientissimi ob donum Sapientiæ à Spiritu S. collatum.

Talis fuit Daniel absconditorum mysteriorum clarissimus interpres. Sed causam insinuavit Regina, dicendo ad Regem Balthasarem, Daniel c. 5. v. 11. *Est in regno tuo, qui spiritum Deorum sanctorum habet in se: & scientia, & sapientia inventæ sunt in eo.* Ideoq; Rex constituit illum Doctorem sapientum, & ait: *Quia spiritus amplior, & prudentia, intelligentiaque, ac solutio ligatorum inventa sunt in eo; hoc est, in Daniele.* Accinit Danieli Theodor. *Hic enim Divini Spiritus vas effectus sapienter omnia consulit, & prudenter omnia loquitur: & ea, quæ obscuritate aliqua occulta sunt, ab obscuritate vindicat, & veluti subiugacula quædam, & sigilla, & quasi ea, quæ in penu custodiuntur, à vinculis liberans solvit, & aperit, & ad ipsa quicunque velint, introducit.* Causam tantæ Sapientiæ advertite. Habuit in se Spiritum Sanctum Dei, sapientia in illo fuit inventa, Spiritus amplus gubernavit Danielem. Fuit Daniel vas Spiritus Sancti. Et qualia nos sumus vasa? (est locus pro pulchra invectiva) hinc tenebræ, hinc ignorantia, hinc

§. 10. *Prosecutio.*

Digitized by Google

hinc caligo. Tertullian. lib. 1. contra Marcion. cap. 1. *Duritia de cœlo quoque dies nunquam patens : Sol nunquam liber ; unus aer ; nebula : totus annus hybernum ; omne quod flaverit Aquilo est.*

§. 11. Miseri sunt, qui non acceperunt Spiritum S.

De quibus cum emphasi Abulensis. *Miseri ! nullum lumen intellectus habentes ! & apparet in eis aliquid mirandum* ; (loquitur præsertim de Judæis, sed eadem impiis hodie obiici possunt) *scilicet quod ex eo tempore, ex quo generatio ista perversa Christum suum recipere noluit, quem nos gratis suscepimus, non solum prava voluntas eorum, & intellectus operativus in malo, excæcati sunt, sed etiam intellectus speculativus in eis ligatus est, ita ut eorum, quæ Spiritus Sanctus suggerit, nihil intelligant, hinc vita pessima, quia dati sunt in reprobum sensum.* Causam tandem addit doctissimus Abulensis : *quia lumen manifestissimum recipere negligunt.* Minima cura multorum est, an acceperint Spiritum Sanctum : prout scelerati Christum Dominum pessime vivendo, per gravia scelera, tractarunt Christum Dominum in passione, in resurrectione, ita tractant Spiritum Sanctum luxuriosi ut ante, blasphemi, ut ante.


§. 12. Beati, qui acceperunt ob eximiũ donum Sapientiæ.


Beati verò sunt illi, in quorum corda Spiritus Sanctus cum suis donis, veluti fœcundis rivulis, & præsertim cum dono Sapientiæ se effundit, de cujus præstantia videor mihi uti posse verbis, quibus S. Diadochus Ep. in libell. de perfect. Spirituali cap. 65. laudat Theologiam. *Omnia dona Dei sunt valde bona, & omnium bonorum causa ; sed nullum ita cor nostrum inflammat, & ad amorem ita excitat, ut donum Sapientiæ - cum enim sit fœtus matutinus gratiæ Dei ; prima etiam dona largitur animæ ; primum enim facit, ut libenter & jucunde omnes vitæ hujus formas contemnamus ; ut qui pro cupiditatibus fluxis divitias cœlestes speramus. Deinde mentem nostram igne eam mutante collustrat, unde consortem ministrantium Spirituum eam facit.* Ignis hic mutans mihi in memoriam revocat, quod aliquando legi de S. Catharina Senensi. Cum ex Psal. 50. ardenter oraret illum versiculum, *Cor mundum*

crea

Digitized by Google

crea in me Deus, & ferventibus precibus à suo sponso tale cor peteret, Christus D. illi apparuit, & aperto utriusque pectore, cor suum, cum corde Virginis commutavit. O felicem permutationem! in corde enim Jesu, aliud quoque cor invenitur, Cor divinitatis, quod est Spiritus S. Hic idem Spiritus, sedes amoris, fons vitæ & caloris, & causa omnis motus Spiritualis ad bonum causat pulcherrimas mutationes, quas lib. 1. Reg. cap. 21. vers. 13. insinuat sacer textus, cum ait de Davide, quod *repletus Spiritu Domini immutaverit vultum suum coram Rege.* S. Hieronym. legit: *Os suum, vel linguam suam.* Aquila. *Gustum suum.* Symmachus, *mores suos.* Chaldæus. *Cogitationes suas.* Hebræus. *Concilium & rationem.* Verbo, Cor suum. Quæso vos Auditores; quales, verbi gratia, habetis linguas, an blasphemas? an detractrices? an luxuriosas? & non cogitatis de mutatione; ut non amplius blasphemetis, non amplius detrahatis? non refertis imaginem Spiritus Sancti. (Hoc modo poterit fieri pulcher epilogus.)





CONCIO XXVIII.

DOMINICA SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,

Matth. 28. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima parte ostendit, de mysterio Sanctissimæ Trinitatis loquendum esse caute: in altera proponit modum, quo Deum & SS. Trinitatem oportet laudare.

§. 1. *De mysterio hoc caute loquendum est.*

§. 2. *Fluvius egrediens è templo, Ezech. 47. fuit symbolum mysteriorum fidei.*

§. 3. *Prima Veritas est, esse Deum, quem tamen gentiles ignorant.*

§. 4. *In lege Moysis, clarior fuit Dei cognitio.*

§. 5. *Longe clariorem prædicavit Christus D. Dei unius in natura, & Trini in Personis.*

§. 6. *Nimia indagatio tanti mysterii est periculosa.*

§. 7. *Elegans monitum Senecæ*

§. 8. *Et S. Dionysii Areopagitæ.*

§. 9. *Altera pars Concionis. Homo à Deo creatus est ut eundem laudet.*

§. 10. *Quomodo Deus à nobis sit laudandus. 1. pure.*

§. 11. 2. *In Spiritu & fervore.*

§. 12. 3. *Oportet Deum laudare cum magna reverentia, constantia & lætitia.*

Qui

Digitized by Google

§. 1. De mysterio SS. Trinitatis cautè loquendū est.

QVi periculosum fluviū vel torrentem vult pedes transire,cavet 1. ne temerè se aquis cōmittat,sed pedetentim cum multo timore& providentia incipit transire.2.quia soli visui & pedibus non fidit,in manus sumit baculum, quo fundum tentat,ne fortè subitò occultâ foveâ demergatur.3.si transire debeat de nocte,ad ripam curat incendi ignem, vel lampadem.Præsenti Concione hodiernâ solennitate SS. Trinitatis, intrare debeo nō fluvium vel torrentem,sed profundum pelagus & abyssum incomprehensibilis mysterii de SS.Trinitate. In hoc mari plurimi periclitati sunt; Arrius in illo periit: Sabellius,Manichæus,Photinus,& innumeri alii in illo naufragium fecerunt. In hoc mari charybdes sunt,in quibus superba ingenia necessariò absorbentur. Naviculæ,quæ vocantur,superbia,pertinacia,propriū judicium,absorbentur; Naviculæ fidei & humilitatis tutò navigāt. Ne idem mihi contingat,intrabo,& si Deo placet,transibo feliciter,sed ingrediar 1.pedetentim,nec temerè in talem abyssum me abjiciam Sequar consilium S.Bernardi: *Ne irruatis, ne obruamini, nam scrutator majestatis opprimetur à gloria,sicut qui nimis attentè respicit solem, non illuminatur,sed cæcatur.* Deinde intrabo cum baculo fidei;suo visui,suis oculis nemo fidat. *Quæ in prospectu sunt,videmus cum labore*(ait Sapiens)*quæ in cælis sunt,quis investigabit*? Exiguas creaturas,quas videmus, non intelligimus, & absconditam divinitatis abyssum volumus intelligere?baculo fidei est opus. Et quoniam in hac vita,nocte ambulamus profundâ, postquam per peccatū spiritualis intelligentiæ lumen amisimus, accendi lucernam,i.e.imploravi opem Spiritûs S.ut ipse & me,&vos illuminet, me,ut aliqua dicam,vos ut illa audiatis de profundissimo mysterio SS.Trinitatis,cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum.

§. 2. Fluvius egrediens è templo Eze. 47. est symbolum mysteriorum fidei.

Metaphorâ,quâ exorsus sum exordium,ordiar Concionem,& quidem ex sacris litteris.Ezech.47.v.5.vidit Propheta amplissimū fluvium de templo egredientem,In illum Angelus deduxit Ezech. & mensus est mille cubitos,&traduxit illum usq; ad talos:&rursus mensus est mille;&traduxit illū usq; ad genua,& rursus mensus est mille,& traduxit illū usq; ad renes,& mensus est mille, & pergere non potuit,quoniam aquę torrentis nimiū intumuerunt.Hic torrens,

Digitized by Google

rens, qui de templo, id est, pectore & aperto corpore Salvatoris exivit, est doctrina sacra, sive verbum Dei, fluens aquis vitæ æternæ. In illa doctrina quædam mysteria sunt levia & facilia, v.g. de moribus, vitijs & virtutibus; alia profundiora, v.gr. de creatione mundi admirabili, ejusdem gubernatione, alterâ vitâ, hominis immortalitate; alia adhuc profundiora, de mysteriis vitæ Christi, de redemptione, hominis sanctificatione. Quædam verò sunt profundissima, quæ humanus intellectus pertransire non potest, quale præcipuè est mysterium SS. Trinitatis.

§ 3. Prima veritas est, esse Deum: quem tamen gentiles ignorant.

Deum esse, per se notissimum est. Omnia hoc testantur; clamat cœlum, clamat terra, clamat sol & astra, clamant omnes creaturæ, *quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Unde nulla unquam gens tam barbara fuit, quæ non coluerit Deum aliquem, licet in cognitione veri Dei multum aberrârint. Omnis mundus hanc veritatem agnoscit, ipsâ naturâ monstrante, sed qualis sit iste Deus, cujus naturæ, quæ ejus essentia, quomodo omnia ex nihilo produxerit, infinitæ ejus perfectiones illæ latent. Job. 23. v. 8. *Si ad Orientem iero, non apparet, si ad Occidentem, non videbo eum. Posuisti tenebras latibulum tuum,* quasi diceret, licet videamus creaturas, tamen autorem & artificem ideo non cernimus. In inquirenda & investiganda Dei natura laborârunt quidem antiqui & subtilissimi Philosophi; sed Ps. 63. v. 7. ait, *defecerunt scrutantes scrutinio.* Ps. 126. v. 2. *Vanum* quippe *erat eis ante lucem surgere,* scilicet illam lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. v. 9. & quam ridicula de DEO docuerunt. Rom. 1. v. 23. *Verè dicentes se sapientes, facti sunt stulti.* Legatur S. August. l. 4. de civit. Dei c. 2. qualis stultitia! pro una arista quot Deos posuerunt Romani? Sciam, Segetam, Proserpinam, Nodotum, Volutinam, Patelenam, Hortulinam, Floram, Lacturciam, Matutam, Runcinam, Tutilinam; quia unum Deum invenire non potuerunt, cui simul aristam totam commendarent, plures excogitarunt, & uni Deo aristam commendarunt satam, alteri prodeuntē, alteri crescentem; Uni nodos, uni folliculos, uni spicam patentē, alteri florentem, alteri maturescentem, alteri messem, alteri horreum, quales fabulæ! quàm pueriles ineptiæ! qualis cæcitas & igno-

Digitized by Google

ignorantia! sacrificia fecerunt superstitiosa & turpissima. In tota gentilitate per quinque mille annos paucissimi (sine dubio magis ex divino instinctu, quam studio) v.g. Socrates, Aristoteles, Plato, unum Deum omnium conditorem agnoverunt. Unus Plato, & ante illum Hermes Trismegistus aliquid insinuarunt de Deo uno & trino. Itaque in gentilitate summa fuit ignorantia hujus mysterii.

§. 4. *In lege Moysis clarior fuit Dei cognitio.*

In populo Hebræo à Deo electo & illuminato, de hoc mysterio hoc clarè innotuit Deuter. 6. v. 4. *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Pluralitatem aliquam personarum in divinitatis unitate, personarum proprietates, origines, relationes, nomina paucissimis amicis suis revelavit, præcipuè Davidi, qui præ omnibus Patriarchis & Prophetis de hoc mysterio clariùs locutus est, propriis nominibus nominando personas in Psalmis: *Dixit Dominus Domino meo, Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Spiritûs S. mentionem fecit frequenter, & Dei Creatoris, qui Pater est, & Dei Redemptoris, qui est filius, & sanctificatoris sive justificantis, qui est Spiritus Sanctus.

§. 5. *Longè clariorem prædicavit Christus D. Dei unitatem in natura, & Trinitatem in personis.*

Per adventum Christi, ipse Salvator primùm per se, deinde per Apostolos, & hi per suos successores mysterium hoc adeò manifestârunt, ut simplicissimi & rudes sciant substantiam mysterii; rusticelli, pueri sciunt & credunt Deum unum esse in unitate substantiæ, & trinum in personis, benè dixit S. Hieron. *Hoc doctus Plato nescivit, homo eloquens Demosthenes ignoravit -- quod hodie parvi sciunt pueri, cùm multi biennes dicunt, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ipse Salvator pro tanto beneficio gratias agit Patri, Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi Domine Pater, Rex cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & revelasti ea parvulis, ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te*; & dicenti Petro Matth. 16. v. 17. *Tu es Christus Filius Dei vivi, dixit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui est in cælis:* ac si diceret: Non tibi hoc synagoga, non Scribæ & Pharisæi, sed solus Pater meus de cœlo revelavit. Non itaque ratione, non studio, non experientiâ, vel aliquo lumine naturali, sed solâ revelatione

Jesu

Jesu Christi hoc innotuit mundo, à tali Magistro mundus cognovit Deum suum, quis esset, qualis esset, & quomodo esset. Sola hæc notitia, hæc altissima sapientia à Christo tradita, *tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt*, prævalet toti sapientiæ mundi, plus quàm omnis Philosophia & Astrologia, & omnis alia scientia de quocunque objecto, unde Dominus Joan. *17.* v. 3. ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Sine aliis scientiis salvari potest homo, sine hac non est salus. Hæc sapientia omnibus hominibus necessaria est ad salutem, sine hac notitia post promulgatum Evangelium nullus salvabitur. Unde in Symbolo: Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque tenuerit, salvus esse non poterit, sine hac fide impossibile est placere DEO. Hæc veritas totius fidei est basis.

§. 6. *Nimia tanti mysterii indagatio est periculosa.*

Et hæc notitia sufficit, illam velle scrutari, penetrare, est periculosum. S. Aug. *Nihil difficilius quæritur, nihil fructuosius invenitur, nullibi periculosius erratur.* Quia altissimum hoc Trinitatis mysterium solâ Dei revelatione mundo innotuit, piè credendum, summè colendum & venerandum est, non temerè & curiosè discutiendum, id enim solum de illo cognoscere possumus, quod divina clementia revelare dignata est. Cum S. Aug. nomen aliquod inquireret, quo aliquid in Sanctissima Trinitate explicaret, post longũ examen dixit: *Nescio, & liberè me nescire profiteor, quod Christus voluit indicare, hoc solum scio.* Deus non vult nos in hac vita illud clarius intelligere, sed credere. Cùm Isa. c. *6.* v. 11. videret Dominũ sedentem super solium excelsum, & audiret clamantes Seraphinos *Sanctus, sanctus, sanctus*, protinus ei dictum est, *Vade & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere*; ac si diceretur mundo: Nolite mortales mysterium hoc scrutari, nolite intelligere, audite audientes (quod Christus dixit) & credite; hoc proderit & necesse est ad salutem, credere pietatis est, scrutari temeritatis. S. Bern. *Scrutari Trinitatem summa perversitas est, credere Trinitatem, salus animarum est, videre Trinitatem, summa felicitas est.*

§. 7. *Elegans*

Cum fide & humilitate nos loqui & audire oportet, quæ dicuntur

tur de altissimo hoc mysterio. *Egregie Aristoteles ait* (verba sunt Senecæ) *nunquam nos verecundiores esse debere, quam cum de Diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuiri, vultum submittimus, togam adducimus; quanto hoc magis facere debemus, cum de Deorum natura disputamus? ne quid temere, ne quid impudenter aut ignoranter affirmemus, aut scienter mentiamur.* Hæc de diis Aristoteles & Seneca, quid dixissent, si secretum hoc sanctissimum illis innotuisset. Philosophi dicunt, illum, qui in profundissimum puteum, etiam medio die se dimittit, videre lucentes stellas. Non stella, sed lumen infinitum, lumen inaccessibile est SS. Trinitas, qui oculis saltem fidei vult videre, quantum in hoc exilio fieri potest, debet descendere in puteum humilitatis. Fecit hoc David Ps. 115. v. 10. *Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis.* Crede, loquere, lauda SS. Trinitatem, dic *gloria*, dic, *Sanctus*, sed ut possis, humilia te nimis; hoc facite Ecclesiastici, *Glorificate Deum quantum potestis, supervalebit adhuc Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteritis; major est omni laude. Ne laboretis, non enim comprehendetis.* *monitum Senecæ.*

In talem puteum descendit S. Dionys. Areopagita, cum dixit de divinis nominibus: *magis casto est veneranda silentio, quam exili depressæ mentis celebranda eloquio.* In talem puteum descendit S. Aug. in soliloq. c. 31. *Soli tibi O Trinitas integre nota es: Trinitas Sācta, Trinitas supermirabilis, & superenarrabilis & superinaccessibilis, superincomprehensibilis, exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnē intellectum super cœlestium animorum, quam neq; dicere, neque cogitare, neq; intelligere, neq; cognoscere possibile est, etiam oculis Angelorum.* Quid ergo nos faciemus? stabimus à longe, tegemus facies, clamabimus, *O altitudo! Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto.* §. 8. *Et S. Dionysij Areopagitæ.*

Ex suppositione, quod credamus Deum unum & trinum, sciendum est, eundem Deum ad hunc finem in hoc mundo creasse hominem, ut ab illo laudetur, & glorificetur. Opinio illa fuit Davidis: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiā;* id est, die ac nocte à creaturis laudatur Deus, de die per pulchritudinē solis, hic omnia facit pulchra, sed omniū creaturarū pulchritu- §. 9. *Altera pars Concionis. Homo à Deo creatus est ut Deum laudet.*

Digitized by Google

do nil aliud est, quam lingua, qua Deus laudatur, latet de nocte nobis sol, sed est luna, sunt stellæ, quibus non desunt linguæ: sic dies & nox faciunt veluti duos choros, unum ducit Sol, alterum luna, alternatim prædicantes gloriam Dei, chori pulchri, copiosi, ad quos pertinent omnes creaturæ. Notum id erat tribus pueris in fornace Babylonica, desiderabant ex animo, Deum laudare, quid faciunt? variæ sunt creaturæ in cœlo, omnes invitant! variæ creaturæ sunt in aere, omnes invitant, (sic de terra, mari.) Simile desiderium erat in Davide, quid facit? legite Psal. 148. legetis, quomodo vocet omnes creaturas ut Deum laudent, Angelos vocat, ut Deum laudent, solem, lunam vocat, ut laudent: stellas, lucem, ut laudent; Cœlos, aquas, dracones, grandinem, nivem, procellas, montes, colles, ligna fructifera, bestias, pecora, serpentes, volucres, &c. ut Deum laudent, sed quia imperfecta valde est hæc laus creaturarum; quia imperfectæ sunt creaturæ, ideo alias duas nobiles creaturas condidit Deus, hoc fine, ut Deum laudent, Angelos scilicet, & hominem. Prima Angelorum occupatio dum creati fuêre, fuit, Deum laudare. Job. 38 vers. 7. *Vbi eras cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei, quando ponebam fundamentum terræ.* Angeli qui firmi stetere; ab illo tempore usque huc aliud non fecere quam Deum laudare, in æternum aliud nil facient, quam dicere *Sanctus! Sanctus! Sanctus!* Ex quo bene infert B. Ephrem de beatitudine. *Beatus est!* scilicet in terris! *qui factus est sicut Cherubin, & Seraphin, & in divino ac spirituali officio nunquã est segnis, sed semper glorificat Deum. Beatus qui tanquam Angelus cælestis, semper collaudat Deum,* juxta vers. 5. Psalmi 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

§. 10. *Quomodo Deus à nobis sit laudandus.* 1. *Pars.*

Ex quibus, utilis oritur quæstio, quomodo Deus, vel Sanctissima Trinitas à nobis laudanda sit? Cui quæstioni respondeo. Ante omnia removendum est obstaculum, quod DEI laudem plane evertit, imo, per quod homo laudem Creatoris sui oppugnat, & quem laudare & glorificare deberet, spernit & contemnit, nimirum per peccatum mortale. De quo Deus questus fuit per Isaiam cap. 1. vers. 2. *filios enutrivi, & educavi,*

ipsi

ipsi vero spreverunt me. Alii legunt, *Prævaricati sunt cum contemptu.* Vivere in statu peccati mortalis, & Deum velle laudare: non est laus DEI, sed contemptus, & gravis injuria. Quis parricida unici filii, potentissimi alicujus Regis, cum parricidali cultro, sanguine conspersio, coram Rege audebit comparere, ut in gratiā filii, quem peremit, obtineat veniam & misericordiam? Justissimam Patris iram, talis magis concitabit ad vindictam. Et tamen quoties nos hoc modo, dum orare, dum Deum laudare volumus, coram ejus conspectu comparemus? per peccata mortalia rei sanguinis Christi, quem rursum crucifiximus, & illo corde, illis labiis, illis manibus, quæ rubent hoc divino sanguine, Deum volumus laudare: Absit, non est speciosa laus Dei in ore peccatoris dum orare, vel laudare Deum volumus, cogitemus nobis dictum illud Psalmi 2. versu 21. *Apprehendite disciplinam.* Alii legunt. *Osculamini filium.* Alii. *Osculamini pacem.* Alii, *osculamini puritatem.* Breviter & acute LXX. *Adorate pure.* Quæ puritas, quæ pax, quæ amicitia cum JESU, in hoc consistit, ut quis in statu gratiæ constitutus, cum conscientia bona, faciat in omnibus DEI voluntatem. Ob quam causam regius Psaltes hæc duo conjunxit Psalm. 102. vers. 20. *Benedicite DEO omnes Angeli ejus, facientes verbum ejus.* Itaque hoc facite Audit. cum magno aliquo festo, verbi gratia, Sanctissimæ Trinitatis, eandem ingenti quodam fervore cogitatis laudare, & glorificare, ante omnia excutite bene vestras conscientias; an rei sitis gravis alicujus sceleris; si rei estis, osculamini prius Filium, hoc est, in Confessionali per Sacramentum pœnitentiæ, in corde contrito & humiliato, cum Maria Magdalena abjicite vos ad pedes Judicis, osculamini puritatem, abjicite sanguineos cultros, &c. facite propositum firmum non peccandi amplius. Et mundati in pretioso ejusdem sanguine; laudate Sanctissimam Trinitatem! adorate, magnificate, sed pure!

2. Cum DEUM laudare volumus, cavendum est, ne locum habeat querela per os Isaiæ à DEO prolata cap. 29. vers. 13. *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* §. II. 2. In spiritu & fervori, corde & ore.

me. Simul corde & ore laudare oportet Deum. Exemplo Davidis, dum ait Psalm 102. vers. 1. *Benedic, anima mea Domino & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus: benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Idem. *Orabo spiritu, orabo & mente; psallam Spiritu, psallam & mente.* Psalm 118. vers. 145. *In toto corde meo clamavi ad te.* Ut illum fervorem & Spiritum, quo anima Davidis laudavit Deum exprimeret, ait Psalm. 38. vers. 4. *In meditatione mea exardescet ignis.* Ab hoc igne, ab hoc fervore, ab hoc Spiritu interno, quasi ab anima, animatur Dei laus, & fit quasi incensum ut ascendat in odorem suavitatis Quo sensu ipsa Dei Mater Deipara dixit ad Elisabetham. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus, in Deo salutari meo.* Cui interno fervori conjungi debet laus Dei exterior, ad quam tam ferventibus verbis se se sæpius excitavit David; Ps. 50. vers. 17. *Domine labia mea aperies & os meum annuntiabit laudem tuam.* Psalm 62. vers 4. *labia mea laudabunt te: labiis exultationis laudabit os meum.* Psalm 33. vers. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* *Quibus verbis regius Psaltes nos monet* (ait S. Chrysostomus hom. 16. super Genesin) *ut Deum glorificemus continua benedictione vocis, & optima operatione vitæ.* Continua erit benedictio vocis nostræ, si identidem cum Ecclesia ingemimemus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* Vel, *Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus & super exaltemus eum in sæcula.*


§. 12. 3. Oportet Deum laudare, cum magna reverentia, constantia, & lætitia.

3. Perfectio divinæ laudis, requirit, ut Deum vel SS. Trinitatem laudemus cum magna reverentia, constantia, & lætitia. Ita dixit David Psalm, 94. vers. 6. *Venite, adoremus Dominum, & procidamus ante faciem ejus.* Ita Salomon lib. 3. Reg. cap. 8. vers. 22. *Expandit manus suas in cælum.* Ita Esdras, 1. Esdræ 9. vers 5. *Curvavit genua sua, & expandit manus suas.* Ita Daniel cap 6. vers. 10. *flectebat genua sua & adorabat.* Ita Tobias cap. 12. vers. 16. *Prostratus in faciem adorabat.* Ita tres Magi Matth. 2. vers. 11. *procidentes adoraverunt eum.* Ipse Christus Dominus in agonia in monte Oliveti, prostratus in faciem suam, prolixius oravit. Itaque nobis quoque laborandum est, ut in orationibus

nostris

Digitized by Google

nostris; coram throno divinæ Majestatis compareamus cum magna reverentia corporis & animi. Constantiam & perseverantiam in divina laude docuit nos Seraphicus Sanctus Franciscus, dies & noctes perseverans in oratione, v.g. cum integra nocte, corde & ore non alia protulit verba, quàm hæc. *Deus meus & omnia!* & aliàs; *Dulcissime Domine vellem te amare!* Tantum à vobis non postulo; sed hoc, ut saltem frequenter, & præsertim in templo, has voces jubilationis repetamus. *Sanctissima Trinitas vellem te amare! Sanctissima Trinitas, vellem te glorificare, &c.* & hoc cum ingenti lætitia, & in jubilo cordis, nunc & in æternitate.



CONCIO XXIX.

DOMINICA I. POST SS. TRINITATEM.

Epulabatur splendidè,

Lucæ 16. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

INter cætera divni amoris argumenta, est & illud, quod nos omnes ad cœnam æternæ beatitudinis peramanter invitat. Sed ah nos miseros! quos divitiæ, voluptates & mundi negotia avertunt & abstrahunt!

§. 1. *Contemplari Deum, magnum in gloria est sublime; intueri parvum in Humanitate, est suavius.*

§. 2. *Liberalissimus Deus nobis dedit cælum & terram.*

§. 1. *Contemplari Deum magnum in gloria est sublime, intueri parvũ in Humanitate est suavius.*

PIa est quæstio, an Dei amatores majori afficiantur voluptate, cùm Deum contemplantur magnum, & gloriosum in gloria; an verò cum eundem, parvum & minimum intuentur, in humana natura, & humilem atque exinanitum. Cùm Regius Psaltes ejus in gloria magnitudinem fuisset contemplatus, plenus admiratione exclamavit Ps. 144. v. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis valde, magnitudinis ejus non est finis.* S. August. hîc: *Illius magnitudo sine fine est, & tua laudatio sine fine sit.* iterum: *Fratres mei, magnum Deum habemus! miraris mundum? quare non artificem mundi? suspicis cœlum? & inhorrescis? cogitas universam terram & contremiscis? maris magnitudinem, omnia ista, quàm magna! quàm pulchra! quàm stupenda! ecce qui fecit omnia, Deus tuus est. Magnum Deum habemus.* Volupe proinde est, tantum Deum in gloria & majestate sua contemplari. Alii liquidissimâ mentis perfunduntur voluptate, dum attendunt, quomodo magnus ille Deus, in humana natura, primum in puero, deinde in SS. Humanitate, & speciosi hominis staturâ magnitudinem suam contraxerit; revera Deus, & tamen nobis simillimus in humana natura.

Cùm

Digitized by Google

Cùm Isaias ita DEUM suspexit, gaudio plenus dixit cap. 9. v. 6. *Parvulus datus est nobis!* S Bernardus ser. 3 in vigil. Nat. *Illum quidem sapientiâ, potentiâ infinitum, & majestate immensum contemplari, sublimius est; at parvum in præsepio, hoc suavius est.* Duplici hoc modo hodiernum Evangelium nobis Deum nostrum proponit; si per cœnam magnam cum multis SS. Patribus velimus intelligere, SS. Eucharistiam, parvum videmus, dum sub speciebus parvæ hostiæ infinitam suam tegit & contrahit majestatem. Et suave est ita intueri. Si cum aliis putemus per cœnam magnam significari, cœlestem gloriam, iterum dicere possumus cum S. Augustino: Magnum Deum habemus, qui nos ad tantam invitat gloriam. Quare nihilominus aliqui se excusent, sive, quare priventur cœlesti gloriâ, & æternùm damnentur, hâc concione ostendam.

Liberalissimus Deus variis, suavibus & mirabilibus modis, infinitam suam erga nos homines demonstravit liberalitatem; primò enim largitus nobis est cœlum & terram, & omnes creaturas, quæ in illis sunt, ut nobis serviant Ps. 8. v. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Ecclesiastici 17. v. 1. *Deus creavit hominem de terra, & dedit ei potestatem eorum, quæ sunt super terram.* S. August. *O anima mea, dilige Deum, qui dedit tibi cælum cum sideribus; aerem cum volatilibus, aquam cum piscibus, terram cum germinibus, totum mundum cum omnibus, quæ in eo sunt.* Hic est primus gradus divinæ liberalitatis, conclusus tamen intra terminos & cancellos naturæ, sive donorum naturalium. §. 2. *Liberalissimus Deus nobis dedit cælum & terram.*

Effusa ejus liberalitas naturæ terminos fuit egressa, vel amplius se effudit & dilatavit, dum nobilissimas in cœlo creaturas, scilicet Angelicos Spiritus, ad nostri custodiam, servitiumque designavit. Ad Hebr. 1. v. 14. *Omnes sunt administratorii Spiritus, missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* S. Hieron. *Magna dignitas animarum, quarum unaquæque habet unum Angelum, ad nostram custodiam deputatum.* S. Augustinus super verba Christi, Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei;* ait, *dicuntur Angeli nostri, quia nobis serviunt.* Tanti nos facit Deus, ut tanto digni simus ministerio. §. 3. *Et Angelos ad custodiam.*

Plus

Digitized by Google

§. 4. *Filium suũ in socium, pretium, & cibum, cum Spiritu S.*

Plus ultra processit immensa illa liberalitas, cum variis modis se ipsum nobis dedit. 1. In socium nostræ peregrinationis per Incarnationem. 2. In pretium redemptionis nostræ, ad Ephes. 5. v. 2. *Dilexit nos, & semetipsum obtulit pro nobis, hostiam & oblationem Deo, in odorem suavitatis.* Dando se nobis in pretium, cum eodem se totum, sanctissima vulnera, sanguinem, mortem, & infinitos meritorum suorum thesauros nobis donavit. 3. Cùm dilexisset nos usque in finem, usque ad mortem crucis, tandem novo & inaudito modo dedit semetipsum nobis in cibum & potum; S. Gregor. M. *Bonus pastor Dominus Jesus animam suam pro ovibus posuit, & in Sacramento corpus & animam, & sanguinem dedit, ut oves, quas redimerat, carnis suæ sacramento satiaret.* Ob quam liberalitatem SS. PP. ita exclamant; *O divini amoris immensitas! divinæ pietatis superabundantia! divinæ largitatis effluentia! dedit nobis omnia sub pedibus, dedit Angelicos Spiritus ministros; Volens adhuc exuberantem charitatem demonstrare, præcipuè liberaliter se ipsum nobis exhibuit. Transcendens omnem liberalitatem, dilectionem & modum, tribuit se ipsum nobis in cibum.* Post mortem deinde in cruce, post sanctam suam resurrectionem, post gloriosam ascensionem de cœlis nobis misit Spiritum Sanctum, veluti Vicarium suum, ad nos edocendos, ad consolandos, & confortandos; cum immenso cœlestium donorum cumulo. Nihilominus metam divinæ liberalitatis ultimam necdum attigimus.

§. 5. *Tandem cœnam magnam cœlestis gloriæ*

Attingemus, cùm post hanc vitam suis electis, dabit possidendum regnum, quod Pater æternus ab æterno Sanctis suis præparavit, in quo æternùm erimus beati, & felices; cùm dicere poterimus, non plus ultrà. Quod fiet in magna illa cœna, in qua, in cœlesti gloria, Deo æternùm fruemur. Ita enim loquuntur SS. Patres super hodiernum Evangelium. Tertullianus l. 4 contra Marcion. c. 31. *Cœna paratura vitæ æternæ saturitatem præfigurat.* S. Gregor. M. hom. 36. *Cœna magna est societas dulcedinis æternæ. Vocatur cœna, quia dabitur vespere, sive, in fine vitæ; post quam non dabitur alia, quia ipsa erit æterna. Et dicitur magna, quia nil majus, vel melius cælesti gloria poterit excogitari. Ipse enim Deus erit ferculum.* Euthymius. *significatur ineffabilis Dei fruitio, qui beatos in illa patria recrea-*

Digitized by Google

recreabit, satiabit, inebriabit, beabit, glorificabit, ut homo nil aliud optare vel desiderare possit. S. August. l. ult. de civit. DEI. *O quanta erit illa felicitas, ubi nullum malum erit, nullum latebit bonum, vacabitur internis laudibus, & Deus erit omnia in omnibus. Pensa, O homo, si tanta bona à Deo habes in mensa, in carcere, in exilio: quanta bona habebis in mensa Dei? in regno? in patria ipsa quomodo saturabit, qui in peregrinatione sic pavit?* sufficiat unica interpretatio S. Pauli: Evangelium hodiernum ait, vocatos esse multos ad cœnam magnam, ipse ait ep. 1. ad Thessal, cap. 2. v. 12. *Vocavit nos in suum regnum & gloriam.* Ad Philippenses de se ait c. 3. vers. 14 *ad destinatum persequor,* quo scilicet sum vocatus, *ad bravium supernæ vocationis Dei,* id est, ad æternam gloriam.

§. 6. *Ad quam omnes vocantur, nemine excepto. Deus vult omnes salvos fieri.*

Posito hoc fundamento, Christum D. in hodierno Evangelio, sub parabola cœnæ magnæ fuisse locutum, de cœlesti gloria, advertendum est primo, voculam, *multos*, includere immensum numerum invitatorum, quem explicat S. Paulus epist. 1. ad Timotheum cap. 2. vers. 4. *Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quibus verbis refutatur quorundam hæresis, qui putant DEUM non velle omnes salvos fieri, proinde docent DEUM multos exterius variis modis vocare quidem ad cœnam, sed interius velle aliud, & proinde tales nunquam salvandos. Maledictam illam blasphemiam, sive hæresim, & impiam de benignissimo Deo cogitationem refutant variæ circumstantiæ Evangelicæ cœnæ. Si Paterfamilias hospites non serio invitavit, cur cœnã tanto labore, & cura apparavit? cur occidit altilia? cur vicibus diversis misit suos famulos? cur jussit invitatos cogi & compelli? cur aliquibus se excusantibus, dixit famulo, *Exi cito in plateas & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos & claudos induc huc?* nunquid dixit per Isaiam c. 55. v. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate.* Pari modo de Deo, vocante omnes ad cœnam & nuptias agni, sive ad cœlestem gloriam discurrendum, si quantum ex se, aliquos, imo innumerabiles qui damnantur, absolute ut scholæ loquuntur, non vult salvari, quare creavit? quare pro illis voluit filium suum fieri hominem? quare pro

Digitized by Google

illis voluit illum mori? an non ipse Christus D. Joan. 7. v. 37. claris verbis dixit: *Si quis sitit, veniat ad me.* Particulæ illæ, *si quis*, neminē videntur excludere, nec cæcum, nec claudum, id est, etiam gravissimos peccatores, ad sanctissima sua invitat vulnera, ne pereāt. Sufficiat testimonium Ezechielis, per quem c. 28. v. 32. tam pathetice Deus protestatur *se nolle mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*, id est, ut æternum non pereat, sed æternum vivat beatus in cœlo. Verum enimvero si omnes vocantur, cur tam pauci ad cœnam magnam admittuntur? cur innumerabilis multitudo hominum æternum damnatur? Contingit quod contigit, cum Pater familias ad literam cœnam magnam instituit, quia aliqui dixerunt, se emisse villam, alii juga boum, alii deniq; absentiæ causam in suas nuptias conjecerunt, quocirca iratus Dominus: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Ob similes excusationes & causas plurimi hodie æternæ faciunt gloriæ jacturam.

§. 7. Quinam illi sint, qui propter villam perdūt cœlestem gloriam.

Quinam illi sint ex hodierno Evangelio fusè explicant Interpretes & SS. Patres. Indignatus fuit Paterfamilias isti, qui ad cœnam venire noluit propter emptam villam; æquius indignari possumus illis, qui ob villam, id est, suas divitias, vel caduca bona hujus mundi, negligunt cœnam cœlestis gloriæ. Res est digna admiratione! Qui nos invitat, est Deus! nos homunciones, nos vermiculi audire nolumus. Centum vel ducenti floreni cariores nobis sunt, quam conscientia, quam virtus, quam salus animæ, quam cœlestis gloria, quam Deus. Vocat nos Deus ad regiam cœli ædificatam ex auro, & omni lapide pretioso, præferimus huic palatio domunculam ex lapide, lignis, & luto. Promittit nobis divitias æternas; eligimus temporales. Beatitudo ad quam vocamur, durabit sine fine; sed malumus esse felices ad horam, licet sciamus nos deinde fore infelices in æternum. Vocat nos Christus ad cœlum, quod nobis aperuit clave suæ crucis, emit illud nobis, non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso suo sanguine, nihilominus respondent aliqui se non posse venire: at cur? ob villam, ob modicas divitias, ob nuptias, ob carnis delicias; si verbo non dicant, faciunt opere. Tam viscosæ sunt divitiæ, ita detinent animum affixum terræ, ut non sinant illum erigi ad cœlum.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum habemus in adolescente, qui Matth. 19. vers. 16. Christo Dom. utilissimam proposuit quæstionem: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Hæc prima & quotidiana nostra deberet esse cura, & sollicitudo. Respondit illi Christus: *Vade, & vende quæ habes, & da pauperibus.* Hoc audiens, retraxit humeros, & abiit à Christo, causam innuit vers. 22. *Erat enim habens multas possessiones.* Et subjunxit Christus terribile huic mundo paradoxum; *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit regnum cœlorum.* Nolite ridere divites, repeto axioma Concionis meæ ultimæ ante octiduum. Non narro fabulam, sed verba narro Veritatis æternæ ipso etiam confirmata juramento: *Amen, amen dico vobis*, qui ob villam se excusant, non erunt digni cœna cœlestis gloriæ. Qui villam ita amant, vel ut utar phrasi S. Pauli 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 9 *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli, desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & æternam damnationem.*

Verissime S. Chrysostom. hom. 14. in epist. ad Rom. *Ad præsentia inhiamus, nec diaboli astum intelligimus; qui per parva magis nos privat. Propter villam privat nos magna cœna cœlestis gloriæ. Qui largitur lutum, ut aurum rapiat, atque adeo ut cœlum eripiat; qui umbram objectat, ut à veritate deturbet, qui in somniis illudit, ut cum dies illuxerit, omnium pauperrimos ostendat.* Tum oculos aperiemus, & advertemus verissimas esse voces S. Bernardi; quibus ait, uti diabolum, mundum, carnem, & Christum Dominum. Diabolus inquit, *clamat, ego decipiam. Mundus clamat, ego deficiam. Caro clamat, ego inficiam. Christus clamat, ego reficiam. Venite ad me omnes.* Quod pater mendaciorum in hoc loquatur veritatem, quod decipiat, quod mundus deficiat, quod prætereat figura hujus mundi, quod villæ corruant, quod opes ingentes subito evanescant, quod caro inficiat, sive quod voluptates sint radix & origo gravissimorum, turpissimorumque scelerum; quotidiana docet experientia; nihilominus quot reperiuntur filii hominum, qui diaboli, mundi carnisque voces audire malunt, quam Christi: licet hic nos reficiat, licet nos pascat sua carne, & potet sanguine; licet in hoc mundo

§. 11. *Cleopatra sub rosis Antonio propinavit mortē. Idem facit diabolus.*

Digitized by Google

mille offerat delicias; & post hanc vitam, cœlestem offerat gloriam; frustra omnia, hæc excusatio habet locum, *villam duxi, non possum venire.* Cùm audimus vocem Christi, contemnenda esse hæc temporalia, humeros contrahimus, recedimus à Christo; sed vicissim locum habet terribilis Christi D. sententia: *Amen, amen dico vobis, quia nemo virorum istorum gustabit cœnam meam,* sed in exterioribus tenebris, ligatis manibus & pedibus inter infernales flāmas æternam patientur famem & sitim. Amor inordinatus alicujus villæ, vel divitiarum, merget illos in interitum & perditionem. Avaritia, ut ante octiduum dixi, sepeliet illos cum divite epulone in inferno.

§. 10. Amor inordinatus bestialium voluptatum excludit homines à cœna gloriæ & detrudit ad inferos.

Alter qui se excusavit, dixit, *Juga boum emi quinque, & vado probare illa.* Maluit hic miser videre suos boves, quàm ad regiam accumbere mensam. Scio S. Greg. Mag. in sensu morali per quinque juga boum intelligere quinq; hominis sensus, qui plerumq;, si malè illis utamur, gravi jugo variorum peccatorum nos premunt, ut potius terram, quàm cœlum aspiciamus. Hinc S. Bern. *Quid miser pro jugo boum distrahis animam tuam? qui jugū Christi suscipiens, emere poteras regnum Dei; mercari vitam; lucrifacere Christum?* Alii SS. PP. in communi, per juga boum, intelligunt quamvis bestialem voluptatem, quæ est peccatum mortale, & proinde à magna cœna cœlestis gloriæ nos excludit; & quod sequitur, causa est æternæ damnationis. Ita S. Basil. in exhort. ad baptiz. *Voluptas est veluti quidā hamus diaboli, ad perniciem nos trahens. Voluptas mater est peccati, peccatum autem stimulus mortis. Voluptas est nutrix æterni vermis; quæ ad tempus quidem demulcet fruentem, at postea felle amariores tribulationes facit.* Quod corporaliter expertum se fatetur Jonathas lib. 1. Reg. c. 14. v. 43. *Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.* hoc verissimum est, quoad animam, quæ in bestiali corpore premitur jugo voluptatis, & putat se gustare mel, cum bibit venenum & mortē. O quotus quisq; hodiedum est Jonathas! O quanta illorum tum virorum ac juvenum, tum mulierem & puellarum est copia, qui dum mellis quærunt dulcedinem, mortis inveniunt amaritudinem! *paululum gustavi mellis, & ecce morior!* sic suis imponit amatoribus voluptas mundana

Digitized by Google

mundana! Et tamen, heu dolor, incauti mortales in nostram ultrò ruimus perniciem, placet paululum gustare mellis, ex quo certam scimus mortem secuturam!

Decipit tales diabolus simili prorsus astu, quo infamis pellex Cleopatra decepit & perdidit Antonium, quem ante perditè amaverat. O juvenes! ô viri timete mulieres; serpẽtes sunt, aspides sunt, quæ plerumq; pungunt, dum blandiuntur. Sciebat Cleopatra, Antonium valde timere venenum; ut tamen in veneno mortem illi propinaret, aureum poculum sive scyphum ornavit & coronavit roseo serto, ut lætius biberet. Rosæ fuerunt veneno ante infectæ. Cùm Anton. vino incalescens se lætiorem ostenderet, dum calicẽ bibiturꝰ arripit, ait Cleopatra, *bibamus rosas & coronas*, coronamq; roseam vino injecit; bibit Antonius, cum vino & rosis venenum, cũ veneno mortem. Mulier Cleopatra, vinum, rosa, amor, verbo voluptas fuerunt causa mortis. Ob modicam voluptatẽ perdidit vitã. Non aliter nos decipit diabolus. Hinc Christus D. instituit cœnã magnam, hinc Cleopatra suum apparat convivium. Christi D. fercula sunt sanctissima caro ejus, sanguis, gratia, sanctitas, cœlestis gloria. Cleopatrę, diaboli fercula sunt fames, sitis, liquatum plumbum. Quis comparebit ad has epulas? eheu! ut tegatur venenum, Cleopatra, Babylonica meretrix, suum calicem ornat rosis; sub rosis tegit venenum. Ob modicam voluptatem æternam bibimus mortem! S Chrysost. hom. 71. ad popul. Antioch. *Per voluptates diabolus perdit innumeros, & gehennæ tradit.* Sæpè ob voluptatem modicam, & momento, quo non putamus. §. 11. *Cleopatra sub rosis Antonio propinavit mortem. Idem facit diabolus.*

Luctuosa est historia, quam lego, non à multis retrò annis cõtigisse; Nam cùm dæmon aliquis in obsesso hominis corpore effusissimè rideret, causam interrogatus, & adjuratus in nomine Jesu crucifixi, responsum ut daret, dixit, *an nõ riderem, cùm ingens sit jubilus in inferno inter gehennales spiritus. Hodie in tartarum detrusa est anima alicujus floridi adolescentis, cui vigilantissimus averni spiritus multis annis mille struxit insidias, sed frustra. Fuit adolescẽs bonus, pius, timens Deũ. Tandẽ à carne & voluptate victus, incidit in adulteriũ, quod primũ ejus fuit mortale peccatũ. In flagrãti crimine supervenit maritus, qui momẽto stricto pugione, & lethali vulnere, cõtaminatã animã detrusit ad inferos, ubi æternũ nobiscũ ardebit.* O judicia Dei! quid cogitatis §. 12. *Tragica historia de adolescente ob primum & unicum adulteriũ, damnato ad inferos.*

Audi-

Digitized by Google

Auditores? nunquid hoc est ob modicam voluptatem, ob brevissimi temporis delicias, æternam perdere beatitudinem, & æterna mercari tormenta! Unicum & primum peccatum mortale, infelicissimum adolescentem in æternum excludet à cœna cœlestis gloriæ: in tenebris exterioribus, ligatis manibus & pedibus, inter flammas, æternùm stridebit dentibus. Ante octiduum dixi, in nostro esse arbitrio, sequi Lazarum, vel divitem sepultum in inferno. Hodiernum Evangelium duplicem proponit cœnam, cœlestis gloriæ, & inferni, eligite, in nostro situm est arbitrio; vel ad hanc admitti possumus, vel ad illam; invitamur ad utramque, sed à dominis planè diversis. Admisso semel vel unico lethali scelere jam infernalibus illis epulis accumbimus; nec, nisi divinæ nos retrahat brachium clementiæ, ab illis consurgemus. O quantò quantò consultius est nunquam inferre pedem in domum convivii tam feralis atque horrendi!

§ 13. *Qui ob modicam voluptatem se excludunt à cœna magna, similes sunt Esau, & Iudas.*

Sed eheu! ô frustraneas concionatorum admonitiones! faciunt nihilominus plurimi, quod fecit reprobatus Esau. Ex inordinato appetitu erga lentes, fratri Jacobo vendidit primogenita ad pinguissimam hæreditatem. Idem faciunt, qui ob modicam voluptatem perdunt cœlum. Dudum terribilis in illos lata est sententia ab ipso Christo D. *Amen, amen dico vobis, quia nemo virorum istorum gustabit cœnam meam.* Merentur ut audiant querelas, quas David Ps. 105. v. 20. decantavit contra ingratos Judæos: *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua -- non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ - mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli, comedentis fœnum - pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Nauseavit anima illorum super cibo isto levissimo. Et ideò justo Dei judicio non intraverunt terram benedictionis. Non fuerunt digni, ut gustarent mel, oleum, uvas, & fructus benedictæ illius patriæ, quia magis desiderârunt ollas, carnes, & cæpas Ægypti. Filius prodigus tam fuit stolidus, ut reliquerit domum amantissimi Patris, verùm pro pane, quem comederunt mercenarii in domo illa, quid reperit foris? famem, & siliquas porcorum. Attendamus Auditores, ne simus tam cæci & stolidi, Christus D. nobis in hac vita, in magna cœna offert deli-


Digitized by Google

delicias regias, panem Angelorum, corpus & sanguinem suum, post hanc vitam invitat nos ad cœnam cœlestis gloriæ; diabolus, caro, mundus offerunt rosas, sed venenatas, post cœnam hujus vitæ, in agone & morte, epulas infernales! quæso attendite! eligite! eligite inquam, an Christi D. an diaboli velitis audire vocem? cujus placet invitatio? rogo per salutem animarum vestrarum, nemo se excuset propter juga boum.

Tertius denique dixit: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* Latior est hæc materia, quia tempus horæ abiisse videtur, unicam super hæc verba propono quæstionem celebris Concionatoris, an uxor viro alicui possit esse impedimento, quò minus veniat ad cœlum. Sive, an maritus alligatus uxori salvari possit. Scio S. Gregorium uxorem appellasse *grave onus & pondus.* Puto fuisse locutum de uxore mala, rixosa, tale pondus maritum aliquem facilè detrudere potest in infernum. Aliter discurrite de uxoribus bonis, tales promovent salutem viri. Scio D. Ambrosium in Ps. 118. dixisse, esse in hoc mundo varia vincula. *Vincula sunt desideria vivendi, vincula sunt oblectamenta voluptatum, vincula sunt honorum, sunt vincula conjugii:* ad quæ allusisse videtur S. Paulus 1 Cor. 7. v. 27. *Alligatus es uxori.* Timeo, ne frequenter uxores malæ sint catenæ ferreæ, quibus diabolus plurimos viros trahit ad infernum. Nescio, an proferre mihi liceat dictum quoddam S. Chrysostomi, quod ita habet: *Vastabat Iobum Dei inimicus,* (scilicet diabolus) *idem fecit - uxor Job, adjutorium diaboli.* En quo ac quali titulo malam mulierem sanctus condecoret Chrysostomus! verùm complures tales reperiri hâc in Urbe nostra Bambergensi, haud equidem mihi persuadeo: Quocirà ad finem concionis progredior, omnesque vos ac singulos Auditores meos quàm possum amantissimè rogo, ut perpensis cœnæ illius cœlestis, æternumque duraturæ deliciis, à blandis mundi carnisque illecebris abduci vos non patiamini, ut nec villæ emptio, nec juga boum, nec chara uxoris, vel si quid uxore charius, societas vos à vera certaque salutis æternæ semitâ removeretur.

§. 14. An uxor possit marito impedimento esse, ut non veniat ad cœlum.

CON-



CONCIO XXX.

DOMINICA II. POST SS. TRINITATEM.

Homo quidam fecit cœnam magnam,

Lucæ 14. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit Sanctissimam Eucharistiam, non esse tantum cibum & potum, sed salutarem medicinam animarum nostrarum, contra spirituales morbos, & mala præcipua humani generis, quæ ex primo peccato Adami ortum traxerunt. Confirmatur in fine, frequentem & devotam communionem esse insignem præparationem ad sanctam & beatam mortem.

§. 1. *Cur homo dicatur instituisse cœnam magnam.*

§. 2. *Ingressus in Concionem.*

§. 3. *Cur SS. Eucharistia dicatur mel, pomum & botrus.*

§. 4. *Cur massa ficorum.*

§. 5. *Cur comparetur rori, & pruinæ.*

§. 6. *Cur botrus & myrrha.*

§. 7. *Christus D. in SS. Eucharistia cibus & potus.*

§. 8. *SS. Eucharistia ob varias causas comparatur cum materno lacte.*

§. 9. *Quatuor eximii fructus SS. Eucharistiæ in communi.*

§. 10. *In particulari primò fugat dæmonem.*

§. 11. *Secundò temperat ardorem fomitis.*

§. 12. *Tertiò mundat animas nostras à maculis peccatorum.*

Cum

Digitized by Google

CUm in Evangeliis per annum Deus & Christus salvator noster, variis appelletur nominibus, quid est, quod dum nos invitat ad cœnam magnam, sive ad SS. Eucharistiam, vocetur *homo*? S. Chrysostom. in catena S. Thomæ, super hodiernum Evangelium hanc reddit rationem, *quia homo dictus est ab humanitate.* Ergo nomen homo significat liberalem & prodigum, ut sensus sit, alias quidem Christus D. vocatur *leo, agnus, petra, vitis, pastor* Leo dum punit impios, agnus dum tollit peccata mundi, vitis dum fructiferos profert palmites; pastor dum pascit oviculas, ast dum Eucharistiam instituit, appellatus est homo, quia multam vim divinæ miserationis ostendit. S. Chrysostom. *Quoties enim punitivam suam Virtutem indicare vult DEUS, Ursa, pardus, leo, & hujusmodi nuncupatur, quando vero misericordiam exprimere vult* (quod fecit in institutione magnæ cœnæ) *dicitur homo.* Hoc idem observavit S. Hieronymus in cat. sancti Thomæ, in versum 2. capitis 22. S. Matthæi, *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Nimirum dum ad convivium vocat, dum illud parat, dum Eucharistiam instituit, dicitur homo rex. Rex quidem ad ostendendam magnitudinem doni, rex potentissimus, liberalissimus, ditissimus: homo vero dicitur, ut ostendatur ejus in homines humanitas & liberalitas: at vero cum invitatos, sed renuentes venire afficit supplicio; solius regiæ appellationis fit mentio, ut ostendatur magnitudo supplicii quod illaturus est; siletur vox hominis, quia nulla miseratione aut humanitate tangetur, ut aliquid de supplicio remittat. Sanctus Hieronymus. *Quando invitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est, nunc autem, quando ad ultionem venit, homo siletur, & Rex dicitur tantum.* Verba hominis fuerunt in hodierno Evangelio; ite famuli, vocate convivas ad meam cœnam; exite in plateas, & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cœcos, & claudos introducite huc; exite in vias & sæpes, & compellite intrare, ut impleatur domus mea. An non verba hæc spirant quandam benevolentiam humanissimi

§. 1. Cur homo dicatur instituens cœnam magnam.

Digitized by Google

hominis, erga omnis generis invitatos convivas. Tandem verò hic homo, ad justam commotus indignationem, cœpit loqui ut rex, dum dixit, *dico vobis, quod nemo virorum istorum, gustabit cœnam meam.* S. Gregorius. *Valde tremenda est sententia! nemo ergo contemnat, ne dum vocatus excusat, cum voluntatem habuerit, intrare non valeat.* Sed de his alias. Hac concione suppono Christum D. ex infinita liberalitate præparasse cœnam magnam, sive instituisse SS. Eucharistiam. Proponam hac concione aliquas causas, ob quas hoc fecit, sive communicabo vobis aliquos pios discursus de effectibus SS. Eucharistiæ, quos hac septimana cum solatio legi in sanctis Patribus.

§. 2. *Ingressus in Concionem.* In explicatione hodierni Evangelii locum habet versus 1. cap. 23. Proverbiorum. *Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam.* S. Augustinus tractat. 84. in Joann. hunc versum sic legit; *si sederis cœnare ad mensam potentis, considerans intellige, quæ apponuntur tibi, & sic mitte manum tuam.* Tum Sanctus Augustinus proponit hanc quæstionem. Sed *quæ mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus & sanguis ejus, qui animam suam ponit pro nobis.* Item quærit. *Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere. Et quid est, considerare, & intelligere quæ apponuntur tibi, nisi tantam gratiam digne cogitare?* Festo Corporis Christi, in concione (quam non dixi sed scripsi:) Dominica præterita infra octavam Corporis Christi jam varias, pias & affectuosas cogitationes de venerabili Eucharistia vobis proposui, reperi adhuc plures, ut consideremus & intelligamus, qualem cibum & potum in cœna magna Eucharistic , liberalissimus Rex Christus Jesus nobis proponat.

§. 3. *Cur SS. Eucharistia dicatur, mel pom & botrus.* S. Thomas opusc. 58. observavit cibum & potum magnæ cœnæ Eucharisticæ vocari subinde mel. Cantic. quarto vers. 11. *Mel & lac sub lingua ejus*: alias pomum, Cantic. 2. vers. 3. *Sicut malus inter ligna sylvarum; sic amicus meus inter filios.* Quandoque uvam. Cantic. 1. vers. 12. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Scilicet ob triplicem utilitatem

litatem, quam ex mente S. Thomæ percipimus ex Eucharistia. *Pomum* vocatur, quia cibus est i *mel*, quia cibus est dulcissimus; *vinum*, quia salutaris est cibus. Hunc triplicem effectum Christus D. opposuit triplici malo, quod incurrimus per peccatum Adami; tenebras ignorantiæ in anima, morbos in corpore, mortem tam animæ, quam corporis. Sic ait S. Thomas. *Sciens quod serpens malignus infudit homini per venenum cibi vetiti triplicem corruptionem; in scientia scilicet tenebras ignorantiæ, in corpore morbum pravæ concupiscentiæ, & mortem utrobique: contra hoc institutum est corpus Christi; medicamentum tenebras ignorantiæ illustrans; morbum concupiscentiæ sanans, & mortem nostram mortificans. Propter hæc tria potest comparari triplici cibo dulci & medicinali. Malo propter primum; melli propter secundum, fructui uvæ propter tertium.*

Lib. 4. Reg. cap. 20. vers. 7. dixit Isaias; *afferte massam ficorum, quam cum attulissent, & posuissent super ulcus ejus, curatus est.* Per ulcus Regis Ezechiæ intelligitur prava concupiscentia, & alia scelera, verbi gratia, luxuria, superbia, massa ficorum, sive, dulcissimus potus & cibus est Eucharistia, quæ hæc vulnera sanat. D. Thomas. *Massa fici est Corpus Christi, continens dulcedinem multorum bonorum ad medicinam malorum desideriorum.* §. 4. *Cur massa ficorum.*

Exodi 16. vers. 13. *mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum*, hoc est; manna de cœlo decidit in similitudinem roris, qui terram à Solis ardoribus mitigat, & refrigerat; non aliter nostra corpora, quæ ex insito fomite ardent ad libidinem, temperantur & refrigerantur ex usu Eucharistiæ. Idem habemus Daniel. 3. vers. 49. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria & sociis ejus in fornacem, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Quis fuit iste Angelus, qui tantas flammas rore veluti extinxit? addit Daniel, *& species quarti similis filii hominis* Hoc est, cum Christus Dominus in Eucharistia ingreditur corda nostra; licet ardeant flammis concupiscentiæ, nihilominus rore san- §. 5. *Cur comparetur rori & pruinæ.*

 guinis

Digitized by Google

guinis Christi temperantur, & extinguuntur. D. Thomas opusculo 84. *Mane ros jacuit in similitudinem pruinæ super terram. Panis igitur cœlestis in similitudinem pruinæ rorisque apparebat, quia corpus Domini à fervore pravæ concupiscentiæ refrigerat.*

§. 9. *Cur botrus & myrrha.* Iterum sponsa in Cantic. cap. 1. vers. 12. conjungit hæc duo: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi* & -- *botrus cypri dilectus meus.* Quid uvæ cum myrrha? quid uva & vino dulcius? quid myrrha amarius? S. Thomas opusculo 58. advertit sponsam non tantum voluisse insinuare suavitates & dulcedines cœnæ Eucharisticæ, sive Corporis & sanguinis Domini; sed docet nos, eundem cibum & potum, esse salutiferam myrrham, quæ tuetur corpora à putredine, sanie & corruptione libidinis, aliorumque scelerum S. Thom *Sicut myrrha incorrupta servat corpora, sic Corpus Domini pie sumptum corda.*

§. 7. *Christus D. in SS. Eucharistia cibus & potus.* Modum, quo hac myrrha uti debemus, meo judicio pulchre nobis præscripsit Clemens Alexandrinus 1. Pædagog cap. 6. *O admirabile mysterium! veterem & carnalem nos jubet exuere corruptionem; ut novos effectus participemus -- nimirum recipiendo in nobis ipsis Christum, & Servatorem intra pectus comprehendendo, ut carnis nostræ affectiones, integras perfectasque reddamus.* Dum Christum Dominum in Eucharistia accipimus; panis nobis est, mel est, pomum est, uva est. Et quia simul potus est, & quidem myrrha conditus; bene dixit sanctus Ambrosius in Psalm. 1. *Bibe Christum, quia vitis est; bibe Christum, quia petra est, quæ fundit aquas; bibe Christum, quia fons est; bibe Christum, quia flumen est, cujus impetus lætificat civitatem DEI; bibe Christum, quia flumina de ventre ejus fluunt aquæ vivæ; bibe Christum, ut bibas sanguinem, quo redempti sumus.* Addo ego, bibe, ut bibas sanguinem, qui est myrrha sanans vulnera nostra.

§. 8. *SS. Eucharistia* Itaque cœna magna Eucharistica, non tantum nos pascit, non tantum potat, sed idem cibus & potus medicina est. Ob hunc tri-

Digitized by Google

triplicem effectum SS. Eucharistiæ, Clemens Alexander. l. 1. pædag. c. 6. illam comparat cum materno lacte. *Inprimis*, ait; *sanguis verbi ostensus est* (sive datur nobis in cœna magna) *tanquam lac*. 2. ait: *Nutrimentum, quo à matribus aluntur parvuli, est lac. Altor noster, quoad animam, & ejus vitam internam, Christus D. effundit pro nobis sanguinem suum, salutem humanæ naturæ afferens, per quem simul in Eucharistia ad mamillam Patris ad verbum confugimus* 3. Insinuat naturam, sanguinem matris in uberibus convertere in lac, pro nutrimento parvuli, (*ibi sanguis efflorescit instar lilii*, ait Clemens.) *ut infans sit absque metu. Lac est flos sanguinis & flos nutrimenti, Eucharistia flos omnium miraculorum, flos omnium divinorum attributorum, flos omnium gratiarū.* Ait 4. *Nihil certè, quod melius nutriat, neq; quod sit dulcius, nec candidius lacte, inveneris. Nihil quoq; dulcius Eucharistiâ, nihil quod illâ melius nutriat*. 5. Observavit aliquid peculiare. *Ubera antea recta, plena lacte fœminæ, jam matris, ad puellum inclinantur, ut quod à natura elaboratum est alimentum, facilè exhibeat ad capiendum, ad salutis educationem.* Quid suavius de Christo Domino dici potest, dum ait, *Accipite, comedite, bibite*; nunquid inclinat ubera suæ liberalitatis, ut bibamus sanguinem ejus; sive lac omnis dulcedinis. 6. *Postquam infans in lucem editus est, sanguine, sive lacte alitur.* Hoc est, postquam Christus D. suo sanguine in cruce nos redemit, eodem in cœna magna nos nutrit. 7. Per lac mulier ostendit se esse matrē, & cum materno lacte, parvulo offert *benevolentiæ amatorium*; adverte quā dulci nomine appelletur lac matris, benevolentiæ amatoriū. Alluditur ad illos, qui aliis subinde miscent pocula amatoria, ut cogantur amare, & ament. Hoc intendit natura, ut matres ament parvulos, & parvuli ament matres, voluit illos pasci lacte matris. Attendite finem, ob quem Christus D. nos pascat suâ carne & sanguine. In cœna magna Eucharistiæ offert amatorium benevolentiæ & mutui amoris. Hic cibus, hic sanguis nil aliud sunt quàm *incitamenta amoris* (Clemens Alexander.) 8. Mater parvulum lactat, & lactatur parvulus cum incredibili quadam suavitate & dulcedine; pari ratione, respectu Christi D. & nostri, nihil est dulcius Eucharistiâ. 9. Sive deniq; lac matris, parvulis

ob varias causas comparatur cū materno lacte.

vulis quoque est medicina,& præmisso hoc discursu, sive comparatione lactis cum Eucharistia,id clarius ostendo.

§. 9. Quatuor eximii fructus SS. Eucharistiæ in cõmuni.

Opusc.58. c.21. sæpius citatus S. Thomas quatuor enumerat bona,quæ Eucharistia nobis affert,quibus pelluntur quatuor mala,per peccatum nobis illata. Quatuor, ait, mala nostra, languores sunt,quasi vincula culpæ,quibus astringuntur animæ: scilicet dæmonis tentatio,fomitis repugnatio,cordis macula, & Creatoris offensa. Contra hæc valet corpus Salvatoris,sive contra hæc quatuor mala ordinantur quatuor Dominici Corporis fructus primi, qui nos liberant ab istis malis,dæmonem fugat, fomitem refrigerat,maculam cordis mundat,& iram Dei placat.

§. 10. In particulari 1 fugat dæmonem.

In particulari S.Thomas singula probat. 1. fugat dæmonem, & probat ex v.7. cap.6. Tobiæ. *Tunc interrogavit Tobias Angelum,& dixit ei: obsecro te Azaria frater,ut dicas mihi,quod remedium habebunt ista,quæ de pisce servari jussisti? & respondens Angelus dixit, cordis ejus particulam,si super carbones ponas,fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum,sive à viro,sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.* Et hoc contigit;licet dæmonium occidisset septem viros Saræ,tamen postquam desponsata fuit Tobiæ, nullum huic damnum illatum est. Jam audite verba S.Thomæ, particula cordis significat Corpus de Virgine sumptum, Corpus! quod in Incarnatione assumpsit Filius Dei. Corpus! natum in stabulo. Corpus crucifixum,corpus & caro,quam manducamus in Eucharistia,si hoc ponatur super carbones;hoc est,si accedamus ad hanc mensam vel cœnam,incensi igne amoris, tunc fumus fugat omnes tentationes dæmonum. Advertite,an non omnes habeamus causas,ut accedamus ad hanc cœnam;ut manducemus corpus Christi,ut bibamus ejus sanguinem.

§. 11. 2. Temperat ardorem fomitis.

Deinde; SS.Eucharistia refrigerat,vel temperat illum ardorem,quem à peccato primorum parentum traximus, & quo ad vitia accendimur. Timeo plerosque illum experiri. O incendia vel busta animarum,nisi Christus D. nobis reliquisset SS. Eucharistiam. David Ps.67. v.15. facit mentionem montis Selmon dealbati nivibus. Per Oseam c.14. v.16. dixit Deus. *Ero quasi ros*,id est,in Eucharistia instar roris temperabo ardorem vitio-

Digitized by Google

tiorum quid deinde? *Israel germinabit sicut lilium*, quæ verba ita componit & explicat S. Thomas: *Mons Selmon interpretatur umbra. Christus autem est umbra nostri refrigerii; de ejus corpore manat umbra gratiæ* (eja animæ piæ, est hodie Dominica Congregationis agoniæ, in SS. Crucifixi vulneribus; præsertim in menstruis Communionibus quærite hanc umbram) *hac umbra nobis defensaculum est, contra incentiva vitiorum, & carnalem concupiscentiam.* Unde Archangelus dixit Virgini: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est, umbram faciet vel causabit. Umbra enim fit de corpore & lumine. Lumen est verbum Dei (sive Divinitas) corpus, caro Christi, accessit lumen corpori, id est, Verbum carni; Verbum enim caro factum est; dum verò hodie fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit, quasi de umbra gratiæ, quæ de ipso fluit cum pretiosissimo sanguine, qui instar roris, aut nivis de candidissimo illo monte, flammas concupiscentiæ mitigat, & paulatim quasi planè extinguit. Explicabo hunc discursum clarè. Qui frequenter & piè communicant, in omni statu, non sunt libidinosi; sunt lilia; econtra, qui rarius cœnam hanc Eucharisticam accedunt, in omne vitiorum genus facilè incidunt; habes locum pro acri & utili invectiva.

Tertium malum peccati, quod recensuit D. Thomas, connexionem habet cum quarto, *Cordis macula & Creatoris offensa.* Loquitur Angelicus Doctor præsertim de venialibus peccatis, & supposita relatione, cujus ante octiduum feci mentionem, ex cap. 6. Isaiæ, v. 6. quod Seraphin aliquis ignito calculo, sumpto de altari tetigerit labia ejus, & illo ablata fuerit omnis iniquitas, & peccatorum maculæ fuerint mundatæ, ait; *Lapis iste præcisus, sumptus de altari significat corpus Christi, & dum eo os cordis tangitur, peccatum veniale mundatur*: ut benè dixerit S. Gregor. Dominus dedit nobis Sacramentum salutis, ut qui quotidie peccamus, & ille jam mori pro peccato non potest, per hoc remissionem consequamur (ecce affectuosum locum) quomodo Christi sanguine semel effuso in cruce, quotidie in Eucharistia nos mundare possimus. Nunquid advertitis causas, quas habemus, ut frequenter ad mensam Eucharisticam accedamus? Hanc observavit S. Ambros. in Ps. 47.

§. 12. *3. Mundat animas nostras à maculis peccatorum.*

ver-

versum 3. *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion-civitas Regis magni. Ubi ait, divina in nos Patris æterni dona laudantur, qui dedit nobis exultationem, bona radice fundatam, Deum videlicet Jesum, veram & fœcundissimam vitem, de qua Sacramenta fluxere cœlestia, in quibus est perpetua, & divina lætitia, quod his destruatur omne peccatum, & conscientia interna mundetur.* Ecce salutiferam myrrham!

§. 13. *Frequens Communio est optima præparatio ad sanctam mortem. Sanguis Christi fugat dæmones.*

Hactenus dicta, & hodierna Dominica Congregationis Agoniæ occasionem mihi præbent, ut laudem illos Sodales, qui solliciti sunt, ut per frequentem Communionem se præparent ad sanctam mortem. Ex circumstantiis, quæ mortem reddunt terribilem, una ex præcipuis est, assultus & tentationes dæmonum: circa ceremonias Agni Paschalis, quem Hebræi primâ vice comederunt, cum expresso mandato, ut ejus sanguine aspergerentur postes & portæ ædium, quo viso transivit illos Angelus percutiens, neque fuit plaga disperdens, quando percussit Ægyptum. Ita ait S. Macarius hom 47. *Mactari decet agnum, & immolari, ejusq; sanguine fores inungi; Christus enim verus, bonus, & immaculatus agnus mactatus est, cujus sanguine-unguntur limina cordis, & sanguis Christi effusus in cruce, animæ cedit in vitam & redemptionem,* (imò in cibum & potum) *dæmonibus autem Ægyptiacis in luctum & mortem.* Hom. 4. dixerat: *Datur nobis agnus iste ad epulum; datur sanguis ejus ad potum, mandatur, præterea-extrinsecus, liminaribus & postibus domorum nostrarum sanguis ipse apponi in signum-ut caro & spiritus habeant secura præsidia, & cùm cibus potusq; divinus animam introrsus aluerit & vegetaverit,-ut præterea abigat virtutes contrarias. Ut viso sanguine Christi Eucharistico fugere cogantur.* Frequens communio est optima præparatio ad sanctam mortem. Addo adhuc ultima verba citati S. Macarii: *Re enim verâ* (in agone) *sanguis Agni immaculati luctus est illis, gladium autem, & exultatio animæ-* dum scilicet ex hoc corpore in æternitatem migrare cogitur.


§. 14. *Oratio, memoria & SS. Eucha-*

Act. 1. v. 13. postquam Christus D. in monte Oliveti coram B. V. Apostolis & discipulis ascendisset ad cœlos, tunc reversi sunt Jerosolymam à monte, qui vocatur Oliveti, & cùm ascendissent

in

in cœnaculum, Petrus & Joannes, omnes perseverantes unanimiter permanserunt in oratione, cum Maria Matre Jesu. Quærit P. Pina, cur congregatio illa facta fuerit, in cœnaculo, in quo ante Pascha Christus D. instituerat SS. Eucharistiam, & duplex ejus responsio mihi valde placet. 1. Apostoli ob abitum sui Magistri, fuerunt tristissimi, pro aliquo solatio, & magno, cœnaculum ingressi sunt, ut memoria SS. Eucharistiæ ibi institutæ se solarentur. 2. Antequam Spiritus S. super illos in Pentecoste descendit, fuerunt valde timidi, metuebant enim ne à Judæis interficerentur; sed in illo loco putaverunt se fore tutos. S. Chrysostom. hom 3. in Acta. *Fuerunt unanimiter perseverantes in deprecatione, & obsecratione - pulchre! magna siquidem armatura in tentationibus deprecatio; & hoc abunde didicerant prius à suo Magistro - atque hac gratia conscenderunt etiam cænaculum* (in quo scilicet Christus D. instituerat SS. Eucharistiam) *vehementer enim metuebant Judæos.* Eja Sodales! metuitis, ne forte in supremo agone aliquando dæmon horrendum nos tentet, hoc agamus, saltem singulis mensibus semel unanimiter & devote oremus Rosarium SS. Vulnerum, & hoc in templo coram SS. Eucharistia: ecce arma: orationem & communionem. Addit S. Lucas, *cum Maria Matre Jesu*, hæc enim est fortis protectrix morientium, fiat pulcher Epilogus cum conglobata repetitione totius Concionis.

Tristitia, Amor & cultus B. Virginis, tres optimæ ad eandem dispositiones



CONCIO XXXI.

DOMINICA III. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam,

Lucæ 15. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus D. apicula. Ejus stimulus, passio, mel, sacrosancta Eucharistia. Quantum illa donum, quanta excellentia! quanta Judæ, & obstinatorum peccatorum ingratitudo.

§. 1. *Christus D. Aquila.*
§. 2. *Mel Eucharisticum: quantæ ejus deliciæ.*
§. 3. *Quo tempore instituerit SS. Eucharistiam, in qua omne bonum.*
§. 4. *Est donum ineffabile.*
§. 5. *Superat donum Creationis.*
§. 6. *Et donum Incarnationis.*
§. 7. *Et redemptionis.*
§. 8. *In melle Eucharistico omnia*
§. 9. *Summa, & compendium omnium mirabilium.*
§. 10. *In SS. Eucharistia Cælum & Paradisus.*
§. 11. *Christus D. iturus in mortem, ostendit se liberalissimum.*
§. 12. *Emblema liberalitatis applicatur Christo D. instituenti Eucharistiam.*
§. 13. *Mensa Alexandri Magni.*
§. 14. *Augetur immensum liberalitas.*

Digitized by Google

ralitas Christi, quod tantum donum offerat Iudæ, & obstinatis peccatoribus.

§. 15. *Obstinatio Iudæ à Christo D. expugnari non potuit.*

§. 16. *Epilogus.*

MEmores vos esse puto illorum, quæ binis Concionibus vobis communicavi de SS. Eucharistia. Ad fundum suavissimæ materiæ pervenire non potui, spero oviculis Christi D. non fore ingratum, si hac quoq; concione, illas satiem melle. Neq; enim providentiam, industriam, & peculiares operationes Naturæ admiror, quoties contemplor apiculam. Animal parvum, quod quam primum hyenis transiit, imber abiit, quamprimum appropinquante vere flores apparent, mane surgit cum aurora, avolat per auras, & volando vagatur per hortos, prata, campos; visitans flosculos, ex quibus veluti uberibus dum desideratum suxit succum, illo onerata sub pectore, redit ad alveare, depositoque reperto thesauro, evolat rursum, tota die, dũ sol occumbat solicita & laboriosa apicula; ad hoc, à Deo rerũ omniũ conditore creata, ut licet acuto armata sit spiculo, nihilominus dulcissimum conficiat mel. Liceat mihi hoc vespere cũ S. Augustino apiculam vocare Christum Salvatorem nostrum. Virginalis apicula; filius Intemeratæ Virginis. Apicula! in laboribus à juventute! apicula in patratione operum mirabilium quæ fecit! Apicula! hoc vespere, dum angustiatur inter aculeos tristissimæ agoniæ. Apicula roseo succo sui sanguinis rigans flosculos horti Oliveti. Apicula suavissima, dum inter illas angustias dulcissimum confecit mel sacro sanctæ Eucharistiæ, dum panem convertit in Corpus, & Vinum in sanguinem, ut illud corpus sit cibus noster, & sanguis ejus potus. §. 1. *Christus D. apicula.*

O Apiculam! relinquamus in crastinum aculeum passionis & mortis, gustemus mel, quod in institutione sacro sanctæ Eucharistiæ nobis reliquit. Quale mel? mel, *in quo* (teste Novarino) *dum ipse opprobriis saturatur, dum anima ejus* tristatur usque ad mortem; *nobis cœlestium deliciarum panem paravit.* Præ angustia ipse sanguinem sudat, nos cum deliciis illo reficimur & potamur in Sanctissimo Sacramento. §. 2. *Mel Eucharisticũ. Quantæ ejus deliciæ.*

§. 3. *Quo tempore insti tuerit SS. Eucharistiam, in qua omne bonum.*

Dum perfidus Judas colligit milites, parat arma, vincula & catenas, contrahit cum Pontificibus, ut Jesum tradat; *bonus Iesus,* (S. Chrysostom.) *in qua nocte tradebatur, in medio offensarum, mellea nobis paravit beneficia*, cœnantibus enim illis, *accepit Iesus panem, fregit & dixit, accipite & manducate, hoc est enim Corpus meum.* Ipse aculeis pungitur, nobis dulcissima apicula relinquit mel. Quo cibo, vel ut loquar cum S. Thoma Aquinate, *quo convivio quid pretiosius esse potest?* in quo non tantum Corpus, non tantum sanguis Christi D. sed sanctissima ejus anima, & ipse DEUS, qui est omne bonum, qui est infinita dulcedo, est cibus noster. S. Ephrem Syrus. *Hoc profectò excedit omnem sermonem, & omnem admirationem. Quid enim bonum ejus est, quod in novissimis dierum, ut in finem, cum dilexisset suos, nobis reliquit, nisi frumentum electorum* (ait Zacharias cap. 9. vers. 17.) *& Vinum germinans Virgines*, id est, ex mente Riberæ, *si quid boni DEUS habet, hoc profectò est, quod iis dat, & cum plurimum habet boni, imo in eo sit omne bonum, nihil habet melius, aut pretiosius eo, quod nobis hoc Vespere dedit in sacro sancta Eucharistia.*

§. 4. *Est donum ineffabile.*

Dum Psal. 67. vers. 11. Regius Propheta admiratur providentiam Dei circa manna, quo pavit populum in eremo, exclamat, *parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Sed fare Rex sancte: Quid paravit? quales dedit cibos? quid est hoc? quid est hoc? quod DEUS præparavit pauperi? si loqueris de manna, si intentio tua est per illud magnificare & exaltare DEI omnipotentiam, providentiam, aliaque attributa, loquere clare, & dic: *Parasti* DEUS pauperi manna. Eleganter advertêre Interpretes, Prophetam in illo Psalmo ad literam quidem locutum fuisse de manna, sed mysticè & in spiritu de futura institutione sacræ sanctæ Eucharistiæ, quæ contigit hoc vespere, & ideo non addidit, quid dulcissima illa apicula, vel qualem succum, qualem cibum, quale mel paraverit pauperi *quia omnino inexplicabile est.* Regius Psaltes putavit se umbram Sacramenti, scilicet manna, ejusque dulcedinem, non posse verbis satis explicare, quomodo nos exponemus rē ipsam? Certe *si quis de illo audacter aliquid loquitur*

Digitized by Google

loquitur, nondum intelligit, quemadmodum eum oporteat loqui, quia omninò inexplicabile est. Fecit Deus hoc grande convivium, dulcis apicula nobis reliquit hoc mel, melleam suam carnem, melleum sanguinem, mellea vulnera, ut ostenderet divitias gloriæ suæ, ac magnitudinem potentiæ suæ. Sed (Ps. 105. ℣. 2.) *Quis loquitur potentias Domini?*

Tria grandia opera fecit potentia Dei pro bono hominis. Creavit cœlum, solem, lunam, (est locus pro pulchra descriptione) ut ostenderet magnificentiam potentiæ suæ Sed certum est, Dei omnipotentiam his operibus non fuisse exhaustam, ut ita loquar. Potuit creare mundum majorem, solem pulchriorem, potuit & potest creare mundos plures, *manus Domini non est abbreviata*, dicit Isaias c. 59. ℣. 1. SS. verò Eucharistia, ex mente SS. Patrum, tantum est donum, tantum opus, ut majus divina Omnipotentia facere non possit. Teste Psalte Ps. 28. ℣. 4. *Vox Domini in magnificentia*, & Ps. 110 ℣. 3. *Confessio & magnificentia opus ejus.* Sancte Propheta! de qua voce loqueris? quænam illa vox, quâ Deus summam suam magnificentiam declaravit? an illa? quâ dixit, *fiat lux, & facta est lux*! (habes locum pro pulchris interrogationibus ex cap. 1. Genes.) potens certè fuit illa vocula: *fiat*, sed longè potentior, & magnificentior, & admirabilior, quando dixit (Didacus Stella in Lucam) *Hoc est Corpus meum, & ip.e se ipsum in escam dedit timentibus se.* Non loquitur de voce, quâ Deus dixit in principio, *fiat lux*; nec quâ dixit, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sed quâ dixit discipulis suis, *Hoc est corpus meum. Hoc opus enim adeo magnum est, ut quod datur Deus est.* O admirabilem! ô beneficam apiculam! quæ in melle Deum nobis offert in cibum & potum! Hoc opus adeò est magnum, ut quod datur Deus sit.

§. 5. *Superat donum creationis.*

Secundò opus potentiæ & magnificentiæ fuit Incarnatio Verbi, quæ contigit in Virginali utero, cùm ad voculam *Fiat*, à Virgine prolatam: *Verbum Caro factum est.* Sanctus Gregorius M. hom. 33. in Evangel. *Tunc DEUS Pater, DEO Filio suo quasi nuptias fecit, quando eum in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, & Deum ante sæcula fieri voluit hominem in fine sæculorum.*

§. 6. *Et donum Incarnationis.*

culorum. D.Thom. *Unigenitus siquidem Dei Filius suæ divinitatis nos volens esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines Deos faceret, factus homo.* In hoc tamen fuit quasi abbreviata manus Dei, quod ob conjunctionem naturæ divinæ cum humana non quivis homo sit factus Deus, sed sola illius humanitas, cui verbum fuit hypostaticè unitum. In institutione verò SS. Eucharistiæ *Christus D. perquam maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ,* inquit D. Petrus Dam. ep. 2. Quænam verò sunt illa permagna & pretiosa? respondet D. Cyrillus, *est Sanctissima Eucharistia, nam in specie panis dat nobis corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem, ut cum sumpseris factus sis ejusdem corporis & sanguinis particeps. Sic enim efficimur Christiferi,* & secundùm B. Petrum *divinæ naturæ consortes reddimur.* Quis loquetur potentias Domini?

§. 7. *Et redemptionis.* 3. Brachium suæ omnipotentiæ, & divitias liberalitatis adhuc magis magnificavit, quando in fine vitæ, in monte Calvariæ pro redemptione humani generis æterno Patri obtulit cruentum sacrificium crucis; sed factum hoc est semel, in sanctissima Eucharistia, modo incruento idem corpus, & idem sanguis immolatur quotidie. *Quale donum? in quo* (S. Basil. or. 2.) *divinæ bonitatis imber, delatus posterioribus donis obscurat priora; quippe transcendit omnem plenitudinem largitatis.* S. Bernardinus t. 2. ser. 14. art. 1. c. 2. *Quasi non sufficeret amoroso Jesu, ad inebriati amoris sui ostensionem, quod semel sacrum suum sanguinem realiter effudit in ligno, nisi in nobis quotidie effundat in Sacramento.*

§. 8. *In melle Eucharistico, omnia.* Dum apud discipulos Christus D. loquitur de Eucharistia, ait, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & misit servum suum horâ cœnæ, dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.* S. Matth c. 22. v. 2. ait. *Ecce prandium meum paravi; tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata.* Sed quærit S. Cyrillus, *Quomodo omnia dicit: si tantum unum ferculum corporis Domini exhibetur?* quid est hoc? Cur corpus Christi? cur ejus sanguinem, dicit omnia? Dictum bene; cùm enim Christus D. sit Deus, qui in se continet divinitatem, *non ait, parati sunt cibi, paratæ sunt epulæ; sed parata sunt omnia; nimirum quia Deus nobis exhibetur in*

hac

Digitized by Google

hac cœna, is qui est omnia. Ob quam eandem causam ait S. August. tract. 84. in Joan. *Dicere audeo, quod Deus cùm sit omnipotens, plus dare non potuit: cum sit sapientissimus, plus dare nescivit: cum sit ditissimus, plus dare non habuit.* O liberalem apiculam! ô profusam benignissimi Jesu liberalitatem, dum in dulcissimo melle, corporis & sanguinis ejus, nobis offert omnia.

Non sine mysterio dicitur, quod Christus D. dum panem & vinum accepit in manus suas, antequam proferret verba consecrationis, elevatis oculis in cœlum ad Patrem Omnipotentem gratias egerit. *Quoniam hoc mysterium* (Carthagena t. 2. l. 9. hom. 3.) *summa quædam est, & compendium omnium mirabilium, & difficilium, quæ sola Dei potentia facere poterat, ac propterea illius quasi indigus, tantum ad Deum Omnipotentem oculos levasse dicitur. O larga! ô prodiga charitas!* exclamat Urb. 4. *ubi donator venit in donum, & datum idem penitus est cum datore.* Quod prævidens David Psalm. 22. ita fuit exorsus: *Dominus regit me*, alii, *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* O pretiosum mel! in cujus præsentia nullus conceditur locus tristitiæ. Dummodo *sicut modo geniti infantes* (1. Petr. c. 2. v. 2.) *rationabiles, sine dolo lac illud concupiscatis, ut in eo crescatis in salutem: si tamen gustatis, quia dulcis est Dominus.* Certè ipse Salvator, dum cum discipulis in cœna discumberet, claris verbis dixit Lucæ 22. v. 15. *desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, id est, *desiderio toto me optavi; summo desiderio concupivi; intensè, ferventer, vehementer, ardentissimè affectavi, hoc pascha vobiscum manducare. Et indignum fuisset*, (Tertullian. contra Marcion. l. 4.) *ut quid aliud concupisceret.* §. 9. *Summa & compendium omnium mirabilium*

S. Ambrosius, dum considerat verba illa Christi D. Joan. 6. v. 59. *Hic est panis, qui de cœlo descendit:* acutè quærit, *carnem in terris assumpsit Christus ex Virgine, quomodo ergo panis descendit de cœlo & panis vivus?* Veritas Catholica est, quod Verbum caro sit factum in terris in Virginis utero; quo ergo sensu ille panis, vel illud Corpus Christi in Eucharistia, dicitur descendisse de cœlo? vel quare Eucharistia vocatur panis cœlestis? panis vivus? panis vitæ? panis Angelorum? vel quare dixit David Psalm. 104. v. 4. §. 10. *In SS. Eucharistia Cœlum & Paradisus.*

pane

Digitized by Google

pane cœli saturavit eos? Quæstioni huic respondit Rabbi Ramban qui pro citatis verbis legit, *Projecit de cœlis in terram pulchritudinē Israel; significare volens*, addit Galatinus, *quod Deus descendere fecit de cœlis pulchritudinem in terram*, id est, *Messiam verum Dei Filium, qui cœlestis panis futurus erat, sicut ipse dixit: Ego sum panis vivus; qui de cœlo descendit*. Et consequenter, *qui manducat hanc carnem, & bibit hunc sanguinem, habet vitā æternā; quia habet ipsum*, ait Dion. Carth. *& habet vitam gratiæ, quæ virtute hujus sacramenti continuatur, donec ad vitam gloriæ sempiternam pertingat.* O mel dulcissimum! ô divinum potum! quo quasi bibimus paradisum in terris, & gloriam æternam in cœlis. Quid enim est Paradisus nisi satietas gaudii sine nausea & fastidio? quid est paradisus in terris, nisi perfectissima unio charitatis inter Christum ac hominē? quid paradisus, nisi cumulus deliciarum? Omnia hæc habemus in SS. Eucharistia. Accedite ad eum, & satiabimini: gustate, & videbitis quàm suavis sit Dominus; manducate ejus carnem, bibite ejus sanguinē, manebit in vobis, & vos in illo. Theophilactus. *Contemperatio enim fit nova, & super rationē; ita ut sit Deus in nobis, & nos in Deo.* SS. Eucharistia est cibus, qui nos facit immortales. Lyranus, *Dicitur etiam caro Christi, verè cibus, & sanguis ejus verè potus, quia reficiunt animam, quæ est immortalis.* O cœlestem panem! ô thesaurum cœli! ô paradisum plenum omnibus bonis & plenitudine gloriæ. O mel, ô nectar, O lac dulcissimum; O ubera misericordiæ, quæ fluunt hoc lacte! O divinam apiculam, quæ tam dulce mel nobis paravit! O benignissimum Jesum! qui hoc vespere, iturus in passionem, sacrosanctam instituit Eucharistiam! Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos; Et ita simul immensam suam liberalitatem, & ardentissimum amorem erga nos demonstravit.

§. II. *Christus D. iturus in mortem, ostendit se liberalissimū.*

Xifilinus in Comment. in Tacit. refert de Othone Imperatore, quod prœliaturus cum hoste, pro salute suorum militum animosè ultrò ruerit in mortem. Generosus heros, postquam regia inter bellatores elargitus fuit munera, in prima acie constitutus dixit: *Faciam, ut omnes intelligant, quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro se, sed se pro vobis dedit.* De S. Basilio ait sanctus Chrysost. eum dicere solitum, *aliter amare non didici, nisi ut meam*

vitam

Digitized by Google

vitam in discrimen adducam, dum periclitantem aliquem amicum servare opus est. Hoc vespere videre possumus, qualis nobis Christus D. fuerit Imperator. Ipse egreditur in hortum Oliveti: ipse quærit theatrum pugnæ, post quam aliquot horas oravit, postquam luctatus est cum morte, postquam sanguinem sudavit, postquam statutum illi fuit mori pro genere humano; surgit, it obviam Judæ, excipit perfidum osculum, tradit se in vincula, in catenas, in manus inimicorum, cras moriturus in cruce. Verum ut sciamus illum non fuisse tantum Imperatorem fortem, sed liberalem, prius regia, imo divina largitur dona, dum SS. Eucharistiam instituit.

Ut regiam virtutem, quæ dicitur liberalitas, vel munificentia nobis ob oculos ponerent symbolici; depinxerunt formosissimam & gratiosam Virginem, sed in paupere vestitu, utraque manu præferentem duplex Amaltheæ cornu, ex uno spargentem uniones & gemmas; ex altero formosissimos flores, cum epigraphe. *Non mihi soli, sed aliis.* Quis in hac imagine non agnoscit effigiem Christi Salvatoris nostri, de quo Apostolus ait ad Corinth. *pauper factus est, cum esset dives, ut illius inopia ditaremur.* S. Bonaventura *Pauper factus est, formam servi accipiens, & non solum servi, ut subesset, accepit- sed etiam mali servi, ut vapularet,* (pulchre hoc vespere in Captivitate) *& erat non solum servus servorum DEI, sed servus servorum diaboli, infima peccatorum peccata expurgando.* Hic vero pauperrimus JESUS ut amorem & liberalitatem ostenderet, nihilominus duplex Amalthdæ cornua voluit aperire; gemmas sparsit, cum corpus & carnem suam convertit in cibum, rosas sparsit, dum sanguinem obtulit potandum. Quot guttæ, tot rosæ; animæ piæ! estote apiculæ! in his rosis quærite succum gloriæ paradisi. Vivat liberalissimus Jesus: Non sibi natus est, sed nobis. Sudat hoc vespere sanguinem! non sibi sed nobis. Cras flagellabitur, non sibi, sed nobis (est locus pro pio affectu) apicula est, nobis parat mel ipsi spinæ, flagella, nobis mel! ipsi clavi, vulnera, crux! nobis proponit nectar.

§. 12. Emblema liberalitatis applicatur Christo D. instituenti Eucharistiam.

Non puto mensam ditiorem, vel liberaliorem unquam ab ullo rege fuisse propositam, vel similē illi, qualem apparvit Alex. M.

§. 13. Mensa Alexand. M.

cum intellexiſſet ſuos milites, multis debitis oppreſſos, publico edicto juſſit coram Quæſtoribus ſuis comparere omnes creditores, cum certa ſpe præſtandæ ſolutionis. Sed putarunt multi, Alexandrum non tam cogitare de ſolutione, quam oſtentatione regiæ munificentiæ: quod cum ad aures pervenit, juſſit in publico foro collocari varias menſas, illiſque imponi decem millia talenta auri, id eſt, plus quam ſeptem milliones pecuniæ; quo viſo, totus exercitus obſtupuit inauditam ſui Regis magnificentiam, & munificentiam. Vivat liberaliſſimus Jeſus, qui Alexandri liberalitatē longe vicit. Debita generis humani tanta erant, ut nulla pura creatura divinæ Juſtitiæ pro illis poſſet ſatisfacere; non Angeli, non Seraphini, itaque filius Dei deſcendit de cœlo, & factus fuit homo, ut in cruce poſſet mori, & ſanguinem effundere, & ita æterno Patri pro humano genere ſatisfacere. Alias inſuper addidit admirabiles promiſſiones, dum Joan 6. v. 55. dixit *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quæ tam mirabilia fuerunt viſa, ut ipſi diſcipuli dixerint Joan. 8. v. 6. *Durus eſt hic ſermo, & quis poterit eum audire.* S. Lauren Juſtin. *Sane homo nunquam talia auſus fuiſſet petere, imo neque cogitare.* Itaque tandem hoc veſpere bonus Deus, iturus in mortem, in cœnaculo poſt eſum agni paſchalis, aliam propoſuit menſam, in illa panem, & vinum; ſed mox panem convertit in Corpus ſuum, & vinum in ſanguinem, & ita pretioſum nobis præparavit cibum. Quis tale quid auſus fuit cogitare, multo minus petere.

§. 14. Augetur immenſum liberalitas Chriſti, quod tantū donum offerat Iudæ, & obſtinatis peccatoribus.

Miraculum bonitatis, & liberalitatis Chriſti eſt, quod etiam ſuis hoſtibus, id eſt, graviſſimis peccatoribus offerat hunc cibum & potum; quod ſceleratiſſimos peccatores admittat ad pretioſam hanc menſam. Primus inter hos ſceleſtos fuit Judas proditor, cujus pedes non tantum lavit Chriſtus D. ſed ſanctiſſimam quoque porrexit Euchariſtiam. D. Cyril. in Joan. *Hujus clementiæ magnitudinem quis non admirabitur? videbat animam ejus, cognoverat venenoſa eum agitare conſilia: honoravit tamen, ut alios, & ejus quoq; pedes lavit,*

Digitized by Google

lavit, charitatem usq; in finem conservans, & antequam in exitum erumpant, illum non derelinquens. Mi Jesu, permitte mihi, ut paululũ immutẽ verba, quæ aliquando Saul dixit ad Dav. l. 1. Reg. c. 24. v. 17. *Levavit Saul vocem suam, & flevit, dixitq; ad David*; Ego mi Jesu utinam cum lacrymis dicere possem, Justior tu es, benignior, quã Judas, & impii peccatores: tu tribu is nobis bona, tu carnem offers, tu sanguinem nobis donas, nos reddimus tibi mala: nos cum Juda cogitamus de novis proditionibus, de novis vinculis, de novis sceleribus. Ita nostra ingratitudo in immensum auget infinitam Christi D. erga nos liberalitatem.


Judas postquam post bucellam in illum intravit diabolus, tam fuit factus obstinatus, ut statim egressus è cœnaculo, accesserit Sacerdotes, & Magistrum suum illis vendidit. Cum scopulo vel rupe in mari, venti, fluctus, aquæ frustra pugnant: suspiria, gemitus, lachrymæ, dulcissima Verba Christi frustra pugnarunt contra marmoreum Judæ cor. De ficu ait Theophrastus l. 2. c. 8. *dum rigatur, deteriorem fructum parit.* Talis ficus fuit Judas. S. Bern. l. 2. Ser. 55. art. 2. *Tam diram & duram perversi propositi obstinationem incurrit, ut nec familiaritate cõtubernii, nec humilitate obsequii, nec suavitate colloquii,* (nec dulcedine mellis Eucharistici) *à concepta malitia, potuerit revocari.* D. Bernardinus: *debuisset miser ille ex consideratione Dominicæ bonitatis, quæ maxime apparuit in hoc, quod tradidit illi Corpus suum, à malo revocari, & consequenter virtute tanti sacramenti meliorari.* Sed frustra: *sed infelix peccator auxit peccatum, unde debuit sibi auxisse meritum.* Utinam hodie non essent tales Judæ! utinam non essent tales rupes! tales ficus! est locus pro pathetico affectu, qua charitate Christus D. desideret, animas nostras rigare suo sanguine (fiat pia digressio ad sanguineum sudorem) verum quam multi sic rigati, deteriores pariunt fructus.

§. 15. *Obstinatio Judæ à Christo D. expugnari non potuit.*

Aliud spero de meis Auditoribus, (poterit fieri affectuosus epilogus per conglobatam repetitionem Concionis) Cum quidam miles contra ducem Alexandrum Magnum quæstus fuisset, hic illi ad se vocato dixit: *Amice, si tibi roganti atque petenti Alexander Macedo negavit se ipsum, tunc eum infidelem voca.* Applica pulchre Christo Domino.

§. 16. *Epilogus.*

Digitized by Google



CONCIO XXXII.

DOMINICA IV. POST SS. TRINITATEM.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est,

Lucæ 6. v. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Est acerba invectiva, in vexatores & oppressores pauperum.

§. 1. *Breve Exordium ex Evangelio.*

§. 2. *Acerba Dei querela, contra oppressores pauperum, ex cap. 3. Isaiæ.*

§. 3. *Præsertim contra illos, qui pauperes & subditos ad extremam redigunt paupertatem.*

§. 4. *Quomodo hi tractent pauperes, exponitur ex mysterio Coronationis.*

§. 5. *Prosecutio: sive, quanta talium sit crudelitas. Occidunt enim & mactant pauperes.*

§. 6. *Nemrodht fuit Venator, sive, vir sanguinarius; sed punitus.*

§. 7. *Quomodo aliqui augeant divitias. Similes leonibus.*

§. 8. *Et lupis.*

§. 9. *Acerba contra tales mina.*

§. 10. *Acerba reprehensio Pelusiotæ contra Eusebium Episcopum.*

§. 11. *Alia mina.*

Viri

Digitized by Google

Viri misericordes, lectum Evangelium sine dubio audiverunt cùm peculiari solatio. Quales enim promissiones liberalissimi JESU? *Estote misericordes*, & Pater cœlestis, vobis misericordiam non negabit. Qualis promissio? *Non judicabimini!* non condemnabimini! Qualis promissio? *Dimittetur vobis*, hoc est, ut alibi dicitur, Eleemosyna cooperit multitudinem peccatorum. Qualis promissio? *dabitur vobis*, quidquid ad salutẽ est necessarium, & hoc in mensura bona, confertâ & supereffluẽte. Econtrà cogitate, quo sensu lectum Evangelium audiant viri immisericordes, præsertim illi, qui pauperi non tantum nõ benefaciunt, sed pauperes vexant & opprimunt. Tales profectò causam non habent ut sperent Dei misericordiam; judicabuntur! condemnabuntur sine misericordia. Dabitur illis, sed internus! in mensura terribili. Quinam & quales sint hi viri immisericordes; quàm acriter à Deo puniantur, hîc & in futuro sæculo, præsens Concio vobis exponet. Attendite. §.1. *Breve Exordium ex Evangelio*

Plena est sacra Scriptura gravissimis querelis à Deo contra vexatores & oppressores pauperum prolatæ; selegi pauculas, v. gr. illam ex cap. 3. Isaiæ ỳ 13 & seq. *Stat ad judicandum Dominus: stat ad judicandos populos; Dominus ad judicandum veniet. - - Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra.* LXX. sic legunt: *Vos autem, quare incendistis vineam meam?* In utraq; versione latet triplex similitudo. Prima est. Tempore autumni, dum vites oneratæ sunt uvis, venit exercitus rapacium volucrium, quibus se adjungunt vulpes, aliæque voraces bestiæ, & brevi tempore vineæ ingens inferunt detrimentum. Citò vites spoliantur uvis, juxta versum 14. Ps. 79. *Singularis ferus depastus est eam.* Paulò post similitudinẽ applicabo. Altera est. Tempore quo vites amœnissimè florent, irruit pruina, vel urens ventus! O triste spectaculum! una nocte vinea est devastata. De tali vento dici potest; *depastus est eam.* Tertia similitudo, sumi potest planè ad literã, cùm quandoq; ignis vineam aliquam accendit & brevi tempore illam redigit in favillam. Si in sensu mystico, per hanc vineam intelligere velimus pauperes, sed vineam devastatam, exustam, depastam, oritur quæstio; quinam ergo sunt rapaces volucres, quinam istæ vulpes & feræ; quinam ille ventus? ille ignis? qui vineam exussit, §.2. *Acerba Dei querela, cõtra oppressores pauperũ ex c.3. Isa.*

Digitized by Google

devastavit,& depastus est? respondent sancti Patres, Isaiam hoc modo voluisse describere illos, qui pauperes vexant, opprimunt, & despoliant; subinde paucis uvis, quæ adhuc supersunt. Clarè S. Chrysostomus. *Neque enim tanta calamitate evertere vineas consuevit grando, ut animam pauperis, mendici & inopis, urere solet injustitia.* Ex mente ergo Isaiæ, vel potius Spiritus Sancti, viri immisericordes, vexatores & oppressores pauperum, sunt urbis incendium, sunt grando, sunt locustæ, bruchi, gurguliones, &c. *Sed stat ad judicandum Dominus, & stat ad judicandos populos, Dominus ad judicandum veniet:*

§. 3. *Præsertim contra illos, qui paupe-res & sub-ditos ad ex-tremam re-digunt pau-pertatem.*

Quos verò Isaias hoc loco præcipuè carpat, sive quibus minetur severissimum Dei judicium; patet ex illis verbis: *Et rapina pauperis in domo vestra.* In hebraico textu ponitur vocula *gezelath*; quod idem est, ac prædare, aliena vi auferre, & violenter extorquere, præsertim à pauperibus. Ubi S. Chrysostomus circumstantiam apponit divitibus benè ponderandam; dum ait: *Equidem per rapinam extorqueri aliena, nullo non tempore malum est; maximè verò tum, quando is, qui incessitur injuriâ, ad extremam fuerit devolutus paupertatem.* O divites! ô Judices! ô Magistratus! stat ad judicandum Dominus: coram tremendo illo tribunali, de variis vobis danda erit ratio; væ vobis! si pauperes redegeritis ad extremam paupertatem.

§. 4. *Quomodo hi tractent pauperes, exponitur ex mysterio spineæ coronationis.*

Modum, quo divites & avari, hoc præstent, & quàm crudeles & inhumani sint erga egenos Drogo Ostiensis de Sacram. dom. pass. l. 1. exponit ex mysterio coronationis Christi D. cap. 27. ℣. 28. ait S. Matthæus: *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus - acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Ecce quatuor gravissimas injurias Christo illatas; quod lictores totum denudaverint, quod vestiverint vili palliolo, quod spinis coronaverint, & arundine percusserint caput ejus. Quis hæc audiens piissime Jesu non compatitur? sed compatimini simul oppressis pauperibus, quos Jesus coronatos spinis repræsentat. Quod citatus Drogo ait de lictoribus; *quasi pro regio splendore chlamydem ei coccineam, hoc est, vestimentum mixtum sanguine*

Christi

Digitized by Google

Christi. circumdant, propter crudelem sanguinolentiam. Idem faciunt illi, qui crudeliores leonibus substantiam pauperum, viduarum & pupillorũ dilacerant, & sanguinem sanguisugæ exsugunt, vix pallium illis relinquentes, quo nuditatem suam tegant. Sed quinam illi, qui coronam de spinis ponunt super caput pauperũ? Respondet Drogo, *qui de rapina pauperum, spinosas divitias sibi coacervant.* Dic mihi afflictissima vidua, quis tibi abstulit tua vestimenta? quis te coronavit spinis? dicite vos pupilli, quis in manus vestras vacuam dedit arundinem? ubi vestræ vineæ? ubi agri? ubi ædes? ubi parentum vestrorum substantia? Ah! dicent, nostri Judices, nostri creditores; nostri tutores, nostri consanguinei, ita nos tractârunt. *Illi scilicet* (inquit Drogo) *quibus est potestas nocendi, & devorandi pauperes.* Sed, stat ad judicandum Dominus. Pauperrimum Lazarum vestibus, dum non dedit, cùm dare potuisset, spoliavit dives epulo; jam vestitus flammis. Coronavit Lazarum spinis; jam coronatur spinis igneis. Lazaro negavit panem; & famet, sititque æternùm; nec unquam vel guttam aquæ obtinebit, etsi igneas lacrymetur lacrymas.

Contra tales terribilem fulminat sententiam Eccles. c. 34. ℣. 24. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris.* Tigurina legit, *talis similis est mactanti filium coram Patre.* Syrus. *Sicut qui occidit filium, coram Patre,* Sed *quid est intolerabilius,* ait Rabanus, *quàm mors filii ante oculos patris.* Quis luctus? quæ acerbitas major esse potest, & filio, & patri? quæ major crudelitas? Sed bene monet S. Greg. M. l. 7. ep. c. 3. *Quantus dolor patri sit perpendimus, si in ejus conspectu filius victimetur; & non cognoscimus, nec consideramus, - quantus apud Deum & Patrem cælestem, & amantissimum Dominum nostrum Iesum Christum exasperetur, cùm ejus filii, cum pauperes ita vexantur, ita spoliantur, ita opprimuntur à divitibus, ut quasi victimentur, mactentur & occidantur.* O divites! ô tyranni! ô sanguisugæ! si non pavistis, occidistis! in conspectu illius, qui omnia cernit. S. Chrysostom. hom. 33. ad pop. *Cade, namque pejor est rapina, paulatim pauperem devorans.* S. Ambrosius in Psalm. 118. *Hoc est occidere hominem vita sua subsidia denegare;* quantò magis auferre? Auferre pauperi substantiam, est

§. 5. **Prosecutio, sive quanta talium sit crudelitas.**

est ei auferre vitam. Ecclesiastici cap. 4. vers. 25. *Panis egentium vita pauperum est. Qui defraudat illum, homo sanguinis est*, id est, effusor sanguinis. Tigurina. *Est vir sanginarius.* Syrus. *Effundit sanguinem innocentem.* Sed stat ad judicandum Dominus, &c.

§. 6. *Nemrod fuit venator, sive, Vir sanguinarius, sed punitus.*

Talis effusor sanguinis, vel vir sanguinarius fuit Nemrod, de quo Genesis cap. 10. vers. 8. dicitur. *Porro Chus genuit Nemrod, ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino.* Mira combinatio, Dives, Potens, & Venator! sed valde congrua; fuit enim ad literam Nemrod, peritissimus venator, qui scivit artem ponendi laqueos, retia aliasque insidias, ad capiendas feras; sed juxta significationem voculæ *Nemrod*, sive *Tyranni, cœpit esse potens in terra*, sive cœpit *esse heros violentus; & insidiosus oppressor hominum.* Vel ut ingeniose ait Abulensis, *robustus fuit venator*, hoc est, *per violentiam opprimens homines, tanquam animalia capta in venatione.* Card. Cajet. ait, *& ita exercebat tyrannidem.* Polychronius. *Ex rapina & avaritia, & injuria in Deum ingentes comportavit divitias.* Et quis fuit exitus? Post eversionem impiissimi regni Tirii, ob gravissima scelera avaritiæ, ob usuras & rapinas, ait Ezechiel in persona irati Dei, cap. 28. vers. 17. *Ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te*, scilicet, eversum & devastatum, vel ut S. Hieronymus ait; *Projectus es autem in conspectu omnium Regum, ut tuo terreantur exemplo*, stetit ad judicandum Dominus. Idem contigit Nemrod, idem contingit tyrannis, & viris sanguinariis, &c. Veniet ad judicium Dominus!

§. 7. *Quomodo aliqui augeant divitias similes leonibus.*

Quomodo aliqui augeant divitias, describit Sophonias c. 3. vers. 3. *Principes ejus* (hoc viri primarii, divites negotiatores, &c.) *in medio ejus, quasi leones rugientes: judices ejus lupi.* Quæ verba ita legit S. Hieronymus. *Principes ejus quasi leones semper versabantur in prædis, parati ad effundendum sanguinem subditorum: Iudices ejus rapaces, &c.* Glossa Lyræ sic habet. *Lupi, erga populum, cujus bona, partim violentia, partim fraudulentia rapiebant.* Ecce duo brachia, quibus divites prævalent contra pauperes, Violentiam & fraudulentiam: S. Cyrillus Alexandr.

cit.

Digitized by Google

citat. locum sic exponit per similia. *Quid faciunt leones? fame illos ad appetitum cibi acriter stimulante montes & saltus percursant, horribile & absonum, validè rugientes: & sicubi aliquid viderint ad escam idoneum, velut tonitru insonantes, ideò timoris adigunt, ut frigore gelatum & tanquam laqueis constrictum, epulonem exspectare videatur.* Considerate vos, an in urbe vestra, habitent tales leones: similes principibus Israelis, de quibus addit citatus Auctor: *Nisi quæ ipsis collibuissent, præstare vellent* (subditi, pauperes, pupilli) *& concederent, è possessionibus eos deturbabant.*

Æquè acerbam invectivam continent citatæ voculæ, prout LXX. legunt, *Judices ejus, sicut lupi rapaces.* Ajunt, lupos in Arabia, feris omnibus immaniores esse, vexarique fame inexplebili, (O Bamberga! habesne tales lupos?) ad cursum adeò celeres, ut facilè quemvis antevertant. Assumit igitur (Propheta Ezechiel, in præsentia luporum insatiabilitatē, ad descriptionem Judicū, velut totis faucibus, & dentibus inexpletis, litigantes, & pauperes) consumentiū; quia longè plurima, & supra facultatem poscunt, & ad libidinem impiè contra justitiam, & charitatem extorquent. Sed stat ad judicandum Dominus, hos latrones, hos occisores pauperum! §. 8. Similes lupi.

Ideò, *Timete* (ait S. Chrysostomus) *quicunque pauperes injuriâ afficitis: habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & judicum benevolentiam; sed habent illi arma omnium validissima, luctus & ejulatus; & illud ipsum, injuriâ affici; quæ è cœlis auxilium attrahunt: hæc arma domus effodiunt; hæc fundamenta evertunt: hæc integras gentes submergunt; gemitus dico, eorum* (& lacrymas) *qui injuriâ afficiuntur. Magna est vis hujus ejulatus, quæ supernum evocat auxilium.* Quod Deus promisit Psalmo 11. vers. 6. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam.* Sanctus Hieronymus legit; *propter vastitatem.* Chaldæus. *Propter violentiam & deprædationem:* illorū scilicet, quibus ait Micheas cap. 3. v. 1. *Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis: & carnem eorum desuper ossibus eorum.* Vel illorum, ad quos ait S. Cyrillus: *Vos: quæ mea sunt; atrocem & sævum in modum invadentes; atque ab immanissimis feris nihil distantes, oves excoriantes; carnes dilacerantes!* Sed tandem, *tales rapientes* (S. Epiphan.) *occidentes, tyrannidē exercentes, & impiè agen-* §. 9. Acerba contra tales minæ.


tes horum omnium meritam mercedem à justo judice recipient. Veniet ad judicium Dominus!

§. 10. *Acerbare prehensio Pelusiotæ, contra Eusebium Episcopum.* Cum Eusebius Episcopus sumptuosum templum moliretur, non tam suis sumptibus, quam pauperum facultatibus, scripsit illi S. Isidorus Pelusiota seq. epist. 38. *Condis quidem*, ut ajunt, *Ecclesiam in Pelusio, machinis quidem ac molitionibus luculentam, sed improbis studiis, & injuriis, atque contumeliis & tenuiorum oppressionibus, & pauperum sumptibus. Id quod nihil aliud est, quam ædificare Sion in sanguinibus, & Ierusalem in injustitiis. Quæ cum ita sint, & ædificare, & injuriam aliis inferre desine. Ne alioqui domus illa te apud Deum prodat & convincat: & quæ sublimis quidem & excelsa stet; verum ob ea mala, quibus structa est, sempiterno clamore te insectetur, ereptasque mercedes à te expetat, ultionemque eorum, qui incommodis ac detrimentis abs te affecti fuerint poscat.* Si Isidorus tam acerba & acri scriptione in Eusebium invehitur, quod his modis templum ædificet, quantum excanduisset, si pauperum opes insumpsisset, ad exstruenda palatia, vel deliciosos hortos! Væ vobis, qui facitis! qui agros, vineas, hortos ædificatis in sanguinibus. Hi agri, hæ vineæ, &c. apud Deum vos accusant, stant sublimes, elegantes & excelsæ; verum ob ea mala (fiat pulchra dictorum & acris repetitio.)

§. 11. *Alamma.* Metaphora desumpta ab ædificio placuit etiã Prophetæ Amos c. 5 v. 11. *Pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.* Quæ verba S. Cyrillus aureo eloquio sic illustrat. *Diripiebatis pauperem, ut ab eo tolleretis, quæ victui necessaria vix habebat, & quidquid pretiosum videbatis, & pulchrũ, vestris usibus tradebatis. Et homines spoliastis, ut ædes vestiretis marmoribus. Quas quia ædificastis de rapinis* (sequitur decretoria & fulminatrix sententia) *& non solum mansioni & tecto, quod exigit humana fragilitas: sed pulchritudini, & deliciis præparastis, repentina captivitate, vel morte subtracti, non habitabitis in eis.* Theodoretus addit: *Percutiam & incendam.* Et tum ambulabunt in lumine ignis, & in flamma quam succenderunt. Violenta mors, plerumque violentorum est pœna, sive improvisus & subitaneus

interitus

interitus. Momento insurgit spoliatrix mors, quæ omnes reperit usuras & rapinas &c. quæ simul terrenis, & quod magis lugẽdum est, cœlestibus bonis illos spoliat, miserosque sepelit in inferno. O bone Jesu; hoc averte à meis Auditoribus.



CONCIO XXXIII.

DOMINICA V. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Et vidit duas naves stantes secus stagnum-ascendens in unam navim, quæ erat Simonis,

Lucæ 5. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX suppositione, Naviculam Simonis, fuisse symbolum veræ Ecclesiæ; duo ejusdem proponuntur signa, & magnalia; Firmitas, & multiplicatio.

§. 1. *Firmitas est signum veræ Ecclesiæ; quam Christus D. ædificavit supra firmam petram.*

§. 2. *Figura hujus veritatis ex cap. 4. Zachariæ.*

§. 3. *Quare Ecclesia comparetur monti.*

§. 4. *Ecclesia fundata est in monte cum exultatione.*

§. 5. *Ecclesia Christi stat inconcussa.*

§. 6. *Petrus firmiter ambulans super undas.*

§. 7. *Quare sponsus invitet sponsam ad petram.*

§. 8. *Conglobata encomia Ecclesiæ Christi.*

§. 9. *Alterum signum veræ Ecclesiæ est, credentium multiplicatio.*

§. 10. *De qua eleganter loquuntur SS. Patres.*

Digitized by Google

reddam facilia, ut domus mea rursum ædificetur. Zorobabelis verò vocula, significat lapidem primarium, angularem, & fortem; sive virum gratiâ & robore firmatum, qui contra variorum hostium insultus, structuram templi erexit. Quis non advertat, in monte, & in structura templi Jerosolymitani, fuisse delineatum ædificium Ecclesiæ, à Christo Domino exstructum; & in Zorobabele, sive, primario & fortissimo lapide, adumbratum fuisse sanctum Petrum, primarium fidei & Ecclesiæ, post Christum, fundamentum. Unde Theodoretus ita ait super citatum locum Zachariæ. *Educam lapidem primarium; Et si millies cum summa rabie, Zorobabel impedire conemini, vestras spes vanas ostendam. Eum enim gratiâ complevi, & redundantibus bonis cumulavi, & firmum, tanquam lapidem constitui.* Quis non cernit, præfata verba, quadrare melius sancto Petro, adversus quem, nec tyrannorum rabies, nec hostium incursus, nec portæ inferi, nec inferorum janitores, & tenebrarum potestates, prævalere potuerunt.

§. 3. *Quare Ecclesia comparetur monti.*

Ob quam causam præcipuè Ecclesia monti comparatur, propter invictum scilicet illius robur, & inexpugnabilem fortitudinem; ut nihil detrimenti accipiat ab oppugnantibus persecutoribus; sicut mons, qui licet obvalletur, & omnibus bellorum machinis impetatur, nihil inde accipit noxæ, vel detrimenti; similitudinem eleganter describit sanctus Chrysostomus; *Vocat autem nomine montis* (scilicet sacer textus) *Ecclesiam simul, & inexpugnabilem dogmatum ejus traditionem. Quemadmodum enim, licet quis obvallet, & objiciat militum millia decem: & hi quidem intorqueant arcus, illi evibrent hastas, & ejaculentur; illi genus omne molitionis admoveant, & bellica machinamenta, ita ut adsint omnia; nihil noxa aut detrimenti invehent soliditati montium. Illinc potiùs cedere cogentur, consumptâ inaniter suâ fortitudine. Sanè idipsum contigit ad unum omnibus, qui oppugnârunt Ecclesiam: hæc quidem inconcussa perstitit; illi è diverso deperdita propria virtute, indecoris infamiæ notam incurrerunt.*

Digitized by Google

§. 4. *Ecclesia fundata est in monte cum exultatione*

Et hoc cum *exultatione universa terra*, ait regius Psaltes Zacharias verò, *exaquabit gratiam gratia ejus*; quas voculas Hebræi ita legunt, *Erunt plausus & gratulationes ei.* Eleganter Vatablus. *Proferet lapidem capitis ejus cum acclamationibus dicentium; gratia! gratia sit illi, subintellige; à Deo, id est, multus favor.* Arias Montanus legit, *Clamores: gratia illi, gratia! hoc est, feliciter! feliciter!* quasi diceret, Angeli & orbis universus proclamat: Macte immortali gloria, eximiâque beatitate, Apostolorum vertex Dive Petre, semper auguste; cùm Ecclesia Christi supra firmitatem tuam fundatur: immensamque machinam tuis humeris, tanquam divinus Atlas sustollis, totus tibi gratulatur orbis. In terris & in cœlis lætus perstrepit plausus: gratia! gratia sit Ecclesiæ! feliciter, faustè, prospere perennet, contra omnes omnium adversariorum impetus. Feliciter! Ecclesia Christi stat ædificata in excelso monte, supra firmam, immobilem & inconcussam petram.

§. 5. *Ecclesia Christi stat inconcussa.*

Super versum 24. cap. 7. S. Matthæi; *Assimilabitur verò sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat supra petram*, inquirit S. Athanasius, quis sit ille vir sapiens, & respondet quæst. 8. ex parabolis. *Quis ille homo? sanctus Petrus! Petra Christus: domus fides! ventus diabolus est.* Quid mirum, si Christi Ecclesia contra omnes ventorum assultus, stet inconcussa, & immutabilis? Causam insinuat caput 34. Exod. ỷ. 2. ubi Deus ait Moysi: *Stabisq. mecum, supra verticem montis.* Philo Hebræus legit: *Tu verò hîc sta mecum.* Quasi Deo appropinquans, ejusque fortitudini innitens, consistat securus periculi, & mutationis expers. *Oraculum enim hoc Prophetæ redditum est, de statione, quieteque immota. apud Deum nunquam mobilem.* Æquè firmiter & immobiliter stat Ecclesia, supra Petrum, cui dixit Jesus: *Ego stabo tecum; ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et super te ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt.*

§. 6. *Petrus firmiter ambulans*

Cum Apostolorum cymba in mari gravi jactaretur tempestate, inter fluctus in quarta vigilia noctis, *apparuit illis Jesus; & quia putaverunt, se videre spectrum, clamaverunt, phantasma est.* Sed Jesus mœ-

Digitized by Google

mœrorem abstergit, timorem discutit, & territos afflictosque a amica voce solatur, Matth. 14 ℣. 27. *Statimque Jesus locutus est eis, dicens: habete fiduciam, ego sum! nolite timere. Respondens autem Petrus dixit. Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait, veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Iesum.* Fides & amor S. Petri erga Jesum nesciverunt, tarda molimina. Dum reliqui discipuli timore expallescunt, Petrus ob præsentiam Domini securus; magnâ animositate se se præcipitavit in mare, ut sese ad pedes Jesu abjiciat, & manus ejus exosculetur. Advertit autem S. Anselmus hanc fuisse petitionem Petri ad Christum Dominum in cap. 14. S. Matthæi. *Si, inquit, tu es: si tu incommutabilis permanes, jube; quia jussio tua est virtus efficiens, jube me super aquas, id est, supra fluctus mundanarum tribulationum, & super populos, venire ad te. Vt & ego, tibi incommutabili adhærens fiam incommutabilis, participatione firmitatis tuæ,* addit D. Anselmus hîc. *Hæc omnia egit, ut veniret ad Iesum, qui est Salvator, & veritas incommutabilis; quatenus eum apprehendens, & ei inhærens, veram in eo teneret salutem, & incommutabilitatem.* Itaque & nos teneamus Jesum, teneamus ejus petram; teneamus Ecclesiam, & contra omnes adversarios erimus fortes, & incommutabiles.

super unda.

Ideo Sponsus suam Sponsam vel Ecclesiam, ad hanc petram invitavit cap. 2. Cant ℣. 14. ut ibi secura, & tuta, & in securissimo loco habitaret. *Veni columba mea in foraminibus petræ.* LXX. legunt. *In tegumento petræ.* Philo Carpathius: *In protectione petræ,* quæstio est, de qua petra sit quæstio. Respondet Theodoretus. *Vocat autem ipsam sub petra tegumentum* (ne hostium insidiis sit exposita) *Petram verò appellat fidei pietatem, & veritatis professionem. Domino enim ex discipulis quærenti, quem se filium hominis, homines esse dicerent: Tu es, inquit beatus Petrus, Christus Filius Dei vivi. Cui Dominus respondit: Amen, amen dico tibi, tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex qua petra, tanquam ex fonte tota animæ felicitas & securitas scaturit. In hoc monte Ecclesiæ invenimus rupem excelsam, saxum firmissimum, & invictum propugnaculum. Quod primâ parte hujus Concionis volui ostendere. Ad alteram progredior. § 7.

Quare sponsus sponsam invitet ad petram.

Subli-

§. 5. *Conglobata encomia Ecclesiæ Christi.* Sublime quid concipere debemus, dum scire volumus, quid sit Ecclesia Christi. Est cœlestis Eva, producta ex latere cœlestis Adami. Est virgo tota pulchra, Virgo simul fœcunda & casta mater, sponsa Spiritus S. quæ pro arrha accepit gratiam: pro solatio sacram scripturam, pro canalibus, sive instrumentis omnium de cœlo benedictionum, SS. Sacramenta, pro cibo carnem, pro potu sanguinem Christi, pro habitatione, rosea ejus vulnera, pro thesauro infinita ejusdem merita, pro famulis Angelos, pro præmio promissionem & possessionem æternæ gloriæ. Adeo est pulchra, ut dicatur paradisus, adeo dives, ut sit pretiosa margarita, adeo potens, ut Regina tantæ majestatis, ut sit amicta sole, calceata luna, coronata stellis, adeo sapiens, ut domus nominetur sapientiæ; adeo firma, ut turris David cum fortissimis propugnaculis. Opulenta gratiis, sed pauper spiritu. Semper inter arma, semper inter palmas, victorias, atque triumphos. Verbo, est illa congregatio fidelium sub uno capite Christo, in qua sola salvi fieri possumus. Multa quidem lis est & controversia, quænam sit vera Christi Ecclesia, quæ melius dirimi non potest quam ex certis signis, ex quibus veritatem colligere possumus. Firmitati, de qua jam egi, modo addo multitudinem sive multiplicationem in illa credentium, quam nullibi, nisi in Romano-Catholica Christi Ecclesia, quod statim patebit, invenire possumus.

§. 6. *Alterum signum veræ Ecclesiæ est multiplicatio credentium.* Hanc multiplicationem fidelium providit regius Psaltes Psalm. 23. v. 1. *Domini est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum & universi, qui habitant in eo.* Ad literam versus hic hoc vult dicere; quia Deus mundum, & omnia, quæ in illo sunt, creavit, eumque gubernat, ideo illi tanquam Domino & Creatori, totus quantus est, subjectus est. In sensu mystico hoc vaticinatur. Quando Christus D. post gloriosam Resurrectionem, per Apostolos mundo universo annuntiabit Evangelium, omnia trahet ad se ipsum & totus mundus illi subijcietur. Sive, plurimi innumerabilesque semper erunt, in omni provincia & regno, sive ad Ortum & Occasum, sive ad Austrum & Aqui-

Digitized by Google

& Aquilonem, qui credent in Christũ. Restitit quidẽ idololatria, restitit hæresis, restitit impietas, restitiτere portæ inferorũ. Quibus ducibus; Tyranni, Hæresiarchæ, impii Reges; omni modo conati sunt Christi fideles exscindere, sed frustra. Unde, si quæratur, quod maximum fuerit Christi D. miraculum post mortem, respondent SS. Patres, esse mirabilem propagationem & multiplicationem Ecclesiæ, modo tam mirabili, per tot tribulationes, & persecutiones.

Unde S. Chrysostomus hom. 6. ad pop. Ant. ita exclamat: *O miraculum! servi vincti, Dominus crucifixus! & prædicatio quotidie crescit, & per quæ putabatur opera prohiberi, per hæc accensa est.* Contingit Ecclesiæ, quod viti, dum rami præscinduntur fit fœcundior, vel quod semini, dum moritur, crescit & multiplicatur. S. Leo Serm. de SS. Ap. Petro & Paulo. *Si mortuum fuerit, multum fructum affert, ita non minuitur Ecclesia persecutionibus, sed augetur: & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Tertull. in Apol. *plures efficimur, quoties à vobis* (O tyranni!) *metimur, sanguis Martyrum semen est Christianorum.* Theodoreto placuit similitudo à sylva desumpta. *Sicut lignatoribus sylvam cædentibus, multo plures pullulant propagines, quam sint rami, qui inciduntur, ita nunc quoque piis quamplurimis interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accedebant.* S. Chrysostom. *Sicut plantæ irrigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret: cruor ille cæsorum corporum irrigatio quædã erat in Ecclesia, emergentibus plantis.* §. 10. *De qua eleganter loquuntur SS. Patres.*

Percurrite tria prima sæcula post Christi resurrectionem, & computate, si potestis, numerum SS Martyrum. Adrianus tyrannus una die Romæ occidit decem millia, *sed novis emergentibus plantis.* Diocletianus nocte Nativit. Nicomediæ viginti millia, *sed novis emergentibus plantis.* Unus Nero, unus Trajanus, occiderunt multa millia! sed *novis emergentibus plantis* (hoc modo, si necesse fuerit ex hist. Eccles. poterit fieri longa inductio) sed renovatum fuit miraculum Ægyptiacum Exodi 1. vers. 12. *quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.* Ut teste S. Chrysost. gentiles queruli dixerint, *Quid faciemus hominibus istis? per* §. 11. *Describitur illa mirabilis credentium multiplicatio*

Digitized by Google


quae enim eos opprimere volumus, per ea ipsa provehimus. Eleganter S. Prosper lib. 2. de vocat. gent. *Fremebant gentes, irascebantur populi, saeviebant Reges, & Potestates; contradicebant superstitiones, & totius mundi reluctabantur errores, sed de resistentibus, de saevientibus, &c. populum Christus augebat; & per vincula ac supplicia, mortesque sanctorum roborabatur fides, vincebat charitas, perque universum mundum Dominici agri multiplicabatur ubertas.* Breviter sed elegantissime S. Chrysostom. l. 21. de civit. DEI. *Ligabantur, includebantur, torquebantur, urebantur, trucidabantur, sed multiplicabantur.*

§. 12. *Prosecutio.* Quis ignorat bella, quae concitavit, vel caecus gentilis, vel perfidus hebraeus, vel superbus haereticus? Gentilis, ob eversionem idolorum; hebraeus ob caerem oniarum abolitionem, pro suscepti erroris defensione haereticus. Gentilis plenus ignorantia, hebraeus plenus obstinatione, haereticus plenus superbia. Gentilis deceptus à daemone, hebraeus excaecatus ab umbris; haereticus gubernatus à carne & sensibus. Et tamen multiplicabantur. In theatris crudelitatis, Romae Nicomediae & alibi, quot millia caesi gladiis & securibus? quot vivi sepulti in carceribus? quot suffocati in aquis? quot consumpti in flammis? Multiplicabantur, quot confossi sagittis? quot excoriati? quot discerpti à feris? lacerati à spinis, devorati à bestiis? Multiplicabantur. (Si placet, hoc modo fieri potest longa & elegans inductio) Ut si fieri posset, omnino de terra deleretur Christi Ecclesia; sed frustra! Romę gentilitas jacet, quae urbs erat mater errorũ, receptaculum superstitionum, & arx idololatriae. Dii paganissimi cum noctuis & cuculis jacent sub lectis. In militum vexillis cernuntur crucis insignia, imo loco gemmarum in coronis & sceptris Regum. Ab India Perside, Æthiopia accipimus fideles. Pharetram suam deposuit Armenus, & jugo Christi se subjecit: frigora Scythiae fidei fervent calore. Semper navicula Petri nova quae sivit maria; velut solis aemula, totum circumivit & pervagata est orbem. India facta Catholica, filia est Ecclesiae. Occidentis gentes alligatae sunt jugo Christi. Peruani pro suis thesauris acceperunt fidei pretiosam margaritam: Brasilia vorax humanarum carnium, parata est pro Christo fundere sanguinem. Ad Japones, ad Moluccas, ad Chinenses

Digitized by Google

Chinenses penetravit sonus tubæ Evangelicæ. In his partibus indies adhuc multiplicatur Christi Ecclesia.

Vos jam judicate, Auditores, an hæc conveniant Ecclesiæ vel Lutheranorum, vel Calvinistarum, vel Catholicorum, &c. §. 11. Prosecutio.



CONCIO XXXIV.

DOMINICA VI. POST SS. TRINITATEM.

Vade prius, reconciliari fratri tuo,

Matth. 5. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Viri sanctissimi ex antiquo Testamento Isaias, Jacob, Joseph, Moyses; & gentiles, nos docent modum, quo tractare debemus inimicos.

§. 1. *Brevis sed seria adhortatio, ex hodierno Evangelio ad dilectionem inimicorum.*

§. 2. *Cur Isaias cap. 6. osculatus fuerit ardentem prunam.*

§. 3. *Osculum illud significat dilectionem inimicorum.*

§. 4. *Quæ prunas convertit in carbunculos.*

§. 5. *Quomodo super caput inimici, possimus congerere prunas.*

§. 6. *Moriens Jacob fuit figura, morientis Iesu in Cruce, docentis nos diligere inimicos.*

§. 7. *Mitissimus Ioseph, quomodo nos docuerit dilectionem inimicorum.*

Digitized by Google

§. 8. *Idem fecit mitissimus Moyses.*
§. 9. *Heroica facta gentilium parcentium inimicis.*
§. 10. *Prosecutio.*

§. 1. *Brevis sed seria adhortatio ex Evangelio, ad dilectionem inimicorũ.* QVisquis in corde fovet iras, vel odia spirat, quisquis de inimici cogitat vindicta, quisquis cum filiis hujus sæculi ait, non possum, (melius dicet, non volo) hosti meo ignoscere, si qui inquam inter vos, Auditores tales sint, illis in persona Christi Jesu ex hodierno Evangelio, claris verbis, & voce qua possum dico, Non intrabitis in regnum cœlorum. Quisquis fovet odia, &c. non cogitet de cœlo. Ignis diaboli & inferni vobis paratus est. Rei eritis judicio, rei concilio, & quod est omnium terribilissimum, ut jam insinuavi, rei eritis gehennæ ignis! si itaque infernum timetis! si æternum non velitis ardere; si cœlum desideratis! si æternum vultis esse beati! audite consilium Christi D. qui tam ardenter sitit vestram salutem, ite & reconciliamini fratribus vestris. Si cogitatis de offerendo sacrificio cordis contriti & humiliati, deponite prius odia, diligite inimicos vestros. Cum Deo offerre vultis sacrificium Agni immaculati in sumptione SS. Eucharistiæ, vel in auditione missæ, cum Deo offerre vultis sacrificium laudis, per ferventes preces & orationes, deponite prius appetitus vindictæ, deponite iras erga vestros adversarios, reconciliamini illis, diligite illos, & æternum in cœlis eritis beati. Quomodo inimicos nostros debeamus diligere, ex variis locis sacræ scripturæ, & sanctorum virorum exemplis, hac Concione vobis proponam.

§. 2. *Cur Isaias c. 6. osculatus fuerit ardentem prunam.* Si præcepto Christi D. de diligendis inimicis, cum perfectione velimus, satisfacere imitemur Isaiã, C. 6. v. 6. ait. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quẽ forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Ex mente Interpretũ calculus ille fuit ignitus, sive ardens pruna, qua Isaias non tantum permisit tangi labia sua, sed ijsdem illum calculum, illum carbonem accensũ fuit exosculatus, addit P. Alcas. *Isaias exosculans prunas, tantas cœpit vires, & Seraphinis flãmis divini amoris totus fuit accẽsus.* Sed cur Seraphim, pro instrumẽto fuit usus accenso carbone, nũquid suavius fuisset osculum alicujus floris ex paradiso, vel basium pretiosæ gemmæ, ex

Digitized by Google

ex thesauro Paradisi. Pulchrum latet mysterium. Ardentes prunæ significant injurias, offensas & contumelias rebellis & impii populi contra suum Concionatorem Isaiam, quas non tantùm patienter tulit, sed in signũ amoris, & gaudii quo pertulit, fuit osculatus; ut & forcipem, hoc est, inimicos & adversarios, quibus, veluti instrumentis Deus fuit usus ad probandam patientiam, & accensum heroicumque animum Isaiæ; quo ostendit, se etiam suos adversarios, & sibi malè facientes, ardenter diligere.

Itaque Auditores, si fortassis non desint, qui ferreo forcipe, qui ardentibus prunis vos crucient, & urant; ardentes prunæ, accensi carbones, ignei calculi, sunt aculeata, contumeliosa, maledica, adversariorum vestrorum verba, contra famam & honorem; scio ardentes forcipes esse illorum linguas, & non ignoro, quam urant, usque ad medullam ostium. Nihilominus, Christus D. à nobis exigit actum heroicum; vult ut cum Isaia has prunas exosculemur. Neque hoc me fugit, longè suavius esse osculari rosea Jesu crucifixi vulnera; & apponere labia illis fontibus, ex quibus cœlestes fluunt deliciæ; sive fontes illi purpurei sint, sive crystallini, sive vulnera filii & ubera Matris; cùm ex illis divinus sanguis, ex his fluat lac misericordiæ; verùm osculari suum hostem, & cum tali osculo dilectionis offerre illi pacem, veniam, & reconciliationem, hoc est durum & arduum, hoc est osculari prunas. Sic est amice mi: Verùm si infernum evadere volumus, si cœlum obtinere, Christus D. hoc à nobis requirit.

§. 3. Osculum prunarum significat dilectionem inimicorum.

Verùm non sine fructu & mercede: ita illas prunas convertimus in carbunculos; ob quam causam alia versio citati versus ex cap. 6. Isaiæ, sic habet. *In manu ejus carbunculus*, verum enim est, illatas injurias, contumeliosa verba, &c. primo aspectu, urere, vexare, cruciare, veluti prunas; sed si cum osculo, si cum dilectione admittantur, convertuntur in carbunculos; *in quibus* (ut Alcazar ait) *Isaias magnam reperit felicitatem, & divitias*. Discite itaque artem pretiosam & utilem, quomodo prunas possitis convertere in gemmas. Osculamini vestros inimicos, cum osculo offerte illis pacem & reconciliationem; diligite illos. His carbunculis corona vestra cœlestis gloriæ, æternum radiabit.

§. 4. Qua prunas convertit in carbunculos.

§. 5. *Quomodo super caput inimici possimus congerere prunas.*

Hæc tamen dilectio proximi non prohibet quò minus prunas pro prunis reponamus; si per ardentes prunas intelligamus ardentes affectus amoris, quo desideramus pro inimicis nostris orare, & iisdem benefacere. Quod caput 25. Proverb. ℣. 21. insinuare voluit; *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput ejus.* Et S. Paulus ad Rom. c. 12. ℣. 20. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Mi sancte Paule! ergo permittis nobis, ut cogitemus de vindicta; ut hostem lacessamus ignitis ferris? verbo, ut læsi par pari referamus? Absit tale quid cogitare de ardentissima dilectione S. Pauli; per prunas intellexit prunas charitatis; de quibus S. Anselmus ait; *Hoc potius in hac sententia jubemur, ut misericordiam facientes, egentibus inimicis, emolliamus fomentis beneficiorum duritiam cordis eorum. & studeamus inflammare illos, adhibito dilectionis igne, ut virtutem patientiæ, & mansuetudinis nostræ mirantes, incipiant imitari. sic lucraberis eum Christo.* Hoc fecit S. Stephanus. Cor ejus in fide, in confessione & dilectione Christi, in charitate erga proximum; erat instar silicis; unde cùm lapidatus fuit, cum saxa & lapides percusserunt illum silicem, non est mirum, quod ex ardenti illo pectore, ex camino accensi cordis, eruperint scintillæ, & prunæ. Domine Jesu! ô scintillulæ! ne statuas illis hoc peccatum! ô flammulas! ô inflammatas voces! Domine Jesu, ignosce illis! Ah! Auditores! tales estote silices! ut si inimici saxorum grandines in vos mittant; ex ardenti vestro pectore, non aliæ erumpant scintillæ, & voces, quàm hæ! *Domine Iesu! ne statuas illis hoc peccatum,* &c. Sic S. Stephanus Christo lucratus fuit Saulum! sic vos eidem Christo lucrabimini animas hostium, & inimicorum vestrorum.

§. 6. *Moriens Iacob fuit figura morientis Iesu in cruce; docet is nos, dilige inimicos.*

Mentionem ante feci suavissimi osculi; aliud reperio in capite 47. Genesis, quod nos docebit modum, quo tractare debemus nostros inimicos, etiam dum malè nobis faciunt: In citato loco moriens Jacob, post conditum testamentum, voluit dilectũ filium Joseph jurare; illaturum se ossa patris sui sepulchro parentum. *Quo jurante, Iacob adoravit Deum, conversus ad lectuli caput.* Ex mente S. Pauli ad Hebr. cap. 11. ℣. 21. non tantùm Deum, sed fastigium virgæ suæ sive baculi, quo utebatur, fuit veneratus; &

post

Digitized by Google

post suave ejus osculum, eâdem virgâ tetigit Josephum, qui similiter cum profunda reverentia fuit exosculatus. Advertite mysterium. Moriens Jacob nobis proponit Jesum morientem in cruce. Septem ejus verba in eadem cruce & morte prolata, explicant & continent articulos conditi à se testamenti. Nos omnes sumus dilectus Joseph: cùm patimur! cùm sumus in tribulatione, cùm inimici nostri nos persequuntur; cogitemus quæso, omnia adversa, nil esse aliud, quàm virgam, baculum & sanctissimam crucem, in qua amantissimus noster Jesus tam atrocia pro nobis pertulit tormenta; cùm tanto amore & dilectione, ut millies eandem fuerit exosculatus; hoc est, cum gaudio pro nobis posuit animam suam. Sed, quid si eâdem cruce, nos tanquam dilectos filios, tanquam nominatos cohæredes æternæ gloriæ, eâdem nos velit tangere, vel percutere, ut moriens Jacob suum Josephum; quid faciemus? an virgam illam abjiciemus humi, an conculcabimus pedibus? an queruli murmurabimus? num desiderabimus, ut illa virga, sive inimici nostri projiciantur in ignem? Hoc faciunt filii reprobi & rebelles tam amabilis parentis! hoc faciunt, qui spirant odia & vindictam. Hoc faciunt, qui hostibus maledicunt, & inter mille maledictiones Deum blasphemant. Aliter procedunt filii electi Jesu crucifixi! cùm patiuntur, &c. cum profunda reverentia venerantur S. Crucem, & osculantur, dicentes millies cum Jesu in cruce moriente; *Pater ignosce illis!*

Tertium osculum, symbolum pacis & reconciliationis, quam debemus inimicis, invenio in capite 24 ỳ. 8. Genesis. Tempore horrendæ famis veniunt in Ægyptum fratres Josephi, empturi frumenta. Admissi ad Josephum statim ab illo fuerunt agniti, sed *fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis. Deus enim*, inquit Philo Judæus, *vultum ejus mutaverat in augustiorem speciem.* Quo supposito, idem Philo hic discurrit: *hinc mei fratres, qui tanto me fuerunt odio prosecuti? nonne sunt illi, qui me voluerunt occidere? nunquid illi, qui me dimiserunt in cisternam? nonne illi, qui me spoliarunt tunicâ meâ? nunquid illi, à quibus, cum fletu & lacrymis peterem veniam, noluerunt exaudire preces meas? Nonne illi, qui me venditum miserunt in exilium? nonne illi, qui voluerunt mihi pessima. Ecce adest tem-*

§. 7. *Maximus Ioseph, quomodo nos docuerit dilectionem inimicorũ.*

tempus retributionis! mihi potestas est, ut conjiciam illos in vincula, & carceres; ut occidam! Dominus dedit eos in manus meas ! Talia cogitant, talia dicunt, talia agunt, qui contra legem Christi, spirant vindictam. Aliud egit piissimus Joseph, de quo idem Philo ait; *Non elatus potestate, de vindictæ occasione cogitavit; sed imperavit suis affectibus; premens atque recondens eos in animo.* Imò post tristes fratrum inter se querelas; Meritò hæc patimur, peccavimus in fratrem nostrum; sanguis ejus exquiritur; avertit se Joseph, & flevit; mox deinde deposuit larvam, suavissimis verbis inquiens. *Ego sum Ioseph! accedite ad me. Nolite pavere; osculatusq; est Ioseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos.* Cum osculo, cum amplexu, cum lacrymis, obtulit illis omnem injuriarum veniam & condonationem; pacem & amorem. Hi scilicet sunt sublimes & heroici actus charitatis erga inimicos. Etiam data occasione, non cogitare de vindicta. Imperare suis affectibus, premere illos & recondere in sinu cordis. Et insuper exterius, externis signis, suavi loquela, miti & mansueta conversatione, variis beneficiis inimico benefacere. Scio animæ piæ, quibus affectibus frequenter irruatis in amplexus Jesu crucifixi! scio quâ charitate osculemini rosea ejus vulnera; faveo vobis has delicias! si easdem ingenti incremento vultis augere; iisdem affectibus, eadem dilectione, irruite in amplexus & oscula inimicorum. Hi sunt actus heroici & sublimes, tam eximiæ virtutis; qualis est dilectio inimicorum.

§. 8. *Idem fecit Moyses.*

In qua hebraici populi ductor, Moyses, planè fuit excellens. Innumeris & gravissimis ingratus populus illum affecit injuriis; ut patet ex sacris literis. Sed quid egit Moyses? forte de cœlo evocavit ignes? forte in illos immisit ranas, locustas & serpentes? ut in Ægyptios? fortassis virgam suæ potestatis convertit in fulmina & gladios vindictæ? Aliud de mitissimo viro asserit sacer textus; Exodi 32. ℣. 11. *Moyses autem orabat ad Dominum.* Ubi S. Ambrosius l. 2. off. cap. 7. *Quantas Moyses à pupulo Dei illatas absorbebat contumelias! & cùm Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, ut indignationi divinæ plebem subduceret; quem miti sermone post injurias appellabat populum; solabatur*


Digitized by Google

tur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus. Quam nos tepidi Christiani aliter agimus! Moyses pro inimicis orat, nos omnia mala illis imprecamur: Moyses, injurias absorbet & dissimulat, nos augemus. Moyses! Deum placat, ne puniat, nos gauderemus, si videremus inimicum castigari. Moyses! mitissimus est in alloquio, nos maledicimus, & blasphemamus.! Moyses, illos fovit operibus & beneficiis, nos verbis & factis ostendimus nos esse avidos vindictæ. A Moyse ergo discamus Auditores, quomodo tractare debeamus nostros inimicos. Oremus saltem ad Dominum & ferventes pro inimicis exemplo Christi in Cruce morientis, illi offeramus preces. *Pater ignosce illis!*

Si sanctorum virorum exempla ex ipsis sacris literis de promta ad inimicorum vestrorum dilectionem vos non movent, miramini saltē facta insignium ducum apud Romanos & gentiles, Chrysanthus, generosissimus sub Dario belli dux (ut refert Xenophon in Pæd.) postquam cum adversarii exercitus Duce, diu fortiter pugnasset, cum jam prævaluisset, cum jam hostem pedibus calcaret, cum letale ferrum stringeret, audivit signum quo Darius receptui cani jussit, & surgens dixit, *Melius est Imperatori parere, quā hostem interficere.* Plane Christiane! Verum est; mundus, diabolus, appetitus honoris, desiderium vindictæ, nos stimulant ad ultionem; urget ambitio, classicum canit mala societas, alte infixa sedet animo diabolicæ scholæ maxima, gloriosum est, ulcisci.! Ex altera parte Imperator noster JESUS canit receptui, vult inordinatos & effervescentes hos reprimi motus, ait, *diligite inimicos vestros*; judicate, an non dicere debeamus. *Melius est Christo Iesu parere, quam hostem interficere.* § 9. *Heroica facta gentilium parcentium inimicis.*

Destinaverant animo aliqui milites perimere ferro certos cives, jam conjuraverant, jam digitos intinxerant sanguini, jā stricto ferro ruebant in vindictam, cum Antonius Imperator illud intelligens, compositis verbis immane facinus ita dissuasit, *Ut sermone ejus stupefacti, districtos jam & vibratos gladios, cruore vacuos vaginis reddiderint*, ait historia. Hæc gentiles! & vos Christiani, vos vindictam cogitatis? vos sanguinem sititis? vos gladios stringitis? Ecce Imperatorem vestrum Jesum pendentem in Cruce! hic § 10. *Prosecutio.*

aliud suadet,&c. (fiat patheticus & affectuosus epilogus: ponite gladios,&c.) S. Aug. tr. 52. in Joan. *Non dedignetur, quod fecit Christus, facere Christianus*, & ser. 223. de temp. *Quid vis? vindicari? Vide pendentem, audi precantem, &c.* & si potes, quære vindictam!



CONCIO XXXV.

DOMINICA VII. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Misereor super turbam,

Marc. 8. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVid sit, Misereri pauperis, cum variis invectivis & minis in illos, qui pauperes amaris verbis exacerbant.

§. 1. *Christus D. confertur cum smaragdo.*

§. 2. *Exponitur ex cap. 4. Ecclesiastici, quid sit misereri pauperis.*

§. 3. *Veram misericordiam erga egenos nos docuit S. Maria Magdalena.*

§. 4. *Et Abrahamus.*

§. 5. *Digressio ad illos, qui duris verbis contristant pauperes.*

§. 6. *Qua ratione Divites agunt cum pauperibus, illo modo Christus D. agit cum divitibus.*

§. 7. *Serium monitum S. Chrysostomi.*

§. 8. *Cur dives epulo in inferno præcipue torqueatur in lingua.*

§. 9. *Misericordia erga pauperes debet esse suavis.*

§. 10. *Eximium divitis elogium est, si dici possit, est pater pauperum.*

§. 11. *Epilogus.*

Dum

Digitized by Google

DUm ex hodierno Evangelio mihi videre videor amabilissimum meum Jesum, stantem in viridi colle, in medio immensæ multitudinis ex plebe, dum oculos meos conjicio in pulcherrimos oculos, quibus aliquot millia hominum, qui in desertum secuti illum fuerant, circumspexit, occurrit mihi vers. 3. cap. 4. Apocalypsis; *Et iris erat in circuitu ejus similis visioni smaragdinæ.* Ex quo versu aliqui SS. Patres Christum D. conferunt cum smaragdo, eò quod nulla alia gemma, infinita ejus misericordia melius explicetur. Plinius enim ait, lib. 37. cap. 5. *Nullus coloris aspectus jucundior est, nam herbas quoque virentes, frondesque avidissimè spectamus: smaragdos vero tanto libentius, quanto nihil omnino viridius comparatum illis viret.* O cœlestem smaragdum Christum Salvatorem! cujus conversatione nihil fuit jucundius vel amabilius. Cujus in loquendo, in conversando, tanta fuit suavitas, ut cœlestis hic smaragdus, instar magnetis in desertum usque ad se traxerit, aliquot millia hominum, quibus per integrum triduum sine omni cibo & potu, volupe fuit esse cum Jesu, & pascere oculos aspectu divini hujus smaragdi. *Solo aspectu smaragdi recreantur oculi, smaragdus oculorum refectio est*: multo majus solatium causavit aspectus & familiaritas Christi salvatoris, cum viveret in terris. Addit Plinius: *quorum vero corpus extensum est, eadem, qua specula ratione, rerum imagines reddunt. Nero Princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdi.* Pulcrius longe speculum in hodierno Evangelio, est Christus Salvator noster. Inter nobilissimas virtutes, quas nos docuit, hodie in illo veluti speculo, cernimus pulcherrimam imaginem ejus virtutis, quæ dicitur *Misericordia erga egenos.* Quæ illius sit essentia & nobilitas; sive quid significet hæc Christi Salvatoris vocula, *Misereor*, hac mea Concione fusius ac latius explicabo. Vos ut attendatis, enixe rogo.

§. 1. *Christus D. confertur cum smaragdo.*

Ut pauperum misereamur, varia phrasi nobis inculcat Ecclesiasticus cap. 4. dum vers. 1. ait. *Fili, ne defraudes pauperem eleemosyna; & oculos tuos ne transvertas à paupere*; hoc est, cum pauper in te conjicit oculos, ut auxilium tuum imploret, ne

§. 2. *Exponitur ex c. 4. Ecclesiastici, quid sit*

ne dissimules tu, quasi non videas, sed conjice tu quoque in illum tuos oculos, ut inopiæ ejus miserearis. Vers. 3. ait, *Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti*: hoc non differas, quin si potes, statim succurras; illa enim dilatio valde affligit corda pauperum. vers. 4. addit. *Rogationem tribulati ne abjicias & non avertas faciem tuam ab egeno*, id est, ne petentibus eleemosynam surdas præbeas aures, nec faciem alio convertas; vel ne præbeas te nimis difficilem ad dandam eleemosynam. Vers. 7. *Congregationi pauperum*, sive omnibus pauperibus *affabilem te facito*. Itaque misereri pauperis, est non defraudare pauperem eleemosyna. Misereri! est non avertere ab illo oculos vel faciem! Misereri est, non protrahere datum, ne interim cor pauperis in amaritudine sit! Misereri est, aures habere apertas ad clamorem pauperum,! Miseri est, non esse difficilem in danda eleemosyna! Misereri est, esse affabilem, & suavibus verbis alloqui pauperem.

§. 3. *Veram misericordiam erga egenos nos docuit S. Maria Magdalena.*

Talem misericordiam nos docuit S. Maria Magdalena, cum in domo Simonis, qui Christum D. invitaverat ad convivium, *lachrymis cœpit rigare pedes ejus*, Lucæ 7. vers. 44. Ubi pulchre S. Gregorius Magnus homil. 33. in Evang. Christi pedes, pauperes sunt, hi ungendi sunt oleo, & rigandi sunt lachrymis. Unguento ungit, qui eis fert opem, & eleemosynam tribuit, lachrymis rigat, qui eorum malis compatitur; jam accipite verba S. Gregorii. *Lachrymis mulier pedes ejus rigat, quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini, per compassionis affectum inclinamur, si sanctis ejus in tribulatione compatimur, si eorum tristitiam nostram putamus. Capillis quoque pedes Domini tergimus, quando sanctis ejus, quibus ex charitate compatimur, etiam ex his quæ nobis superfluunt, miseremur: quatenus sic mens per compassionem dolet, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat.*

§. 4. *Et Abrahamum.*

Cordi & manibus debet accedere lingua, ut pauperem, cui compatimur, cui eleemosynam largimur, suaviter alloquamur; hanc misericordiam nos docuit Abraham, cui cum occurrissent tres peregrini, suavissime illis dixit, Genes. 18. vers. 3. *Domine,*

si

Digitized by Google

si inveni gratiam in oculis tuis, non transeas servum tuum; afferam aquam, lavate pedes vestros, requiescite sub arbore. Ponam buccellam panis, ut confortetis cor vestrum. Imò cucurrit ad Saram, ut pararet panem; inde ad armentum & attulit vitulum tenerrimum, & optimum, & coxit; tulit quoque butyrum & lac. Deum bonum! quanta sollicitudo Abrahami. Discite ab illo Auditores, quid sit misereri pauperis. Pulchrè S. Chrysost. *Verbis suis, quasi vincula illis injecit, dum supplicat, ut recumbant, ut comedant, & quiescant.* Hoc est, quod suadet S. Gregor. l. 21. Moral. c. 14. *Adde verbum super datum bonum.*

Crudele enim est, pauperi non solùm non velle dare eleemosynam, sed duris verbis illum exacerbare. *Nam sunt nonnulli* (ait S. Gregor. l. 21. mor. cap. 15.) *qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, contumeliosa verba jaculentur. Et nonnulli licet dent eleemosynam, id faciunt, post contumelias.* Accedit ad aliquos pauper eleemosynam accepturus; vel misericordiam inventurus, acceptâ verò lethali plagâ abscedit lacrymans. Videtur esse allusio ad illum, qui incidit inter latrones, &c. Quòd quàm absurdum & barbarum sit, ostendit sanctus Chrysostomus his verbis, hom. 36. in S. Matth. *Nam si quis lapide percussus, cæteris neglectis ad genua tua sanguinolentus refugerit; altove tu iterum lapide sanguinolentum percuteres?* quid de te dicendum? *Huic sanè similis est, qui multis malis oppressum pauperem, & ad se confugientem durius accipit.* Subdit S. Chrysostomus. *Si famulus tuus ad alium famulum, similiter tuum argentum repetiturus, quod illi dederis, jussu tuo profectus sit; nec inde solùm vacuis manibus, verùm etiam omni convitio pulsus redierit.* Dic quæso, quo supplicio famulum tuum punires? cùm te ipsum ab eo spretum, & contemptum cerneres. Respexit ni fallor S. Chrysost. ad parabolam de vinea ex capit. 21. S. Matth. plantatam enim vineam locavit DEUS agricolis; qui tandem famulos à Domino missos, ad exigendum tributum, probris, fustibus, & lapidibus exceperunt. Ita hanc parabolam intelligite Aud. Vinea sunt divitiæ, quas Deus largitur divitibus; famuli sunt pauperes, qui veniunt ut in

§. 5. Digressio ad illos, qui duris verbis contristant pauperes.

in nomine Domini accipiant eleemosynas, hæ sunt fructus vineæ, quos exigit Dominus. Væ divitibus, qui servos Regis Christi malè tractant; imò qui non servos tantùm, sed Filium Christum Salvatorem in persona pauperum ejiciunt extra vineam & occidunt; quia malè perdet illos; auferetur ab illis regnum Dei; & vinea eorum devastabitur; cùm minimè putant, *mors illis auferet omnia.*

§. 6. *Qua ratione divites agunt cum pauperibus, illo modo Christus D. agit cum divitibus.*

Utinam divites immisericordes perpenderent gravissimum discursum S. Chrysost. hom. 76. in cap. 15. S. Joannis, ubi adducit verba Christi D. ex cap. 7. S. Matthæi: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Trahit S. Chrysost hæc verba ad divites & pauperes, & ait in persona Christi D. *Eadem prorsus ratione, qua vos cum pauperibus egeritis, eadem ego vobiscum agam. Si illis dederitis, & ego dabo; contra, &c. Sed hoc præsertim moneo; si insuper scommata in eos jeceritis, ego quoque suo tempore vobis maledicam. Injuriam pauperi illatam, meam reputo, & vindicabo.* Audite immisericordes: nunquid mendicos subinde compellatis, pigros, nebulones, &c. Christum ita compellatis. Nunquid maledicitis? Christo D. maledicitis. Nunquid vacuos dimittitis? Christum ita dimittitis. Clara sunt verba ipsius, Matth. 25. ℣. 40. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* & ℣. 24. *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare,* &c. ac si dicat Christus, ego ipse in paupere esurivi; ego nudus fui, &c. proinde mihi intulistis injuriam, non dando eleemosynam: mihi insultastis, &c.

§. 7. *Serium monitum S. Chrysost.*

Tum idem S. Chrysost. hoc addit monitum. *Quod si dare nihil placet; noli tamen maledictis prosequi; si non vis naufragio liberare, noli in profundum demergere. Scias enim cum accedentem pauperem expellis, qualiter tibi Deum affectum reddas: qua enim mensura,* inquit, *mensurabitis, mensurabitur vobis. Neque illi quidquam amplius dicent; sed Deus pro illis nos reprehendet. Nam & Lazarus à divite visus est, nec tamen quidquam dixit, sed Abraham ejus vices suscepit: ita & pauperibus eveniet; qui nunc à nobis contemnuntur.* Denique ita pungit divites. *Vestri causa Deus permittit esse pauperes, ut per eleemosynam peccata vestra possitis abluere; tu autem in hos crudelis, & immanis es! Irritas factorem ejus!* ipse *permisit in tui gratiam* pau-

Digitized by Google

pauperes fieri, & tu eum vituperas. Quantæ improbitatis sunt ista quâtæ ingratitudinis est hoc factum. Quid superest, nisi ut *maximæ clementiæ occasio*, aliquando divitibus, &c. *indignationis multa, multa ultionis & pœna sententia.*

Miratur S. Augustinus, quod Luc. 16. dives epulo inter infernales flammas, petierit sibi refrigerari linguam. Cur non caput, cur non manus, &c. cur non reliqua membra, quæ omnia sepulta sunt in inferno, & inferni ignibus exuruntur. Dubio respondet S. Augustinus ser. 125. de temp. *Magis de ardore linguæ conqueritur dives, quia lingua acrius uritur: Vritur autem magis*, v. gr. quàm manus, quia licet hæ eleemosynam negaverint, *lingua tamen durius contra illos locuta est.* Longè autem gravius peccat, qui verbis sævit in pauperem, quàm qui eleemosynam negat. *Attendite fratres* (ait S. August.) *totum divitis corpus flammis gehennæ consumitur, & tota lingua magis cruciatur. Ideo sine dubio in lingua sentit majorem ardorem, quia per eam superbè loquendo contempserat pauperem.* Cavenda itaque nunc omnia illa verba, quibus amaritudo pauperis, ob suam egestatem magis exacerbare potest. § 8. *Cur dives epulo in inferno, præcipuè torqueatur in lingua.*

Peculiarem divinæ misericordiæ proprietatem vel circumstantiam extollit David, cùm ait Ps. 108. ℣. 15. *Et tu Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.* S. Basilius vertit, *quia benigna, vel bona est misericordia tua.* Talis v. g. fuit misericordia Christi D. in hodierno Evangelio; dum non tantum sollicitus fuit de pane, &c. Sed famelicos, & sitibundos, & fessos, suavissimis verbis fuit allocutus, *Misereor super turbam.* Tum scilicet & nostra misericordia est suavis, benigna, bona, cùm erga egenos sumus affabiles. § 9. *Misericordia erga pauperes debet esse suavis.*

Similem misericordiam nos docuit Job, cùm dixit cap. 29. ℣. 16. *Pater eram pauperum; cumq; sederem sicut Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Itaque, prout parentes solliciti sunt de filiorum utilitate, &c. ne laborant, ut nihil illis desit, ita divites paterna cura debent invigilare, ut nihil desit pauperibus. Non absque causa S. Ambros. ser. 81. *Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu recludis; miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu in terra defodis.* § 10. *Eximium divitis elogium est, si dici possit, est Pater pauperum.*

Ideo


Ideo Christus D. ait Luc. 6. ℣ 36. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* O eximium elogium! v. g. alicujus Principis, si dici possit: Est pater pauperum. Alicujus Canonici; Est pater pauperum. Alicujus Consiliarii; dedit illi Dominus divitias, &c. sed est Pater pauperum, &c. (hoc modo fiat pulchra inductio.) Motiva, quibus SS. Patres divitibus conantur persuadere hanc misericordiam, sunt magni ponderis, & fundata in sacris literis. Paulò antequam ignis de cœlo plueret super Sodomam, duo Angeli, veluti peregrini ingressi sunt in urbem, & Loth humaniter illos invitavit ad suas ædes: & ait Origines hom. 5. in Gen. *Audite hæc, qui peregrinis clauditis domos; audite, qui hospitem, velut hostem vitatis. Loth in Sodomis habitat; alia ejus bene gesta non legimus; hospitalitas sola memoratur. Per hanc evadit ignes, evadit incendia, ob hoc solùm quod domum suam patefecit hospitibus. Hospitalem domum Angeli ingressi sunt, clausas hospitibus domos ignis ingressus est.* Confirmat hoc S. Petrus Chrysologus in S. Matth. *Misericordem nescit divinus ignis exurere; faciat ergo misericordiam, qui vult gehennæ incendium non timere. Da ergo panem, da potum, da vestimentum, da tectum; si Deum debitorem & protectorem non Iudicem vis habere. Nihil nobis nocebit in terra, si nobis in terra Misericordia sit patrona.* Et S. Ambrosius serm. 30. *Sit illis misericordia, fons salutis, quibus avaritia NN. fuit mortis incendium; ut flammas, quas sibi peccando accenderunt, largiendo restinguant.* Cùm dives citabitur ad judicium, licet sit potens, licet habet amicos, &c. *hæc omnia tum erunt inutilia.* Epulo ille, dives fuit valde; sed nihil illi profuerunt divitiæ. Nihil cum illis transmittetur in illud judicium, non præsidium pecuniæ, neque vires potentiæ, sed neque ulla necessitudo, aut cognatio: non licet illic solutis pecuniis, aut ullo pretio corrumpere Judicem, & animam servare. In præsenti vita faciendi sunt amici, pecunias erogando & consumendo facultates in egenos. Si nihil horum feceris, nihil ibi te defendet; non magnorum amicitia, &c. Sed quod ex mammona facti sunt amici. Hæc tua sint opera, eleemosyna, clementia, & in pauperes munificentia. *Sine his* (ait S. Augustinus serm. 25 de verbis Domini) *negatur in pœnis misericordia diviti, quia ipse dum viveret,*

noluit

Digitized by Google

noluit misereri. Ideo rogans dives non miseretur in tormentis, quia rogantem pauperem non audivit in terris. D. Chrysostomus homil. 65. ad popul. *Hæc audiant divites, imo vero non divites, sed misericordia carentes; non enim* (loquitur de divite epulone) *quia dives erat, puniebatur, sed quia misericordiam non exhibuit; potest enim fieri, ut locuples miserens, omne bonum consequatur.*

Fiat elegans Epilogus. §. II. *Epilogus.*



CONCIO XXXVI.

PRO DOMINICA VIII. POST SS. TRINITATEM.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur,

Matth. 7. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Ostendit, solam fidem, & fiduciam in Christum, in adultis non sufficere ad salutem, sed requiri charitatem, atque alia opera bona.

§. 1. *Cur Iosue, pro habitatione elegerit montem Ephrem.*

§. 2. *Fructus bonarum arborum, sunt symbolum virtutum & bonorum operum.*

§. 3. *In quo fundamento regius Psaltes fundaverit spem suam.*

§. 4. *Occurritur objectioni, quæ ait Christum Dominum pro nobis*

§. 1. Cur Iosue, pro habitatione elegerit montem Ephrem.

JEsus Nave, sive Josue, cum post debellatos hostes, post victorias & triumphos, terram promissionis, filiis Israel, sapienter distribuisset, sibi quoque partem reservavit, in qua urbem construeret, & habitationem; & licet in vulgatis bibliis pars illa expresse non nominetur, LXX. tamen Interpretes in cap. 21. Josue, post versum 40. hæc verba adjecerunt; *Et dederunt filij Israel portionem JESV per constitutionem Domini, dederunt & civitatem quam petiit, in monte Ephrem, & ædificavit Jesus civitatem, & habitavit in ea.* Quam versionem secutus Origenes, eandem acutè hoc modo exponit, homil. 26. in Josue. *Dominus Iesus petit à nobis locum quem ædificet, & in quo habitet. Videamus ergo, quis sit ille locus, in quo habitare debet Iesus? in monte inquit Ephrem, hoc est, in monte fructifero;* - inter fructiferas arbores - *Qui putas sunt in nobis montes fructiferi, in quibus habitet IESVS? ille profectò in quibus sunt fructus spiritus, gaudium, pax, patientia, &c. isti ergo sunt montes fructiferi, qui fructum Christi afferunt.* Ex hoc loco advertite, quid Christus D in hodierno Evangelio intelligat per arborem bonam, & quinam sint illi fructus, quos à nobis exigit: facile intelligemus an simus montes fructiferi, in quibus Jesus habitat.

§. 2. Fructus bonarum arborum sunt

Lib. 2. Esdræ cap. 8. Nehemias mœrentem populum, ad magnam lætitiam festi tabernaculorum his verbis invitavit vers. 15. *Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi*

Digitized by Google

pulcherrimi, frondes myrti & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fint tabernacula: & egressus est populus: & attulerunt. Ubi Stephanus Cantuar. apud Tilmannum in allegoriis ait: *Per olivam opus misericordiæ, per myrtum, opus temperantiæ, per palmam spes veniæ, & c. intelligitur. His itaque frondibus, & his ramis in platea portæ Ephraim tabernacula fiunt, quando prædictæ virtutes à pruina tentationis, & calore delectationis animum fructificantem undique defendunt. In platea portæ Ephraim,* ait glossa, *id est, frugiferi vel crescentis, quando in latitudine liberi cordis, ita proficimus, ut patefacta nobis à Domino porta justitiæ, semper in illo crescamus in salutem, & in majoribus bonæ actionis frugibus abundare mereamur.* Ex quo discursu ego infero, Christum D. in hodierno Evangelio, per arborem bonam, in monte Ephraim, sive in Ecclesia nihil aliud intelligere, quam animum hominis fructificantem, sive crescentem, & operibus bonis abundantem & hoc in salutem: hoc est, Christus D. ad promerendam vitam æternam à nobis exigit opera bona. Scio hanc doctrinam displicere nostris adversariis, illis præsertim, qui *solam* fidem & spem sive fiduciam in Christum, putant sufficere ad salutem. Contrarium ostendam hac Concione.

Symbolum virtutum & bonorũ operum.

Eximia & Theologica virtus, est spes & fiducia, fundata in DEI misericordia, & infinitis meritis Christi Salvatoris, sed *sola* præsertim in homine peccatore, non sufficit ad salutem. Quod regius Psaltes sapientissime videtur advertisse. Percurrite centum & quinquaginta ejus Psalmos, in sexaginta & pluribus reperietis nobilissimos actus hujus virtutis. v. g. Psalmo 7. vers. 1. *Deus meus in te speravi.* Psalm. 21. vers. 6. *In misericordia tua speravi.* Psalm. 15. vers. 1. *quoniam speravi in te.* Psal. 17. vers. 3. *adjutor meus, & sperabo in eum.* Psalm. 41. vers. 20. *Non erubescam, quoniam speravi in te.* Psalm. 25. vers. 1. *In Domino sperans non infirmabor.* Psalm. 27. v. 7. *In ipso speravit cor meum.* Psalm. 26. vers. 3. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo, &c.* Sed quodnam Regio Psalti fuit fundamentum, & solida basis tantæ spei, & fiduciæ? an sola Dei bonitas? an infinita ejus misericordia & benignitas? an *sola* fides de venturo Messia? De alio fundamen-

§. 1. In quo fundamento regius Psaltes fundaverit spem suam.

Digitized by Google

to ipse loquitur in Ps. 51. v. 10. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in aeternũ, & in saeculũ saeculi.* Quasi diceret, spero, sed non otiosus vel infructuosus, oleo enim charitatis delibutus, & bonorum operum fructibus locupletatus, instar olivae fructiferae in Deo fiduciam reponebam. Nam *vir justus* (ait Theodoretus hic) *spem in Deo fixam habet, & per illam, laborare, & laboriosos virtutis fructus producere non recusat.* Psalmo 4. vers. 6. ait, *Sacrificate sacrificium justitiae;* (quae virtus plures alias, & actus multorum bonorum operum necessario involvit) *& sperate in Domino.* Psalm. 36. vers. 3. *spera in Domino* sed simul (*fac bonitatem*). Nam *bona opera* (ait Auctor op. imperfecti.) *sunt, quae sperare faciunt, & mala opera desperare compellunt.*

§. 4. *Occurritur objectioni quae ait Christum pro nobis esse mortuum. Sed ille ostendit se aliud adhuc à nobis exigere.*

Sed satisfecit pro nobis Christus D.: ille pro nobis mortuus est, & pretiosum suum sanguinem effudit: valor meritorum ejus est infinitus & immensus: infinita & immensa ejus misericordia. Ita est! sed simul certissimum assero; nec propter ejus mortem, neque propter pretiosum sanguinem, neque propter infinita ejus merita, nos obtenturos salutem, nisi divinae gratiae cooperemur, &, ut Apostolus loquitur, *per bona opera vocationem nostram certam faciamus.* Quod in Simone Cyrenaeo puto fuisse adumbratum: dum enim Christo D. bajulanti Crucem in montem Calvariae, occurrit, coactus fuit simul cum Christo portare crucem: ut sciamus non satis esse Christum D. solum bajulasse crucem, sed si cum eodem in gloriam intrare volumus, necesse est, ut & nos crucem portemus. Sic est, Christus D. coronatus fuit spinis; vult, ut & nos subinde sentiamus spinas. Fuit affixus Cruci; vult nos quoque per mortificationem affigi Cruci. Verbo, necesse est, ut simus socii passionum, si tantae gloriae volumus fieri participes. Praeter Christi D. merita praeter infinitam Dei misericordiam, noster labor requiritur. Opera bona firmant spem nostram.

§. 5. *Rebecca, quã fuerit sollicita ut filio à Patre*

Pulchram figuram reperio in veteri Testamento in c. 27. Gen. Rebecca divino instructa oraculo, certissime sperabat futurum, ut dilectus filius Jacob, à patre Isaac paternam obtineret bene-

dictionem

dictionem: nihilominus ad hunc effectum consequendum, quantam adhibuit diligentiam? mittendo filium ad venationem, mactando vitulum, coquendo cibos, vestiendo manus Jacobi hædinis pellibus? Eja Rebecca! quid opus est tantâ curâ & sollicitudine? ad quid hi labores? nunquid DEUS, qui nec falli, nec fallere potest, jam promisit filio benedictionem? Optimè respondit S. Chrysostomus: Rebeccam non dubitasse de certitudine benedictionis; scivisse tamen necessariam esse suam cooperationem, ad ponendas certas circumstantias, quibus Deus voluit illam benedictionem obtineri: & addit sequentia hom. 53. in Genes. *Vult Deus etiam nos aliquid conferre, ut non totum sit superni auxilii. Neque à nobis exigit totum, sciens infirmitatem nostram: sed suam servans misericordiā, ut illi cooperantes fiamus salvi.* *obtineret benedictionem.*

Josuæ 6. ℣. 7. promisit illi Dominus, muros Jericho ruituros ad solum sonitum tubarum: nihilominus dixit militibus: *Ite & circumite civitatem armati, præcedentes arcam Domini.* S. Chrysost. in Psalm. 43. *Si mœnia erant casura, cur armis induuntur.* Respondet P. Mendoza: *Josue voluit, ut virtuti divinæ conjungeretur humana industria; ne divino auxilio nimium fisi, putarent nihil sibi laborandum.* Duplici gladio est opus, juxta ℣. 20. cap. 7. Judicium; *Gladius Domini, & Gedeonis.* Sic est. Pulcherrima Jericho, volui dicere, pulcherrima & cœlestis Jerosolyma, per Dei misericordiam nobis omnibus patet; sed duo sunt necessaria: primò, ut præcedat arca; ut fidamus infinitis Christi D. meritis: deinde, ut nos simus armati, parati semper ad prælium, cùm cœlestis Josue Christus Salvator noster dixerit Matth. 11. ℣. 12. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sine pugna & labore non apprehendemus bravium cœlestis gloriæ. §. 6. *Virtuti divinæ debet conjungi nostra industria.*

Teste Plutarcho, adolescens filius strenui Ducis, post patris obitum, ingentes divitias brevi tempore dissipavit. Inopiâ pressus confugit ad Regem: breviter ita perorans. *Augustissime Rex, ut pauperi succurras demississimè rogo; si ego tantam gratiam & clementiam non mereor; meritus illam est meus progenitor, qui sub tuis vexillis fortissimus fuit miles, & vitam sanguinemque pro regni tui incolumitate profudit, Miserere!* Respondit Rex prudentissimus: *at ego* §. 7. *Non alienis, sed propriis meritis, statutum est præmium.*

Digitized by Google

adolescentule, non ob patris, sed ob proprias cujusque viri virtutes, mercedem & munera dare soleo. Idem aliquando supremus Judex sceleratis peccatoribus, cùm gravissimorum scelerum rei, propter merita passionis petent misericordiam, respondebit. (poterit fieri pulchra applicatio.) Quod S. Hieronymus confirmat ep. 72. *Vnusquisque pro operibus suis mercedem recipiet; nec possunt in die judicii, aliorum virtutes, aliorum vitia sublevare.*

§. 8. *Quibus cōferatur merces cœlestis gloria.* Cùm Cicero intellexisset, fratrem suum Romæ petere consulatum, illi dixit: *mi frater, peregrinus es, & Romæ petis tantam dignitatem;* quasi diceret, tantum honorem non conferri, nisi viris, qui longo tempore, de republica sint bene meriti, & post multos & graves exantlatos labores, post prælia, victorias, & triumphos. Talis merces, est gloria cœlestis, &c.

§. 9. *Clypeo, jūgenda est dextera armata gladio.* Refert Cœlius Rhodiginus lib. 6. Ducem Demetrium filium Antigoni Regis Macedoniæ, alicui Duci, dissuadenti obsidionem Babyloniæ, eò quod Babylonica scuta telorum ictus irriderent, acutè respondisse, *si scuta Babylonii habent, dexterâ carent;* quasi diceret, fortis miles solo scuto non vincet, nisi accedat dextera armata gladio, vel hastili. *Nunquid scuta poterunt illos salvare?* Idem dicamus de clypeis fidei & spei, quibus v.g. Lutherani sese salvare volunt: frustra amici mei, dextera gladio, sive cooperatione est opus. S. Jacobus cap. 4. ỷ. 14. *Quid prodest fratres mei, si fidem quis sese dicat habere, fidem autem non habeat :: nunquid poterit fides salvare eum.* Eleganter Theodoretus in cap. 6. ad Ephesios. *Quicunque Christi fidelis, si scuto fidei tantùm tectus, ex hoc bello ad cœlestem triumphum, transire sperat, decipitur. læva enim cordis, scutum fidei amplectens, dexterâ Christianas operationes exercere debet.*

§. 10. *Dictum Alex. M. & S. Augustini.* Ignavo militi, gerenti tamen nomen Alexandri, Alexander M. dixit: *aut nomen muta, aut gere te ut Alexander*: q. d. ego sum fortis, audax, &c. talis esse debes. S. Augustinus videtur fuisse memor hujus dicti, cùm dixit: *Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur: si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere; & per bona opera Christiani nomen tibi assume.* S. Ambrosius in cap. 4. ad Hebr. *Non sufficit fides; sed debet*

addi

Digitized by Google

addi vita, fidei condigna. Opus quippe est, omni volenti cælum possidere, fidem operibus ornare, &c.


Repeto. Non sufficit scutum fidei, vel spei. Cùm ignavus miles Minervam consuluisset, an contra hostem esset futurus victor, vel non? respondit Minerva; *hilari animo eas, victoriam consequeris.* Vadit, arripit scutum, occurrit hosti; sed cum suo clypeo stetit immotus; ideo cùm à hoste dejiceretur in terram, clamavit: *Ubi est Deorum fides? nonne Minerva mihi victoriam promisit?* & audivit de nubibus vocem: *Tu quoque cum Minerva manum admove, Dii facientes juvant.* (Potest hæc historia pulcherrimè applicari Lutheranis, qui per *solam* fidem sperant se salvos fore.) *§. 11. Dii facientes juvant.*

Superest elegans similitudo. Quamdiu avicula implumis jacet in nido, sollicita est mater, ut necessarium afferat cibum, avicula quiescit & pascitur, sine proprio labore. Verùm quamprimum creverunt plumæ & alæ, ut volare possit, mater de sustentatione non amplius est sollicita, sed circumvolitat nidum, instruit, provocatque pullos ad volatum: q.d. mea avicula, nunc ipsa tuo labore de cibo tibi debes providere; eja ad agros, ad campos, ad sylvas, nisi fame velis perire. Nos sumus pulli Auditores, quos peperit Jesus in cruce; quibus in baptismate dedit vitam gratiæ; nidi sunt sanctissima ejus vulnera, in quibus parvuli suaviter quiescunt. Jesus veluti nutrix & mater nostra, provida est, ut nutriamur delicatè, ut crescamus. Verùm postquam adulti facti sumus, amplius quid à nobis exquiritur; alæ scilicet & plumæ eximiarum virtutum, & bonorum operum, quibus evolare debemus in montem perfectionis, ut pascamur pane fortium. Advertite ex hoc simili, Lutheranos & adversarios nostros esse aves sine plumis; nos Catholici sumus pulli Christi, ornati plumis & alis bonorum operum. Comparatio, bono innititur fundamento. 1. Alæ ornant avim; bona opera ornant animam. 2. Plumæ conservant calorem in corpore; multò magis bona opera calorem charitatis in anima. 3 Sine alis, volucris serpit humi; & homo Christianus, sine plumis virtutum. Et de congruentia & necessitate bonorum operum, quis dubitabit? *§. 12. Eleganti similitudine ostenditur congruentia & necessitas bonorũ operum.*

Epilogum mihi suggerit D. Cyrillus Alexandrinus in cap. 1. *§. 13. Epilogus.*

Mala-

Malachiæ: *Quærenda à nobis, quæ Deo sunt honorifica; & ad opera sancta incumbendum. Glorificabitur autem à nobis Pater universorum Deus; si non quod nobis amicum & jucundum est, agere studuerimus, sed illi potius mentem nostram dedicaverimus; & in omnibus ad ejus nutum nos confirmaverimus.* Vel ob hoc unicum argumentum mihi displicet adversariorum doctrina, de *sola* fide & spe justificante, quod permittat omnia, quæ carni & sensualitati sunt jucunda & amica; imò portam aperiat ad gravissima scelera; quod fusa inductione facile poterit demonstrare; Contra doctrina Catholica longe conformior est doctrinę Christi, quia via ad cœlum facit arctam & angustam, &c.



CONCIO XXXVII.

DOMINICA IX. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Redde rationem villicationis tuæ,

Lucæ. 16. ℣. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliquas circumstantias, quæ in persona Christi Judicis, potissimùm considerandæ sunt, cùm ad judicandum venerit.

§. 1. *Brevis Propositio.*

§. 2. *Supremus Iudex Christus D. quo sensu dicatur leo, & quo sensu ursus.*

§. 3. *Moyses mitissimus; tamen in furore arguens scelus populi, fuit figura Christi Iudicis.*

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. *Christus D. Iudæos flagello eiiciens è templo, prælusit furori, quo in die judicii exsurget in impios.*
§. 5. *Christus D. gloriosus in monte Thabor terruit amicos, quomodo in illa die terrebit impios?*
§. 6. *Terribilis aspectus Iudicis*
§. 7. *Terribilis ejus vox!*
§. 8. *Supremus Iudex, quo diutius differt judicium impii: eo crudelior erit in vindicta.*

IN meditatione finalis judicii, de quo agit hodiernum Evangelicum, cupio vos serio & acurate considerare, personam supremi Judicis, qui aliquando in tremenda illa die nos judicabit. Melius ego illum depingere non potero, quam illis coloribus, quos Spiritus Sanctus ex sacris literis mihi suggerit, dum facio, rogo ut benevole me attendatis. *§. 1. Brevis propositio.*

De Judice, ira percito & inflammato in peccatores ait Amos cap. 5. vers. 18. & 19. *Væ desiderantibus diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini ista tenebræ, & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus.* Duorum animantium fit comparatio, cum Christo Salvatore nostro, ita nimirum, ut sceleratis pœnitentibus in primo adventu sit leo, sceleratis vero impœnitentibus, in secundo adventu, sive in suprema orbis devastatione, & finali judicio, truculentus ursus. Notissimam harum ferarum naturam, & similitudinem ita expendit Rupertus. *In utraque similitudine, diem intelligimus Domini, sive primum & secundum adventum ejus. A facie leonis hujus fugere volentibus, occurret ursus, id est, inevitabilis terror secundi adventus; & merito talis ursus illis occurret, quoniam fugerunt à facie leonis. Debuerant namque potius coram illo leone prosterni, id est, agere pœnitentiam ad prædicationem Evangelii Christi, sicut enim leo, prostrato parcere dicitur homini, sic parcit Christus peccatori pœnitentiam agenti.* Addit autem P. Ribera. *Parcit leo homini prostrato, & iram suam cohibet: at fugienti à facie leonis ursus occurrit; qui neque prostratis parcet, id est Christus D. in secundo adventu, quo inimicos suos æterni ignis pæna puniet, & quasi* *§. 2. Supremus Iudex Christus D. quo sensu leo, & quomodo ursus.*

Digitized by Google

ursus lacerabit. Ita erga Magdalenam ad pedes suos postratam & lachrymabundam, erga plorantem Petrum, erga pœnitentem latronem pius, clemens & benignus fuit, visceraque misericordiæ ostendit: in altero adventu, post hanc vitam, cum clausa est janua pœnitentiæ, impœnitentibus instar ursi occurrit; totam iram & vindictam effundit, ut experiantur terrificum vultum irati Judicis, qui piissimi Regis clementiam despexerunt.

§.3. *Moyses mitissimus, tamen in furore arguẽs scelus populi fuit figura Christi judicis.*

Ut iratus Moyses, audaciam sceleris puniat, quo populus adoravit vitulum, ait ad Levitas Exodi c. 32. v. 26. *Ponat vir gladium super femur suum: ite & redite de porta usque ad portam, per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem & amicum, & proximum suum, feceruntque filii Levi, juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Crevit Moysis accensus furor, cum v. 20. *arripiens vitulum, quem fecerant, combussit & contrivit usque ad pulverem.* In quo nescio quid magis demirer, an Moysen hominem alias mitissimum ita excandescentem, & divino quodam furore exæstuantem, an vero populum tanto terrore perculsum, & Moysis voce, quasi quodam ictu terrifici fulminis exanimatum? Unde quæso tantus pavor & formido in fortissimo exercitu? nonne aliarum tribuum præliares copiæ Levitarum cohortem potuissét sistere, & cohibere? cur nemo ex tot millibus Moysi se opponit? cur nemo sistit tam copiosi sanguinis effusionem? Argute respondet sapientissimus Abulensis, quæst. 30. *Licet Deum illum diligerent, quem colerent, pro quo fabricando spoliarunt se auro suo: tamen ad præsentiam Moysi, vitulum illum conculcantis, & in eorum confusionem maximam destruentis, nullus aliquid faciebat, quia invaserat eos timor & tremor, & occupaverant eos tenebræ.* Et apte subjungit. *Moyses in reditu suo fuit in vultu terribilis, emittens aliquos radios de vultu suo ad terrorem malorum, ut non auderent ei repugnare.* In tanta procella nullus mutire fuit ausus, nec repellere impendentes cervicibus gladios, invaserat eos timor & horror. Et quid fiet in tremenda illa die, non Moyses, sed Dei Filius omnium judex excandescet in iras; quando terrifica voce veluti fulmine impios vocabit ad judicium? quis illi resistet? quis timor nos invadet, quan-

do

do ad terrorem malorum terribiles de vultu suo jaculabitur ignes? cui, nemo, nemo audebit repugnare! cujus justo furori nemo se opponet.

Prælusit quodammodo huic furori, in terris Christus D. cum Joannis cap. 2. vers. 14. *invenit in templo vendentes boves & oves, & columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves & mensas subvertit.* Mirabile spectaculum! admiratione plenum! cernere Jesum dexteram semper extentam ad benefaciendum, quæ cœcis dabat lumen, quæ surdorum aperiebat aures, mutorum solvebat linguas, &c. nunc scutica armatam, ita irruere, & desævire in impios. Sed quid est, quod cum alias contra Christum se armaverint, maledictis, contumeliis, minis, sic lacessiti verberibus nec verbulo fuerint oblocuti, sed illico fugam capessiverint? Ostendit nimirum Jesus in hac actione, insignia quædam & specimen formidandæ potestatis, cui nemo potuit resistere. Hugo Cardin. *Dicitur autem quod quidam radii claritatis exibant à facie ejus, quibus exterriti illi homines fugiebant à conspectu ejus, non valentes ei resistere.* Et Abulensis in S. Matth. Quod nemo Christo D. se se opposuerit *potuit fieri, per solam ostensionem terroris in facie, poterat enim aliquid ita terribile videri in vultu Christi, quo conspecto omnes qui respicerent, timerent & caverent ab eo.* Et paulò post. *Ostendit in vultu suo Christus aliquid terribile, scilicet fulgoris radios procedentes, quibus hostes exterriti, nec verbo resistere auderent.* Et quid audebit homo contra iratum Deum? & minacem illius vultum, qui solo aspectu gentes dissolvit, montes conterit, & petras collidit. Quanta quæso erit comminatio furoris de cœlo, in sua majestate venientis, in excelso throno coram Angelis judicantis, qui in terris positus, in abjecta humanitatis forma, sic apparuit formidabilis? si tanto timore percellit inimicos ostentans flagellum, quem horrorem incutiet, cum cædet eos scorpionibus dicens: *Non novi vos, ite maledicti in ignem æternum.* Ubi S. Chrysost. homil. 24. in Matth. *Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est, à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque*

§ 4. *Christus Judæos flagello ejiciens è templo, prælusit furori quo in die judicii exurget in impios.*

esse Christo, & audire ab illo, non novi vos. - Est enim satius mille fulmina sustinere, quam vultum illum, mansuetudinis pietatisque plenum, nos tamen aversantem videre; illos placidissimos oculos, nequaquam nos aspicere sustinentes.

§. 5. *Christus D. gloriosus in monte Thabor terruit amicos: quomodo in illa die terrebit impios?*

Cum Matth. 17. Christus D. tres Apostolos, Petrum, Jacobum & Joannem secum duxisset in montem Thabor, illisque ostendisset gloriam suæ Majestatis, prout citatum capit exponit, ait versu 6. *Et discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Sed cur timuerunt ex tam amœno spectaculo? quæ causa formidinis, in tam amabili facie? in niveis vestimentis? in aureis nubibus? quæstionibus similibus respondet Albertus Mag. ex D. Chrysostomo. *Timuerunt valde non aliquid mali, quod ibi non erat, sed terribili insolita majestatis coruscatione, quam humana infirmitas sustinere non poterat,* hoc est, humana infirmitas sustinere non valuit illud pondus eximiæ gloriæ, & splendorem è facie Jesu emicantem, cœlestesque radios, unde horrore perculsi, constrictis fulgore luminibus, in terram proruunt, præsertim dum vox de cœlo accederet: *Hic est filius meus dilectus*, sive, hic est Judex vivorum & mortuorum. Et ceciderunt in faciem, & timuerunt; quinam? dilecti Apostoli, amici, fratres Christi. O mortales! O scelerati! O impii, quis vobis ergo erit sensus? quis timor? quis pavor? cum vos! vos hostes Christi,! vos inimici Crucis ejus! vos blasphemi, &c. stabitis ante faciem judicantis; cum audietis terribilem vocem: Hic est! quem in pauperibus non pavistis! hic est, quem crucifixistis! hic est; cujus sanguinem pedibus conculcastis! Quo pavore? quo metu? qua trepidatione hæc audietis? in die illa tremendi Judicii.

§. 6. *Terribilis aspectus Judicis.*

Exodi cap. 14. ait v. 24. *Jamque advenerat vigilia matutina* (cum Pharao cum exercitu suo vellet persequi Hebræos per mare rubrũ) *& ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, super columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & subvertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum.* Quam horribiles iras, & flammas jactaverit hic iratus vultus Domini, & illius aspectus, edocet Hugo Card. *Respiciens Dominus per columnam ignis, id est, intolerabiles imbres, & gravia tonitrua, & coruscantes lampades injecit in eos.* Quæ verba desumpta videntur ex Josepho lib. 3. cap. 7. qui ait.

Accesserunt

Digitized by Google

Accesserunt & imbres de cælo, & aspera tonitrua, fulguribus simul intermicantibus: fulmina quoque deferebantur, & nihil omninò deerat eorũ, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent. Quis hinc timor? quis pavor? in quo timore & pavore delati sunt in profundum maris rubri. Terribilis hæc historia est tantùm imago tremendi illius diei, in qua tandem Christus Salvator noster, non de columna ignis, sed sede majestatis suæ, respiciet impios; hoc est, intolerabiles imbres, & gravia tonitrua injiciet in eos, &c. (hoc modo fiat pathetica dictorum repetitio.)

Joannis 18. cap. cùm Judas cum cohorte militum, & servis Pontificum, hortum Gethsemani ingrederetur, ad inferendum manus & vincula, Jesu Nazareno, ait illis Jesus ℣.6. *Ego sum, ut ergo dixit, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Ubi S. Augustinus. *Ubi nunc militum cohors? ubi terror? & munimen armorum? una vox turbam odiis ferocem, armisque terribilem, sine ullo telo percussit, repulit, stravit.* Et statim. *Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit?* Quam quæstionem S. Gregor. M. ex cap. 26. Job ita proponit: *Cùm vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* & ait cum S. Maximo, dicens in horto: *Ego sum -- vocem solummodo mitissimæ responsionis edidit! & armatos persecutores suos protinus in terram stravit. Quid ergo facturus est, cùm judicaturus venerit, qui una voce hostes suos perculit, etiam cùm judicandus venit. - Quis ejus irã toleret, cujus & ipsa non potuit mansuetudo tolerari.* Si tam minaciter terret balatus Agni, ligandi ad victimam; quomodo vox leonis rugientis ad vindictam, perturbabit impios? si in ipsa pietate, & incomprehensibili desiderio patiendi, & moriendi pro humano genere, tanta eminet justitiæ severitas, quanta splendescet in throno, in quo sedebit judicaturus vivos, & mortuos.

§. 7. Terribilis ejus vox.

Vide patientiã, & longanimitatem Dei nostri, (ait S. Petr. Dam. ser. 57) *Hæc fecisti, ô impie, & tacuit. Omnia videt, omnia audit, vidit hactenus omnia opera & peccata tua, recursus & excursus flagitiorũ, & continuit irã suam. Videt: nec judicat: vocat, & nõ audis: promittit & contemnis; minatur, nec metuis, & thesaurizas irã tibi in die iræ. Cùm sit Judex justus & fortis, tamen multum est patiens, nec irascitur per singulos dies.*

§. 8. Supremus Iudex, quò diutius differt judiciũ impiorum, eò erit crudelior in vindicta.

Digitized by Google

dies. Continet iram, reprimit furorem, avertit oculos, peccatoribus parcit. Sed tandem: nunquid qui ita tacuit & siluit, semper ita tacebit? An non legisti, quia ad judicium veniet, patientiam abjiciens, humilitatem nesciens, ignorans misericordiam. Attendisti patienter tacentem, attende & impatienter loquentem. Sicut parturiens, inquit, *loquar.* Quid exaggeratius? O peccator cave! Quantò magis differtur judicium, tanto majore impetu venturum est; sicut quātò magis funis in arcu extenditur retrorsum, tanto deinde majore impetu ferit sagitta. Unde David in Ps. 59. ỳ. 6. tam seriò nos monet, ut dum tempus est, impii - *fugiant à facie arcus.* Itaque qui Christum D. venturum Judicem timet, illum tanquam sagittariū consideret, qui quo magis ac diuturniùs nervum retro contendit, eò robustiùs ejaculatur sagittam, & fortiùs periculosiusque sauciat. Arcum contendens, illius retractu; *tela vegetat,* inquit Tertullianus. Guerricus serm. I. de Nativitate. *Etsi potestas & terror apud ipsum est, totum tamen interim dissimulat, donec - vel - pœnitenti parcat, & confitentem recipiat; vel tandem justas in impœnitentem effundat iras.* S. Hilarius. *Non enim Deus rapit humanorum criminum occasiones, neque tanquam infirmitatis nostræ, naturæque nescius ipsum illud ad pœnam erroris & peccati nostri tempus invadit. Sed dissimulat & differt; pœnitentiæ solatium dilatione ultionis exspectat, suavem se omnibus præstans. - Hoc in Deo potente laudandum!* Millies, millies sit bonus Jesus benedictus ob tantam patientiam & longanimitatem: sed hæc nimis diu, & tam graviter læsa, fit furor. Ut tandem parturiens cum fremitu dicat: Hæc fecisti, & tacui; quid est, tacui, nisi, non vindicavi: severitatem meam distuli, patientiam tibi prolongavi, pœnitentiam tuam diu exspectavi, ego autem, cùm adhuc exspectarem, ut te pœniteret, adhuc me contempsisti, & audire noluisti; sed ita - secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizasti tibi iram in die iræ. Itaque ô scelerate, tandem tempus est, ut surgam ad judicium, ut patientiam abjiciam, ut humilitatem nesciam, ut ignorem misericordiam, ut sicut parturiens loquar: *Ite maledicti in ignem æternum.* Quisquis hunc Judicem seriò & frequenter ita considerabit, in æternum non peccabit.

CON-



CONCIO XXXVIII.

DOMINICA X. POST SS. TRINITATEM.

Videns civitatem, flevit super illam,
Lucæ 19. v. 41.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN vanum bonus Jesus deflevit scelera scelestissimæ urbis Jerosolymæ: proinde tandem in ejus excidio, scelesti Judæi, præsertim ob Deicidium, gravissimis effecti fuerunt suppliciis.

VErsum 7. Psalmi 6. in quo pœnitens David ait: *Lavabo* § 1.
per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum rigabo; S. Hieron. & alii nobilissimi Interpretes legunt, *In lacrymis meis natare faciam lectum meum.* Ut ex hoc modo loquendi intelligamus, Davidem pœnitentem uberrimis & copiosissimis effudisse lacrymas. Addit Theodoretus eundem citata verba pronuntiasse, quasi diceret: *Continenter lacrymor &*

In vanum Iesus flevit super Ierosolymam.

da,

ea, quæ à me audacter commissa sunt, deploro: atque etiam meum cubile iniquitate contaminatum, semper lacrymis abluo; tentans si per hasce illud purgare queam. Cùm in hodierno Evangelio auditis, Christum Salvatorem nostrum flevisse super Jerosolymam, & copiosas uberrimasque effudisse lacrymas; nolite cogitare, illum peccata à se commissa deplorasse; nihil enim unquam mali gessit, nec potuit peccare; hoc tentavit, an per suas lacrymas impiæ & scelestæ Jerosolymæ gravissima scelera posset deflere & purgare. Et his lacrymis, impiam urbem si voluisset, liberasset ab interitu, sed quia noluit, tandem justo Dei judicio, meritas luit pœnas; quod multis annis sanctissimi Prophetæ prædixerant; prout in hac concione fusius audietis. Rogo per salutem vestram, ut nemo contemnat lacrymas Christi, nisi justissimæ ejus vindictæ subjacere velit.

§. 2. *Vaticinium Isaiæ de suppliciis inferendis scelesto Iudaico populo.*

Capite 3. ℣. 11. ait Isaias: *Væ impio in malum! retributio enim manuum ejus fiet ei*, quæ verba LXX. ita legunt: *Væ animæ eorum* (sive, incolis scelestæ urbis Jerosolymitanæ) *quoniam*, (ejus Principes, Magistratus, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi) *consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos, dicentes: alligemus justum, quoniam inutilis est nobis. Itaque fructus operum suorum comedent: Væ iniquo! mala secundum opera manuum ejus accident ei.* Est illa vocula *Væ!* interjectio condolentis animi, & pectoris præ angustia anhelantis, cùm inter gemitus & suspiria, oculi in lacrymas liquantur: Conspicatus enim fuit divinus Vates, ad exemplar impudentiæ Sodomorum, omni excusso pudore, ferri præcipitem Jerosolymã, in flagitium Deicidii, & sine omni timore Messiam expostulare ad necem, laudemque & gloriam captare ex tam immani scelere: omissis multorum verborum exhortationibus, criminum objectione, & increpatione Jerosolymorum, prædicat lacrymis, & querulis lamentis, & singultibus tristissimis deplorans ait! *Væ animæ eorum!* In quo ploratu, non tam rerum familiarium, & temporaneæ felicitatis stragem, quàm animarum jacturam, quæ præ omnibus illi cariores erant, quarumque incolumitatem omnibus exoptabat votis Isaias, lugubri fletu prosequitur. Quocirca asserunt S. Basilius, S. Hieron. & alii Vatem, hanc voculam, *Væ!* non sine fletu & lacrymis protulisse. *Ista Prophetam, lugendo dixisse arbitra-*

bitramur. Quid enim spectabilius & efficacius, ad inclinandos cives suos ad clementiam & pudorem, quam cernere venerabilem illum Isaiæ vultum, immadentem lachrymis, anhelans pectus trahensque ex præcordiis ignita suspiria, & oculos ad cœlum erectos, margaritarum decore ornatos. In Isaia, agnoscite pium Jesū flentem super Jerosolymã: quis non putasset, illam piissimis Christi lachrymis emolliẽdam ad pœnitentiã, ad detestationẽ sceleris morumq; emendationem. Sed tentavit hoc Jesus: non impetravit.

Perrexerunt consiliare consilium pessimum adversus Jesum. De fratribus Josephi ait c.37. Gen. v 18.19. *Cogitaverunt illum occidere, & mutuo loquebantur, Ecce somniator venit: Venite occidamus eũ.* Et v.23. *Exasperaverunt eum, & jurgati sunt, inviderunt q́; illi habentes jacula.* L X X. legunt. *In quem consilia conferentes maledicebant.* Alii, *Oderunt eum, tenaces factionum.* De quibus omnibus eleganter S. Hier. *Perspicue de Christi passione hæc dicuntur, quod hostes ejus inierint consilium pessimum: adversus Dominum Jesum, ut occiderent eum.* D. Cyrill. Alex. *Habitis enim consiliis acerba consultabant, Domini cogitationum, hoc est Principes populorum, qui exacuebant adversus eum, qui eum vulnerarent.* Dum hæc consilia habentur, dum coguntur cœtus, &c. adest bonus Jesus, & in conspectu urbis amaras, copiosas, uberes fundit lacrymas, sic tẽtans an lachrymis moti & emolliti, saniora velint capescere cõsilia, an Messiam velint agnoscere, &c. Sed frustra: quid restat, nisi ut ploret, & cum Isaia, inter gemitus, singultus, & suspiria cũ lachrymis dicat; *Væ! Væ!* Et si Isaias olim à longe horruit videre consilia tantorum scelerum, quæ in novissimis temporibus facturi erant Judæi, ideoq; flevit; quid miramur flevisse Christum, dum jam actu scelesta urbs tam immane facinus machinabatur.

§. 3. Judæorum odium erga Christum D. & pessima consilia.

Ideoq; tandem impleta fuit pars illa prophetię ab Isaia prolatę, *fructus operum suorũ comedent*, quæ verba ita exposuit S. Basil. *Illorũ operum* (& consiliorũ, & Deicidii) *fœtus fuerunt, captivitas, dispersio, templi eversio, delapsus à priori gloria, confusio vultus eorum non sustinens eos sustollere ad Deum, aciem mentis, ob impium facinus in Unigenitum Dei commissum.* Unde Vates dixit, *consiliati sunt consiliũ pessimum adversus semetipsos. Consilia enim* (S. Basill.) *adversus justũ inita, in capita maligne, consultantiũ retorta sunt* Quemadmodum & tela, quæ incidunt in corpus solidũ, nec cedens, sed re-

§. 4. Tandem comederũt fructus operum suorũ.

Digitized by Google

percussivum, in suos jaculatores resiliunt. Tale saxum fuit Christus D. omnia tela in ipsum intorta, resilierunt in capita hostium. S. Joannes Chrysostom. *Etsi quæ facta sunt, videantur in speciem adversus justum temerario ausu profecta: tamen si quis exitum acurate excutiat, niminem intelliget, rem totam, non in patientem; sed inconsultores esse detortam.* Hoc in hodierno Evangelio prævidit Jesus: ideo ex compassione amarissime flevit.

§. 5. Testimonia S. Aug. & S. Cyrilli.

Super illa verba citati versus, quo etiam Oseas fuit usus c. 7. *Circumdederunt eos adinventiones suæ.* LXX. *Cogitationes eorum;* ita ait S. Aug. *Terribilis in consiliis super filios Principum. Nā machinati sunt filii hominum consilium ad crucifigendum Christum; Crucifixus excæcavit crucifigentes. Quid ergo fecistis, O filii hominum, machinando acuta consilia, adversus Dominum vestrum, in quo latebat majestas, & apparebat infirmitas? Vos machinati estis consilia perdendi: ille excæcandi & salvandi: excæcandi superbos, salvandi humiles.* Sic retributio facta est illis. Vel ut S. Cyril. ait, *Mala evenerunt illis, sive pœna, ad dimensionem culpæ.* Jesum Pilato, & indomitis militum furoribus objecerunt: ita & ipsi Romanorum copiis traditi sunt: flagellaverunt Dominum, & ipsi flagellati: Illusêre Domino, facti sunt opprobrium hostium. Unum crucifixerunt, milleni affixi sunt crucibus. (cui placuerit, poterit hic fuse ex Josepho describere Jerosolymæ devastationem) dum talia bonus Jesus scelestis Judæis vaticinatur, quid miramur quod fleverit! quod cum singultibus & lamentis dixerit, *Jerusalem! Jerusalem! Væ! Væ!* sic tentavit, dum adhuc tempus erat, indurata corda lachrymis emollire, sed frustra! spero plerosq; ex meis Auditoribus, dum hæc audiunt, cogitare, videri hæc eadem dici impœnitentibus peccatoribus, quos zelosi Concionatores toties cum lachrymis, & per lachrymas Jesu obtestantur, ut convertantur, saltem ob atrocissimas, quæ imminent, pœnas, & tamen audire nolunt, non prohibeo, salutares sunt hæ cogitationes.

§. 6. Supplicium famis in obsessa urbe Jerosolyma.

Mala evenerunt illis, sive pœna ad dimensionem & mensuram culpæ. Unicum supplicium famis, quām in obsidione tolerarunt, considerate. Messiam suum potaverunt felle, myrrha & aceto. Væ! væ tibi Jerosolyma! hæc enim contigerunt. Præ fame mulieres infantes

fantes suos comederunt, & ut est apud Prophetam Jeremian, manus mulierum misericordium, coxerunt filios suos, & leges naturæ spreverunt. S. Chrys. ex Josepho. Eorum qui per civitatatem fame occumbebant, infinita pœne cadebat multitudo, atque innumerabiles continebat clades. Nam per unamquamque domũ, sicubi ciborum vestigium ullum forte appareret, bellum inerat; atque adversum se invicem manus conserebant, qui hactenus erant amicissimi, ac infelix animæ viaticum eripiebãt: ne morientibus quidem, quod cibi indigerent, fides habebatur, sed eos quoque qui animam efflabant, latrones perscrutabantur, ne quis forte simulata morte, cibum sinu occuluisset. Alii vero fame hiantes, canum instar rabie furentium, spe omni destituti, ferebantur amentia præcipites, atque ostiis impingebant ut ebrii. Præ desperatione autem, & quod aliquid semper se invenire posse existimarent, in eandem domum, una hora, bis terve irrumpebant. Cuncta vero subigebat dentibus, sæva necessitas; imo sordibus & purgamentis famem exsatiare non horruerunt. Talia, tam atrocia, tam horrenda, in hodierno Evangelio bonus Jesus prædixit Jerosolymæ, quid miramur, quod fleverit, lachrymis tentavit impiorum pœnitentiam, & saniora consilia; sed in vanum!

S. Hilarius in Ps. 51. ad v. 7: *Propterea Deus destruet te in finem; evellet te, & emigrabit de tabernaculo tuo, &c.* eleganter describit translationem gloriç illius populi, dumque ante oculos constituit accepta munera, inflicta flagella, amissas beatitudines, comparatas ærumnas, pias animas ad justum excitat timorem. *Destructo Doëg* (sive destructa Jerosolyma) *& evulso de tabernaculo, & de terra viventiũ eradicato, sancti quiq; necesse est metuant, cũ videant tot tantisq; divinæ misericordiæ auxiliis populum adjutum, atq; usum, post ingentẽ illam, & ultra humanas opes gloriosi regni dignitatem, maximum de se, ac ultimum humanæ calamitatis, exemplum præbuisse. Quis enim memoria recenseat antiquas gloriæ ejus, & innumeras beatitudines, quas superius pro parte memoravimus, cum post Ægypti funera, itineri eorum divisum mare cessit, cum ardorem diei, columna nubis inumbravit: cum noctis tenebras ignis columna discussit, cum cælum cibum Angelorum præbuit, cum in fontem petra fluxit: cum Jordanis refluxit;*

§. 7. Elegans locus ex S. Hilario.

Digitized by Google

cũ civitas maxima ad solum Arca Testamenti circuitum concidit, cũ sol decursu suo inhibitus, diem distulit, & divina legis, ordo, ex illo elementorum cœlestium indefesso imperturbatoq; motu ad bellum restitit. Post illam deinde divina Majestatis & conspectus, & auditus familiaritatem, consumpsit eos bellis, fame emortuos, & ante mortuorum cadaveribus ad mortem famis pastos, reliquos deinde in servitutẽ redactos, exules esse, ubiq; degeneres, nusquam cognitos, semper novos & de mutatione incolatus semper ignobiles, semper alienos. Hæc Hilarius. Tertull. *Dispersi, palabundi vagantur per orbem, sine Deo, sine Rege.* Opposuit supplicia beneficiis, præteritæ gloriæ præsentem ignominiam. Ut ex redundanti felicitate munificentia largitoris & Justitia plus elucerent; ex ingratitudine vero populi contumacia, qui tot beneficiorum & gratiarum blandimentis delinitus, benefactorem sprevit. *O Ierosolyma! Ierosolyma!* ecce ante portas tuas, mox tibi valedicturus, supremũ adest Messias, Salvator, Rex tuus. Inter gemitus & lachrymas, minatur & prædicit mirabilia. Audi suavissimas voces; *Convertere, convertere Ierusalem ad Dominum Deum tuum.* In vanum! frustra! obduruit scelestus populus. Non miremur, benignissimum Jesum propterea Jerosolymam amarissimis deplorare lachrymis, dum vicinam ejus intuetur eversionẽ, & miserabilem devastationem, & horribile excidium, quod quadraginta annis post Christi necem datum fuit executioni.


§. 2. *Septem plagæ Iudæorũ, cum Ierosolyma fuit excisa.*

Impletaq; fuit comminatio Moysis, Levitici c. 26. v. 27. *Si nautem nes per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me,* (videtur Moyses jam tum prævidisse vias pessimas, in quibus deinde ambulaverunt, ad perdendum Jesum) *Et ego incedam adversus vos in furore contrario: & corripiam vos septem plagis, propter peccata vestra, Ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum*: quod in variis quidem captivitatibus contigit, sed præsertim illa, quæ propter iniquitatem in Christum commissam, à Romanis depopulantibus illis contigit. Hisychius. *Furorẽ ex adverso exercens adversus eos Deus, superinduxit supra eos iram, ut vindicaretur per Romanorum imperium & potentiam.* Septem vero plagas, quas Moyses prævidit, puto fuisse has, quæ culpæ, præsertim in passione contra Christum Dominum commissæ, corespondent. 1. Paschali tẽpore

Digitized by Google

Christo D. in horto Gethsemani violentas intulerunt manus captumque duxerunt ad Præsides. Eodem tempore, Titus & Vespasianus in eodem loco, hostilia contra urbem posuerunt castra. 2. Paschali tempore scelesti Judæi, innocentem mactârunt Agnum; Ps. 73. v. 4. *Et gloriati sunt, qui oderunt te, in medio solennitatis tuæ.* In eadem, scilicet paschali solennitate, hostis nactus fuit occasionem, incendendi urbem, irruendi in adyta, applicandi tedas & ignes sacris delubri postibus; unde templum cum urbe deflagravit; nimirum in Agni Paschalis solennitate, ut confluentibus undique populis, plures spectatores & testes haberet ærumna. 3. Hæc ingens fuit plaga. Quoniam enim in Paschatis celebritate Salvatorem cruci suffixerunt, per idem tempus impietatis pœnas pendunt, scelesti Judæi, sine numero suffixi crucibus. 4. Mirum est, quantum pœna consonet culpæ. In die Paschæ traditur Jesus militibus; in tempore Paschatis, scelesta urbs, devastanda traditur Romanis. 5. In Paschate, Jesus occiditur; in Paschate, occisa fuerunt multa millia Judæorum: ita festum paschatis sanctificatum per mortem Jesu, in urbis excidio, profanatum fuit, per terribilem Judæorum carnificinam. 6. Cæciderunt Christum flagellis; eodẽ tempore in exilium abducta fuêre multa millia Judæorum ad flagella & miserabilem servitutem & captivitatem; sub cujus jugo in hodiernam usque diem gemunt, & perseverant. 7. Admirabili Dei providentia, & justo judicio; urbs Jerosolyma cincta fuit hostilis exercitus corona, quo Regem suum Judæi coronârunt spinis; O infelices! quid dico? O felices incolæ scelestissimæ Jerosolymæ! quia tempus adhuc est, ut convertamini. Ecce adest Jesus, &c. ut supra.

In Epilogo obtestor vos Auditores! ut iterum cogitetis, hæc omnia dici obduratis peccatoribus! Cavete! Jesum iterum flagellatis; lacrymis rogat, ne faciatis; ah lacrymis Jesu date locum! resistitis? in vanum hæc loquor? sed flagellabit vos, &c. (hoc modo poterit fieri vehemens & patheticus Epilogus.) §. 2. Epilogus.



CONCIO XXXIX.

DOMINICA XI. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur,

Lucæ 18. ℣. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Continet duo puncta: Primum agit de ascensu Humilitatis. Sive, quomodo hæc virtus humiles elevet, & exaltet. Alterum, de descensu superbiæ; sive quomodo hoc vitium superbos deprimat, & humiliet.

§. 1. *Breve Exordium.*

§. 2. *Moyses exaltatus per humilitatem.*

§. 3. *Descensus Iesu, fuit illi gradus ad summam celsitudinem.*

§. 4. *Christus Dominus ob humilitatem in Passione, vermis.*

§. 5. *In gloriosa resurrectione phœnix.*

§. 6. *Vita Christi D. in terris fuit humilis, & tenuis. Fructus, exaltatio.*

§. 7. *Superbia verò, quantum humiliaverit Luciferum.*

§. 8. *Et Davidem arrogantem.*

§. 9. *Quare frequenter Viri sancti labantur in turpia scelera.*

§. 10. *Et Virgines, & Matronæ alioquin piæ.*

§. 11. *Evam in lapsum præcipitavit superbia.*

§. 12. *Salutaria monita D. Prosperi.*

§. 13. *Epilogus.*

Audi-

Digitized by Google

AUdivistis in hodierno Evangelio, quantùm Christus D. laudet & commendet Publicani demissionem, & humilitatem. Ego quoque tam eximiæ virtutis eximias laudes, hac concione fusius prosequar: ita tamen, ut in altera parte perstringam superbiam. Attendite! §. 1. Breve Exordium.

Bene S. Antiochus hom. 70. *Modestia animi se se ultrò demittentis, sive, Humilitas, hominem altivolum efficit, & aerivagum. Quantò enim quis se infra dejicit, tantò hunc sublimius evehit Deus, & allevit.* Confirmat hæc exemplo Moysis; Qualis, quantusque hic vir? tot tantorumque miraculorum patrator! populi Dux & Rector! ad familiarissimum Dei colloquium toties admissus! quia nihilominus non fuit veritus, ex profunda animi demissione, se se abjicere ad pedes soceri sui Jethro, ejusque se se accommodare consiliis & præceptis; *eò ipsum Deus* (sunt verba citati Patris) *præter cæteros omnes, qui in terra morabantur, evexit in sublime.* Per humilitatem fuit exaltatus ad summum gloriæ apicem: se se subjicienti, & reptanti per cognitionis sui, & nihili profundam voraginem, alas addit humilitas, ut præpeti volatu scandat gloriæ fastigium. §. 2. Moyses exaltatus per humilitatē.

Ita ipse Christus D. Filius Dei, Salvator noster, ut S. Bernardus loquitur: *Descendit, quò inferiùs non decuit; ascendit quò celsius non potuit.* Tum argutæ mentis librâ ponderat verbum *descendit*, Ita subjungens. *Descendit autem, dictum est, non cecidit, quia, qui cadit, sine gradu ruit: qui autem descendit, gradatim pedes ponit; sunt ergo gradus in descendendo: primus gradus fuit à summo cælo, usque ad carnem; secundus usque crucem, tertius usque ad mortem.* Ita se humiliavit Dominus Jesus. Addit idem S. Bernardus alium descensum ser. 22. in Cant. *Sedebas, O homo, in tenebrosis, & umbra mortis, per ignorantiam veritatis sedebas vinctus catenis delictorum. Descendit ad te in carcerem, non ut torqueret, sed ut erueret de potestate tenebrarum.* Tandem verò subdit idem mellifluus Bernardus, præsertim dum loquitur de immensa gloria Jesu Salvatoris nostri. *Vidimus descensum* (v. g. vidimus Jesum latentem in utero Virginis; vidimus jacentem in præsepio, vidimus prostratum ad pedes discipulorum, vidimus pendentem & morientem in cruce; vidimus descendentem ad inferos) *videamus & ascensum: Sed & ille quoque* §. 3. Descensus Iesu fuit illi gradus ad summam celsitudinē.

triplex

Digitized by Google

triplex est: & ejus primus gradus, gloria Resurrectionis. Secundus, potestas Iudicii; tertius, consessus ad dexteram Patris. Et de morte quidē meruit resurrectionem; de cruce, judicii potestatem; ut quoniam in illa, injustè judicatus est, de illa justam Iudicis obtineret censuram. Ipsam verò servi formam, id est, carnem, in qua passus est, & mortuus, resuscitatam evexit super omnes cælos, & super omnes Angelorum choros, usq; ad dexteram Patris. Hæc sunt itinera æternitatis ejus, per quæ se se demisit, & descendit ad ærumnarum nostrarū convallem, ut per eadem obtineret universæ gloriæ fastigium. Illapsus est, velut fons vitæ, & depressus ad ima mortis, & inferi; ut exiliret ad summum apicē gloriosæ potestatis. Tantò enim aqua salit pulchrius, ascendit superius, horti ambitū rorulentius irrigat, quantò illius scaturigo, ad infima, & humilia, per æreos siphūculos depressa prolabitur. De morte gradū fecit ad vitam; dum calcata morte, ascendit super occasum, apprehendit luminosum Orientē resurrectionis, & mortalis umbræ repulsa caligine, splendoribus æternitatis fuit indutus. De crucis opprobrio scalā constituit, ut scanderet ad suprema. Ipsa verò servi forma, in qua subiit tot cruciatus, suspēsa patibulo, & oppressa mortis amaritudine, evecta est super omniū Angelorum fastigia, ad dexteram Patris collocata, ejusdem supremo digna consessu. Perpendite, an nō veritatem protulerit in hodierno Evangelio æterna Veritas; *Qui se humiliaverit, exaltabitur.*

§. 4. *Christus D. ob humilitatem in passione vermis.*

Profundissimam Christi D. abjectionem, & humilitatem nobis ob oculos ponere voluit Regius Psaltes, dum in persona Christi patientis ait: Ps 21. ỷ. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum & abjectio plebis.* Quæ verba ita exponit Theodoretus. *Vt vermis, vilis visus sum, & ridiculus factus*; addit versio Hebraica: *Fabula hominum, & contumelia vulgi.* Campensis. *Sterquilinium Adæ, & infimæ plebis fax.* Hugo. *Vermis, qui inter fimum repit, & ab omnibus calcatur.* Ita S. Brigitta inter alias illuminationes de passione Christi, ait l. 4. revel. c. 99. & l. 2. cap. 26. Illum à Judæis vermem reputatum, qui quasi mortuus in hyeme jacet; in quem transeuntes exspuunt, & calcant. Ex qua similitudine clarè patet, ad quanta opprobria, ex profundissima animi demissione se se abjecerit divina Majestas, ab omnibus protrita & despecta, sputaminibus obruta.

Sed

Digitized by Google

Sed de hoc Judaicæ despicientiæ stercore, Dominus elevavit pauperem, ut solium gloriæ ascenderet. De luto humiliationis, splendescere fecit pretiosissimam gemmam, in cœlorum atrio collocandam. In quo arcano, Deus mirificavit sapientiam suam, cum vermiculũ, immersum in limo profundi, evexit supra omnes cœlos; & ei, qui volutabatur in terra, alas dedit, supra auri solisq; splendorem speciosius refulgentes, quibus ad cœlum evolaret, ut cerneremus prodigium naturæ de antiquitate famosum, de vermiculo, qui immutatur in alitem, ex quo Phœnix renascitur. De qua volucre B. Petrus Dam. ait: *Post Phœnicis ferale bustum, sacerdos, cineres curiose perscrutans, invenit vermiculum valde tenuem, sed eximii odoris suavitate fragrantem. Secundo die rediens reperit eum aviculam, per plumas & alarum remigia volitantem.* Et addit, hunc vermiculum esse Salvatorem, qui dixit: *Ego sum vermis, &c. Deinde Phœnix plumefacta, & in aerem sublata, alarum remigiis armata; cum victor mortis, ad Patris usq; consessum conjubilantibus undique supernis virtutibus elevatur.* Nihil habeo quod addam, nisi ut pluma Phœnicis, describam Christi D. Salvatoris nostri lemma, ex hodierno Evangelio, *Qui se humiliaverit exaltabitur!* §. 5. *In gloria Phœnix.*

Placet mihi S. Chrysostomus, dum super versum ultimum Psalm. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,* ait. *Hic ostendit humilem ac vilem Christi D. in terris vivendi rationem; tenuem victum persequens, & adeo tenuem, ut ex torrente biberet; qualis enim erat ei mensa, talis fuit quoque potus; mensa, panes hordeacei; potus, aqua de torrente. Propterea exaltavit caput. Humilitatis enim, vitæque austeræ hic est fructus. Hæc autem non dicta sunt de Divinitate; sed de carne, quæ bibit ex torrente; quæ fuit exaltata. Non modo nihil detrimenti attulit ei hæc tenuitas; sed etiam ad ineffabilem evexit altitudinem.* Euthymius. *Propterea exaltavit caput, hoc est: propter humilitatem, & tenuitatem vitæ suæ exaltabitur, & ascendens in cœlum glorificabitur, sedebitque à dexteris Dei, quia hæc non modo nihil eum læserunt, sed in ineffabilem eum sublimitatem invexerunt.* Hæc verò humilis & tenuis Christi vita, longe remota ab omni fastu, & aliena à pompa, objurgat superbos, ventri gulæque deditos: qui à vera via ad cœlũ longe distant, consolatur vero humiles & pauperes, §. 6. *Vita Christi D. fuit humilis & tenuis Fructus, exaltatio.*

qui gloriæ Christi aliquando erunt coheredes. Christus D. moriens in cruce, ut ultimas guttas ebiberet è calice Passionis, inclinavit caput, erexit verò illud in gloriosa Resurrectione, & Ascensione, cum exaltatus fuit ad dexteram Patris.

§ 7. *Superbia vero quantum humiliaverit superbum Luciferum.* Vidimus humilitatis ascensum, sive quomodo humilitas elevet & exaltet; Videamus superbiæ descensum, sive, quomodo illa superbos deprimat, & humiliet. Omnium superborũ antesignanus fuit Lucifer, cum *dixit* Isaiæ cap. 14. vers. 13. *in corde suo, In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, & similis ero Altissimo. Sed,* inquit Rupertus, *nunquid Lucifer erat in cœlo, quomodo dicere potuit, in cœlum conscendam;* & respondet; *Quod dixit, ascendam, tumor fuit ambitionis; sic ambiebat ascendere in cœlum, ut cœli teneret imperium. Sic exaltare super astra Dei solium suum volebat, sic ascendere super altitudinem nubium, ut adoraretur, ut honorificaretur concentu Angelorum, tanquam Deus & Dominus ipsorum.* Sic cœca, insana, & præceps est ambitio, quæ Christi æqualitatem affectare non timuit. Nota est persona illa, quia non solum Creatura, sed etiam Creator est, id est, non solũmodo homo, sed etiam Deus. Celsitudinem illam Diabolus per superbiam, ambire præsumpsit, dicendo, *similis ero Altissimo.* Veruntamen ad infernum detractus est Lucifer, in profundum laci, momento instar fulguris, de cœlo deturbatus fuit in infernum, æternum infernalis titio, cum innumerabilibus Angelis, qui propter idem scelus, de cœlo, usque in infernum sunt humiliati. *Qui se exaltaverit humiliabitur, &c.*

§. 8. *Et Davidem arrogantem.* Sed deseramus infernum; in quo nulla est spes redemptionis, loquamur potius de illis, quos ob superbiam Deus permittit descendere in profundum gravium scelerum, ita tamen ut tandem humiliati resipiscant. De quibus S. Athanasius ait quæst. 106. *Libido sæpe ex arrogantia quando enim quis superbit, ejusmodi hominem patitur Deus labi, ut per scortationem* (vel alia scelera,) *deposita superbia, ductus ad humilitatem operetur salutem.* Multi SS. Patres mirantur, cur Deus permiserit Davidem labi in flagitium adulterii, in homicidium viri innocentis. Virum! secundum cor Dei! virum! tot gratiis præventum; & beneficiis obstrictum! virum!

Digitized by Google

virum; tot victoriis & triumphis illustrem. Virum! domitorem leonum, & victorem ursorum! Virum! in omni certamine felicissimum! Non caret fundamento responsum Anastasii Episcopi Niceni t. 1. Bibl. *Existimo autem eum huic maligno spiritui fuisse derelictum; propter unam illam vocem, quam dixit, ego dixi in successu meo.* Vulgatus habet, *in excessu, non movebor in aeternum. Tam elati enim fuisse animi, ut ejusmodi proferret verbum, quod nunquam moveretur, maneret autem in suo successu immutabilis, & impassibilis, erat nimis superbum & insolens, - quam ob rem, statim relinquitur à Domino, qui bona ei suppeditabat, & ei conjungitur Spiritus malus. Anima enim superbi* (inquit Antiochus) *in praexcelsum aliquod ac sublime fastigium finitur conscendere; unde commodius deturbetur in subjectam foveam.* David superbus deturbatus fuit in foveam adulterii, ut deposita superbia operaretur salutem.

S. Macarius homil. 7. admiratus turpissimos lapsus saepe virorum sanctorum, religiosorum, qui saepe multis annis sancte vixerunt, quaerit: *Quomodo cadunt, qui reguntur à gratia Dei.* Et respondet. *Quia incipit saepe talis homo extolli, & se ipsum justum reputans* (exemplo Pharisaei, in hodierno Evangelio) *condemnat alium & ait, Tu peccator es. Ignoras quod dicit Paulus; datus est mihi stimulus carnis, Angelus sathanae, qui me colaphizet, ut non extollar: pura enim natura non caret facultate superbiendi;* ideoque in continuo versatur periculo, ne praevaleat Angelus sathanae. Apud SS. Patres verissima est haec maxima S. Antiochi. h. 21. de Virginitate. *Nulli possibile, ad tantae virtutis pervenire fastigium, nisi praesidio juvetur, & erga Deum charitatis, & animi de se quam modestissime sentientis; juxta testimonium ipsiusmet Deiparae, omnium laudum genere celeberrimae, nulli obnoxiae vitio, sed gloria omni dignissimae, dum dixit, Quia respexit humilitatem ancillae suae. Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles,* Lucae cap. 1. v. 48 52 quibus verbis subjungit citatus Antiochus. *His igitur clarissime explicatum reor, quia per summam humilitatem, & erga Deum charitatem, plena cum esset gratiae, promeruit sibi vestem pertexere Virginitatis,*

5. Quare frequenter viri sancti labantur in turpia scelera.

nulla ruga decolorem, nulli obnoxiam reatui. Sine humilitate flores virtutum elanguent, superbiæ marcescunt, præsumptione violantur; sanctarum cogitationum radices extirpantur, succrescunt spinæ & tribuli vitiorum.

§. 10. *Et Virgines & Matronas aliequiтur.* Lib. 1 de civit. Dei, cap. 28. S. Augustinus istas Virgines, & Matronas, quas subinde justus Deus permittit labi in turpia scelera, ita alloquitur: *Veruntamen interrogate fideliter animas vestras; ne forte de isto integritatis, & continentiæ, vel pudicitiæ bono, vos inflatius extulistis & humanis laudibus delectatæ, in hoc etiam aliquibus invidistis. Non accuso, quod nescio, nec audio, quod vobis interrogata corda* (hoc est conscientiæ murmura) *respondent: Tamen si ista esse responderint* (si fuistis inflatæ, elatæ, & superbæ,) *nolite mirari magnum thesaurum vos perdidisse.* Patitur Deus labi superbas animas, in turpia scelera, ut deposita superbia, ductæ ad humilitatem, operentur salutem. Superbus permittitur ascendere in excelsum, unde commodius deturbetur in subjectam foveam.

§. 11. *Evam in lapsum præcipitavit superbia.* Cum in sacris literis, in Genesi legimus lapsum Evæ; statim cogitamus tentationem serpentis illi præbuisse causam lapsus, dum sub arbore serpens cum Eva colloqui cœpit, totque argumenta suggessit, quare de fructu arboris prohibitæ gustare posset. Sed argute cit. Tuitiensis Abbas lib. 3. in Genes. cap. 1. *Prius intus ad cor Evæ per semetipsum locutus est spiritus diaboli, ut superbiret, Deumque præceptorem ferre, vel mandatum ejus portare despectui haberet. Nisi enim prius per superbiam Eva intus tumuisset, foris tentata, tam facile non cederet.* Eva sibi ipsa per superbiam fuit diabolus, & serpens; hinc ruinam! superbiæ partus, est lapsus in gravia scelera.

§. 12. *Salutaria monita D. Prosperi.* Hæc puto considerasse D. Prosperum cum dixit epist. 84. *Vigilant tentatoris insidiæ, ut ubi profuit devotio, subrepat elatio, & ut homo, de bono opere, in se potius, quam in Domino glorietur:* sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet, dicendo: *cum metu, & tremore salutem vestram operamini:* DEUS est enim, qui in nobis operatur *velle, & perficere.* Quantò ergo quique in mandatis DEI proficiunt, tanto majores habent

Digitized by Google

habent causas formidinis & timoris; ne de ipsis probitatis argumentis, mens sibi benè conscia, & laudis avida, in superbiæ rapiatur excessus Et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clarâ virtute. Sanctus Bernardus serm. 60. inter parvos. *Vbi enim magnitudo gratiarum, ibi magnitudo discriminis est.* Sanctus Fulgentius ep. 3. ad Probam cap. 18. *Quidquid spiritualium donorum plus habueris, quàm habent aliæ, non est parva jactura virtutis, si in ipsa principali virtute, quæ est humilitas, alias non antecellas.*

Finio Concionem eleganti similitudine S. Nili orat. 7. Hedera sic arborem amplectitur, ut cùm altiùs se se sustulerit, radicem ejus arefaciat; Inanis gloria (superbia) sic juxta virtutes nascitur, ut non recedat, priusquam vim illarum exciderit. Itaque *humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos*, in ep. S Jacobi cap. 4. ℣. 10. *Qui se exaltat, &c.* *§. 15. Epilogus.*



CONCIO XL.

DOMINICA XII. POST SS. TRINITATEM.

Apprehendens eum de turba seorsum,
Marc. 17. v. 33.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FUsè ostendit, quàm periculosa & noxia sit malorum societas.

§. 1. *Manus Christi Domini fuerunt instrumenta operum mirabilium.*

§. 2. *Prosecutio.*

§. 1. *Manus Christi D. fuerunt instrumenta operum mirabilium.*

VIri, qui in hodierno Evangelio, spe pleni & fiduciâ, de infinita Christi D. misericordia, ad eum adduxerunt surdum & mutum; hoc deprecati sunt, *ut imponeret manus suas super illum.* Neque spe sua defraudati sunt; bonus Jesus imposuit super eum manus suas, & sanitatem obtinuit. O aureas! O hyacinthinas! O liberales! O misericordes & potentes Christi D. manus! Matth 8. Christo descendenti de monte occurrit leprosus, & adorans petivit mundari; & pius Dominus, extendit manum suam, tetigit leprosum, dixit, ℣. 3. *Volo, mundare! & continuò mundata est lepra ejus.* In eodem capite, cùm venisset Jesus in domum Simonis Petri, ℣. 14. *Vidit socrum ejus jacentem, & febricitantem; mox tetigit manum ejus, & dimisit eam febris, & surrexit; & ministravit eis.* Matth. 9. mortua fuit puella duodennis, filia unica Archisynagogi; mœstus pater accurrit ad Christum, & adoravit eum dicens ℣. 15. *Domine filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Christus D. tenuit manum puellæ, & surrexit puella. O aureas! O hyacinthinas! O potentes Christi manus, quibus veluti instrumento & organo operum mirabilium, momento mundavit leprosos, curavit febres, mortuos ad vitam excitavit!

§. 2. *Prosecutio.*

Matthæi 9. veniunt ad illum duo cæci, clamantes: *Miserere nostri fili David.* Christus D. *tetigit oculos eorum, dicens: secundum fidem vestram fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum*, Matth. 14. cùm Petrus

Petrus super aquas ambulans à valido vento mergeretur, clamavit ad Christum ℣ 30. *Domine salvum me fac.* Christus D. *continuò extendens manum apprehendit eum, & ait illi, modicæ fidei, quare dubitasti;* & extraxit Petrum ex periculo. Matth 19. boni parentes, & piæ matres obtulerunt Christo parvulos suos. Ad quid? ut manus eis imponeret, & oraret. Quid Christus? ℣. 14. *Sinite,* ait, *parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium est enim regnum cælorum. Et amplexans illos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* Cap. 6. ℣. 5. ait S. Marcus, alios multos infirmos sanavit, sed addit; *impositis manibus.* Marc. 9. ℣. 24. cùm Christus D. spiritum immundum, eumque surdum & mutum ejecisset, & puer, qui obsessus fuerat, putaretur esse mortuus, & jaceret quasi mortuus, Christus tenens manus ejus elevavit eum, & surrexit, & reddidit eum patri ejus. O aureas! O hyacinthinas! O potentes Christi D. manus, quibus illuminavit cœcos, liberavit periclitantes, benedixit parvulis, & immundos ejecit spiritus.

In hodierno Evangelio adducitur homo surdus & mutus, rogaturque Christus D. ut imponat manum suam. Quid Christus? *apprehendit eum de turba seorsum, mittit digitos in auriculas ejus, & expuens tangit linguam ejus; in cælum suspicit, ingemit, & ait, adaperire! & statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* O aureas! &c. Illâ ceremoniâ, quâ hunc ægrum eduxit è turba; duo innuere vel docere voluit: 1. quàm sollicitè debeamus fugere malos socios; 2. Occasiones peccandi. De his duobus punctis paucula proponet hæc concio, si tamen tempus permittat. Attendite! §. 3. *Concionis Propositio.*

Aristippus (teste Strobæo serm 35.) interrogatus, *quid esset mirandum in vita,* respondit: *Vir probus, inter improbos, qui non ideo pervertatur.* Talis fuit Job, de quo sacer textus ait c. 1. ℣. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Job,* terra scilicet, sive patria, impia, & scelesta, quæ nominatur in laudem Jobi; *ut provinciam* (inquit S. Chrysostom.) *ex qua tantus fructus floruit; qualisq; rosa in medio spinarum germinaverit.* Rosa vel amœnus flos de spinis germinans, est quasi miraculum naturæ: Job pius inter improbos fuit portentum & prodigium gratiæ. Ita instar pestis, malorum sociorum §. 4. *Vir probus, inter improbos, est prodigium.*

mores

Digitized by Google

mores, aliis, quibuscum conversantur, adhærent, & occultâ quâdam vi, etiam nolentes pertrahunt ad malum.

§. 5. Ideo beatus, qui fugit impios.

Ideo regius Psaltes, statim primo Psalmo beatum deprædicat illum, qui fugit consortium malorum. *Beatus vir* (inquit ℣. 1.) *qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Per concilium impiorum, per viam peccatorum, per cathedram pestilentiæ, intelligo conventum, vel societatem impiorum; cum his quidem, & inter illos, in hoc mundo necessariò vivere cogimur, frumento permixta sunt zizania; agnis hædi: rosæ spinis: sed hoc cavendum est, ne cum illis stemus; ne adhæreamus, multò magis, ne in illorum conventibus planè sedeamus, & stabilem quasi figamus mansionem; quis enim viator, vel nuntius sylvam ingressus, si audiat illam obsessam à latronibus, in illa diu hæret? stultus est, si hic velit morari, jacere, & conquiescere. Talis sylva est hic mundus; plenus impiis latronibus, qui non corporibus, sed animabus nostris insidiantur; itaque pergite viatores, fugite, nolite stare, vel sedere. *Recedite* (Numerorum 16. ℣ 26.) *à tabernaculis hominum impiorum: & nolite tangere, quæ ad eos pertinent; ne involvamini peccatis eorum.* Isa. cap. 52. ℣. 11. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Pulcherrimè Salomon Proverb. 1. ℣. 10. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis* (ne quiescas in cathedra, in domo pestilentiæ) *si dixerint, veni nobiscum fili mi, ne ambules cum illis; prohibe pedem tuum à semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt.*

§ 6. Salomon, quare perversus.

Utinam doctrinæ huic conformiter vixisset Salomon, sed quia adamavit mulieres alienigenas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, & Idumæas, & Sidonias, de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel; *non ingrediemini ad eas; neque de illis ingredientur ad vestras; certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Quod Salomon reipsa expertus fuit; seductus enim est, miserrimè acquievit malis, & corruit in omne malum; in scelus gravissimum idololatriæ. S. Ambrosius: *Salomon contubernio gentili deceptus erravit.*

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiastici 21. vers. 2. *Quasi à facie colubri fuge peccata*, (idem dicendum de impiis & peccatoribus) *si accesseris ad illa, suscipient te*. Alia lectio habet. *Attrahent te*. Alia. *Dejicient te*; scilicet, ad omne malum, quod expertus fuit ille, quid apud Jobum cap. 30. vers. 12. conqueritur. *Pedes meos subverterunt, & oppresserunt, quasi fluctibus, semitis suis*. Quem versum ita exposuit S. Gregorius Mag. l. 2. mor. c. 19. *Iniquorum consortium est veluti procella, vel imber, vel torrens*; ob hanc causam; Viator descendens de monte, naturali pondere tendit deorsum, si imbres, si procellæ, si ventorum furiæ, si torrentes magno impetu ex alto delabentes, accedant; nihil est certius, quam ut impellatur, ut corruat, ut labatur. Talis procella est societas impiorum, cum ipsa perversa natura nostra, naturali pondere & inclinatione ad malum nos trahat deorsum; quid fiet, nisi ut accedente malorum sociorum exemplo, veluti quodam torrente impellamur & præcipitemur in abyssum vitiorum. §. 7. *Societas malorum, est quasi subvertens procella.*

Fuga hic opus est: quod Sancti Angeli suaserunt Loth, cap. 19. Genesis, *Surge, tolle uxorem tuam, & filios tuos, ne & tu pariter pereas in scelere civitatis*. Cum Loth nihilominus hæreret, Angelus manu eum apprehendens, dixit; *Salva animam tuam ne stes in omni circumregione, sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas*. O mi adolescens; permitte ut sim Angelus tuus custos. Cum scias, hanc domum, hanc Societatem, hunc hortum, illam domum, esse Sodomam, in qua dominatur Asmodæus, &c. (est locus pro acri invectiva) quare non fugis? quid stas? si animam tuam vis salvare; si non velis perire, fuge! In Sodoma! facillimum est, uri & comburi, vix evades illæsus. §. 8. *Mala societas fugienda est veluti Sodoma.*

Carolus Rex Navarræ, ob gravem morbum, linteo, vino adusto madido, medici jussu fuit insutus: dum casu ad rumpendum filum candela fuit admota, concepta in veste flamma, antequam auxilio locus esset, conflagravit. Tale linteum, ob concupiscentiæ flammas, ad ardendum proxime dispositum, est caro nostra, cui veluti sacco sumus insuti; væ! væ! si mali socii, extrinsecus admoveant flammas & faces; conflagrabimus. Hinc tot incendia animarum! Sanctus Isidorus. §. 9. *Tragica historia.*

Ante ignem consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolveris, proximus periculo, diu tutus non eris.

§. 10. *Cerea statua Marii inter faces, in triumpho.* Marius, strenuus Romanorum Dux, in triumpho fieri jussit ex cera candida imaginem vel statuam sibi simillimam; voluitque in ornato feretro circumferri inter ardentes faces, quarum calore statua liquefacta paulatim defluxit; Voluit vir sapientissimus docere; sic transire gloriam, pompam, & vanitatem hujus mundi. Ego modo assero, tales statuas ex candidissima cera, esse tot eximios adolescentes, & innocentes; Virgines; sed animatas gratia DEI, & Spiritu Sancto. O venustæ & elegantes statuæ! cavete faces, cavete malos socios, si comburi non vultis. Ardentes faces, sunt spurcissimæ eorum linguæ, urentes faces, sunt abscœna verba, libidinosi aspectus, &c. Cavete! Fugite! Recedite!

§. 11. *Testimonia Senecæ.* Audiendus est sapientissimus Seneca lib. 1. de tranquill. c. 7. *Serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* Itaque ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus assideamus; quia pericula trahemus, & afflatu ipso laborabimus: itaque in sociis eligendis dabimus operam, ut quam minime inquinatos assumamus. Lib. 3. de ira cap. 7. 8. *Sumuntur à conversationibus mores; ebriosus in amorem vini convictores suos trahit; impudicorum cœtus, fortem quoque & siliceum virum emollit; avaritia in proximos virus suum transfert*, &c. *Si velis vitiis exui* (ep. 105.) *longe à vitiorum exemplis recedendum est.* Proverb. cap. 13. vers. 10. *qui communicaverit superbo, induet superbiam; qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum, similis efficietur, &c.* Itaque, ut hoc punctum concionis cum Seneca finiam ex ep. 116. *Quantum possumus à lubrico discedamus; in sicco quoque parum firmiter stamus.*

§. 12. *Quare Christus D. in ultima cœna, jusserit Judam cito exire.* Sancti Patres valde mirantur Christum D. in ultima cœna, tandem quasi defessum sustinendo, obstinatam Judæ proditoris malitiam illi dixisse Joann. 13. vers. 27. *Quod facis, fac citius;* absit enim, ut optimus Jesus Judæ præceperit accelerare scelus cogitatum: qui dicunt, hæc verba non fuisse Christi præcipientis, sed permittentis, quasi diceret, Juda: quandoquidem tecum

statuisti:

Digitized by Google

ſtatuiſti, fiat! non ita clare exhauriunt obſcurum verborum illorum ſenſum. Ecquæ enim ex feſtinatione utilitas? Laudo S. Ambroſium, qui putat lib. 1. de Cain cap. 4. hæc fuiſſe verba Chriſti excludentis Judam incorrigibilem à ſua familia, & ſocietate Apoſtolorum. Quaſi diceret. Tu te à nobis ſeparare vis; ego quoque te à mea menſa, domo, Apoſtolatu & Societate excludo, ne nequiſſima tua converſatione alius ex meis ſeducatur: Vade ad tuos Judæos, & Satanam, cui te mancipaſti, qui intravit cor tuum. Pulchre Iſaias Abbas orat. 22. *Nec Dominus Ieſus prius aſcendit in Crucem, quam Judam expuliſſet è medio Apoſtolorum.* Scilicet Chriſtus D. conſiderans nutantia diſcipulorum corda in atroci tragœdia ſuæ Paſſionis, Judam ab illorum conſortio expellit, ne interim quenquam ſua converſatione depravet, & malignitatis halitu inficiat. Diſcant à Chriſto D. parentes, quid agendum ſit, ſi advertant domi ſuæ eſſe nequam famulum, vel perverſam ancillam, à quibus filiis & filiabus grave ſeductionis imminet periculum, exjiciendi tales ſunt ex domo; & quo citius, eò melius. Diſcant juventutis inſtructores, &c. (hoc modo poterit fieri pulchra inductio.)

Quod acriter in duobus ſenibus, qui videntes Suſannam, exarſerunt in concupiſcentiam ejus, redarguit Euſebius, ſtrom. 8. cap. 8. *In communi ſtatuerunt tempus, quando eam poſſent invenire ſolam; Infandum paciſcuntur ſcelus; ſceleris Societatem, adulterii commercium, rivales ſibi invicem leones fiunt, turpiſſimo fœdere conſpirant* Ecce genium malorum ſociorum, ad vivum depictum! tales & hodie fiunt inter impios conſpirationes! tales contrahuntur ſocietates; (eſt locus pro vehementi invectiva.) §. 13. *Genius malorum ſociorum deſcribitur in duobus ſenibus.*

Eorundem malorum ſociorum genium, graphice deſcriptum nobis proponit Spiritus Sanctus, velut in ſpeculo, in duabus nequiſſimis mulierculis. In adultera inprimis uxore Butipharis in aula Pharaonis, de qua ait cap. 39. Geneſ. verſ. 10. *Hujusmodi verbis, per ſingulos dies mulier moleſta erat adoleſcenti.* Verbis ſcilicet impuris, quæ Gloſſa Interlinearis vocat, *Incentiva libidinum, quæ impetunt caſtitatem.* S. Auguſtinus §. 14. *In uxore Butipharis, & Dalila.*

 Luxurio-

Digitized by Google

Luxuriosa venena; quibus intoxicantur aures audientium. Vos considerate; an non & hodie reperiantur tales adulteri, & adulteræ, (est locus pro accommoda invectiva ad Auditores, & locum) De Dalila vero dicitur Judicum 16. vers. 16. *Cumque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, defecit anima ejus.* Scilicet fortissimi Samsonis. S. Ambros. lib. 1. de pœnit. *Samson validus & fortis, leonem suffocavit; sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula solvit hostium; sed suarum non solvit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas, & unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit.* Sed cur prostratus fuit Samson, non Joseph? Samson Dalilæ adhæsit; Joseph relicto pallio fugit; Samson præbuit Dalilæ aures; oculos non avertit: Joseph ne simplici quidem aspectu adulteram fuit intuitus *Egressus est foras,* ait textus. Philo. *penitus scilicet, nunquam reversus.* S. Ambros. lib. de Joseph. cap. 5. *Magnus vir Ioseph! qui adamatus, non redamavit; rogatus non acquievit; apprehensus aufugit. Qui teneri veste potuit, animo capi non potuit. Ac ne ipsa quidem verba diu passus est, contagium enim judicavit, si diutius moraretur; ne per manus adulteræ, libidinis incentiva transiret.* Joseph vicit! quia fugit.

§. 14. Epilogus. Epilogus sit aurea sententia S. Augustin. Serm. de temp. *Contra libidinis impetum, apprehende fugam, si vis invenire victoriam! Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.*



CON-

CONCIO XLI.

PRO DOMINICA XIII. POST SS. TRINITATEM.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, Luc. 10. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DEUS vult à nobis diligi, corde puro, igneo & pio. Occasione tertiæ conditionis miscentur pulchra de compassione, & misericordia erga miseros & egenos; cum gravi invectiva in divitem epulonem ob dura ejus viscera erga Lazarum, & alios pauperes.

§. 1. *Cor hominis nullum gravem patitur defectum.*

§. 2. *Itaque in sensu quoque mystico Deo offerri debet cor sanum & purum.*

§. 3. *Figura fuit in Veteri Testamento mundatio victimarum.*

§. 4. *Cor purum est nitidissimum speculum.*

§. 5. *Prosecutio.*

§. 6. *Exterior pulchritudo Rebeccæ fuit imago pulchritudinis interioris in corde.*

§. 7. *Deus vult à nobis amari corde igneo.*

§. 8. *Displicet DEO cor sine igne.*

§. 9. *Placet Deo cor ardens jugi ignis divini amoris.*

§. 10. *Christus D. venit ignes mittere in terras.*

§. 11. *Cur sponsa dilectum vocet fasciculum myrrhæ.*

§. 1. *Cor hominis nullum gravem patitur defectum.*

UT humanum cor effectus naturæ convenientes operetur; hoc est, ut sit origo, & fons puri sanguinis, qui ex corde derivetur ad venas; ut omnibus membris communicet debitum calorem, præsertim nativum; necesse est, ut sit sanum & integrum. Unde Arist. dixit l. 4. de part. anim. cap. 2. *Cor nullum patitur affectum violentum.* Et l. 3. c. 4. *Cor solum, viscerum atque omnino partium corporis nullum vitium patitur grave; idque recta ratione, cùm enim principium corrumpitur, nihil est, quod cæteris, quæ inde pendeant, præbere auxilium possit.* Consentit Aristoteli S. Greg. Nyss. l. de hominis opificio, cap. 30. in quo laudat Dei providentiam, in dispositione humani cordis, quod tot ac tantis munitionibus circumvallatum constituit, ne quidquam pateretur nocumenti. Hæc sunt illius verba: *De corde; esse nimirum hoc instar munitæ domus, omni ex parte comprehensum aptissimè, ac circumdatum, ab ossibus durissimis; ut hoc modo tutum undique foret, adversus res omnes, quæ ipsi vel molestiam, vel malum etiam creare possent, ne quid adversi patiatur.* Veritatem hujus discursus docet experientia.

§. 2. *Itaq; in sensu quoque mystico, Deo offerri debet cor sanum & purum.*

In sensu quoque mystico, ut cor, sive anima hominis, Deo sit accepta victima, & suaveolens holocaustum, necesse est, ut sit sanum & integrum, hoc est, ut nulla putredine gravis alicujus peccati corrumpatur. Nullus depravatus affectus, nullum crimen debet illud tangere; nulla vitiositas est admittenda; si debeat esse fons & origo caloris, à quo pendet sanitas animæ, scilicet divinæ gratiæ, & divini amoris. Cor purum exigit Deus.

Digitized by Google

Miranda certè est admirabilis Dei cura & solertia, quam adhibuit, in disponendis legibus sacrificiorum, & ritibus victimarũ; qui omnes eò tendebant, ut Deo offerrentur victimæ, puræ & immaculatæ. Ideo jussit Deus, illas prius mundari aquis, vel uri ignibus, ad procurandam majorem munditiem. Ita necesse est, ut si corda nostra Deo velimus offerre in suave holocaustum, sint prius mundata lacrymis pœnitentiæ, & purificata per ignem divini amoris. Quod Philo advertit, dum ait: *Qui nullius indigus, offerri sibi postulat, propter summam erga genus nostrum benignitatem,* (hoc est, vult ut illum diligamus ex toto corde, &c. sed cum hac conditione:) *Vt per studium cultus divini puri fiamus ab iniquitatibus, & abstergamus sordes contractas vel verbis, vel operibus.* Et pulchertimam addit rationem: *Non ferendum videtur, ut Deum purissimum accedat quis impuram habens animam, nisi mox sequatur pœnitentia.* Cor Deo offerendum, est lucidissimus adamas, & pellucida margarita, Deo gratissima; sed stercore & cœno scelerum non est deturpanda. Cor Deo offerendum, est fons aquæ purissimæ; absit, ut misceantur sordes ex cloaca Babylonis. Cor Deo offerendum, est ara, in qua ardet ignis divini amoris; nisi vitietur turpi fumo libidinis; cor purum exigit Deus. §. 3. *Figura fuit in V. T. mũdatio victimarum.*

Ideo S. Gregor. Nyssenus vult illud esse simile, nitidissimo speculo, de quo ait: *Si diligenti & accuratâ vitâ sordes cordi illitas, & obductas rursus ablueris, resplendebit in te divina pulchritudo; quemadmodum ii, qui in speculo solem vident, etiamsi cœlum ipsum fixis oculis non contueantur; nihilo secius in splendore speculi solem vident, quàm illi, qui ipsum solis orbem intuentur. Ita nos ad contemplandum lumen inaccessum. Puritas enim, & vitiorum affectuumque vacuitas, & ab omni malo abalienatio, Deitas est; Si hæc in te sunt, Deus prorsus in te est; Sanctimonia, puritas, lucidi divinæ naturæ splendores, per quos Deus videtur.* Cor omni vitio tersum, splendidum virtutibus, nuncupat S. Nyssenus *Speculum divinitatis*; in eo etenim, in quo nitet sanctimonia, & puritas, divinæ naturæ sol conspicitur. Ut pulchritudini talis cordis applicari possit vers. 26. cap. 7. Sapientiæ: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Majestatis.* §. 4. *Cor purum est nitidissimum speculum.*

Com-

Digitized by Google

§. 5. *Prosecutio.* Comparatio puri cordis cum speculo, valde placuit S. Basilio M. in proemio in Isaiam, dum ait: *Quemadmodum puræ ac pellucidæ animæ, veluti specula factæ sunt divinæ operationis, & imaginem integram & inconfusam, nullaque ex parte turbatam carnis affectibus repræsentant. Nam omnibus quidem adest Sanctus Spiritus; verùm in iis, qui puri sunt affectibus, peculiarem vim ostendit, cæterum, qui gubernatricem animi partem, confusam habent peccati sordibus, his non adest.* (possunt hæc pulchrè applicari cordi, quo Deum debemus amare.)

§. 6. *Exterior pulchritudo Rebeccæ fuit imago pulchritudinis interioris in corde.* De Rebecca uxore Isaac ait cap. 24. Gen. ℣. 16. *Puella decora nimis, virgoq; pulcherrima.* Sciendum porro est, voculam *Rebeccam* significare 1. *Incorruptionem*; deinde, *gloriam Dei*; 3. *templum Dei sanctificatum.* Itaque Moyses per commendationem pulchritudinis exterioris, quod fuerit *decora nimis*, simul ob oculos nobis proponere voluit, pulchritudinem internam cordis ejus; scilicet quod fuerit 1. incorruptum ab omni putredine peccati. 2. quod in illo veluti speculo refulserit gloria Dei. 3. quod cor Rebeccæ Deo fuerit tranquilla habitatio, & templum sanctificatum. Rebecca fuit figura Beatissimæ Virginis, quæ ob tale cor placuit oculis Altissimi. Advertamus ex his, quale cor Deus à nobis exigat (habes latum campum, hinc faciendi invectivam in corda impura; hinc laudandi animas sanctas, quæ puro corde Deum amant ex toto corde, domus Dei, est mens pura, & cor perpurgatum.)

§. 7. *Deus vult à nobis amari corde igneo.* 2. Deus exigit cor igneum. Bene dixit Arist. cor in hum. corp. esse quasi lares, & focum, quo naturæ fomites, & primordia ignis nativi contineantur, & serventur. In idem recidit, quod affirmat S. Gregor. Nyss. de hominis opificio c. 12. Motum mentis, igneæ naturæ affinem esse. Cumque in corde caloris fontem esse, sit in confesso: idcirco mentis motum, cum caloris mobilitate quasi temperatum esse, cor naturæ intelligentis receptaculum, quod calor eo contineatur. Itaque cor est quasi ignis perpetui ara, & vivus focus; igneos & vitales spiritus corpori distribuens, ut vitâ & vitali spiritu, & halitu caloris vivat. Ut sciamus in sensu mystico,

Digitized by Google

mystico, necessarium esse, ut ignis divini amoris jugiter in cordibus nostris ardeat.

Incitatam invectivam in Judæos jactat Oseas cap. 3. vers. 4. *Dies multos sedebunt filii Israel, sine Rege & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine theraphim.* Ultimam voculam varie legunt Interpretes. LXX. *Erunt sine manifestationibus.* S. Cyrillus. *Sine manifestis.* Aquila. *Erunt sine illuminationibus.* Minatur Propheta his verbis obstinatis Judæis cœcitatem mentis, & consequenter, majus adhuc supplicium, quod ex priori sequitur, *Erunt sine igne.* Hæc scilicet est magna pœna peccati, quando homines carent igne divini amoris, quando in corde deest ara & focus charitatis. Quando cor glacie cœcitatis, & nive incredulitatis induratum, ignitum Dei flatum admittere recusat. Tale cor displicet Deo. §. 8. *Displicet Deo cor sine igne.*

E contra, gratissima illi victima est, cor, in quo jugiter ardet ignis divini amoris. Jussu DEI in templo Salomonis, altare ignis & incensi, elegantissime fabricatum, collocatum est; in quo ignis perpetuus alebatur, semper vivens, nullo eventu intermortuus; ut ara illa, & focus ignis sacri, sacrosanctus ille fons perennantis elementi fulgidi, & ardentis, flammas & ignes subministraret sacerdotibus ad comburendas victimas & voranda holocausta. Levit. cap. 6. vers. 12. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est ille perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Alii legunt. *Desuper adolebit hostiam salutarem.* Quænam vero illa sit, eleganter explicat Isychius l. 2. in Levit. c. 1. *Ignis, in quo ordinari oportet intelligibilem hostiam, quam* LXX. *salutarem ediderunt, ut desiderium salvationis offerat, seu devoveat, qui spiritu totus factus spiritualis, nihil mali habens, nihil miserum, neque terrenum, ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari; spiritus enim est DEVS, & qui adorat eum in spiritu, & veritate oportet adorare. Vnde & intelligibile altare, quod est Christi Corpus, inextinguibilem habet ignem, subministrationis* §. 9. *Placet cor ardens jugi igne divini amoris.*

Spiritus.- In ſpiritu autem vivere, eſt proprii Spiritus ſalutem cupere, tunc enim in ara ignis perpetui vivit cor Deo dicatum, cum deſideriorum ligna ſubiicit, ſacrati ignis alimenta, & incrementa. Perpende illud, intelligibile altare quod eſt Chriſti corpus inextinguibilem habet ignem, ſubminiſtrationem Spiritus. Corpus enim illud, quod in ara immolatur, perpetuos ignes Spiritus eructat, confoventes ſpiritum hominis, & ab eo depellentes teporem. In Chriſto enim Corpus ſpiritus & DEUS dant flammas, quæ corpus Dominicum ſapiunt, Deum & ſpiritum redolent; ut qui juxta igneam ſcaturiginem Deitatis repletus potu vivit, vivat ſpiritu, & vitali igne recaleſcat. Tale cor à nobis exigit Deus.

§. II. *Chriſtus D. venit ignẽ mittere in terram.* Celebris eſt illa Dei ore prolata ſententia, Lucæ cap. 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Nunquid fingemus Deum, inſtar Jovis dextera ſacra jaculantis fulgura & fulmina, aut fluvium igneum emittentem, quo totus deflagraret orbis, aut terræ nomine iſtam, quam pedibus calcamus, madefactam imbribus, gelu & glacie rigeſcentem, ut ſol ille cœleſtis radios in meridie exufflans, eam exureret? fallit nos hæc cogitatio, in alia gleba ignes ſuos accendi deſiderat. In animi delubro, in ara cordis puri, optat ardere has flammas. Audiamus S. Marcum Eremitam. *Templum autem, eſt animi, corporisque delubrum à Deo creatum. Altare ſitum in hoc templo, ſedes eſt ſpei, in qua cogitatio offertur à mente, & velut animal primogenitum immolatur.* Et ſubdit. *Quemadmodum tempore populi Iſraelitici, ignis conſumebat reliquias: non aliter hic evenit; fideli* (& puro) *corde per ſpem reſerato, cœleſtis Pontifex, apprehendit primogenitas animi cogitationes, illasque igne divino abſumit; de quo inquit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Gravis ſceleris expers homo, omnia parata habet ad ſacrificium, in ſe ipſo templum, ara, victima ſacerdos ipſe eſt, parata ſunt omnia, dum voluntas à Deo excitata, ſuarum cogitationum gregem, velut primogenitum animal Deo litat, & offert in holocauſtum. Sed memores debemus eſſe celebris ritus, quem reſpexit citatus Marcus, dum de-

Digitized by Google

de cœlo DEUS inflammabat super sacrificium, & super sacrificulum, & ignis à DEO progrediens totam devorabat victimam: quanto suavius ignis cœlestis humana pectora lambit, & devorat: O quanta ignis divini edacitas! inexplebili edendi humana corda aviditate tenetur; dum plura edit, plus esurit, propter cor hominis famelica est rerum saturitas. O homo! Cor in ara puri pectoris inflammatum mira dulcedine absorbet, & in Deitatem transfert bonus Jesus.

Has delicias experta sponsa, suum sponsum veluti fasciculum florum, mirifice efflantem suavitatis gratiam in medio pectoris collocavit. Cant. 1. vers. 12. *fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* S. Gregor. Nysse. legit. *In medio uberum*, quæ verba elegantissime homil. 3. in Cantic. ita exponit. *Ipse Dominus in fasciculo conscientiæ in ipso meo corde commorans, & habitans.* Localis enim cordis positura ab iis, qui ea sunt speculati, dicitur esse in medio uberum, & cor esse quendam fontem, nobis innati caloris, à quo per arterias, in universum corpus calor distribuitur, per quem fiunt calida, & vitalia membra corporis, ut quæ foveantur ab igne cordis. Quæ ergo principatum tenente animæ facultate, suscepit bonum Christi odorem, & cor suum fecit fasciculum hujus suffitus, se ita comparat, ut omnia singillatim vitæ studia, tanquam alicujus corporis membra, ferveant spiritu, qui ex corde promanet; nulla iniquitate ulli membro corporis refrigerante, dilectionem in Deum. Hæc ille. §. 11. *Cur sponsa dilectum vocet fasciculum myrrhæ*

Unum aut alterum punctum vocandum est ad examen v. g. verba illa: *Cor suum fecit fasciculum hujus suffitus*; quo modo scilicet id fieri possit; & respondeo. A cœlesti sponsa, dum in terris peregrinatur, Christus amore ardens, vivifica hostia quotidie immolatur; cruciatus redolens piorum vulnerum, & acerbissimarum tolerantiam passionum, quæ odoramenta ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris dolorum pigmentariis ex Filio exhalata, odoratus est Pater: hos suffitus & suavitates odorum, qui efflantur è floribus passionum, sacra sponsa in theca puri & amantis pectoris (O quantum tale cor placet divinis §. 12. *Cor igneum est aurea pixis plena odoribus.*

 oculis)

Digitized by Google

oculis) & in corde veluti in pyxide eburnea recondit, ut bonum odorem Christi redoleat, ut unguentorum horum suavitate pelliciat amantes animas, & innumeras adolescentulas ad sponsum attrahat. Vel, Cor fit fasciculus florum & odorum, dum pia anima, memoriam recolens passionum, in corde accenditur ut flagret amore; dum spicula & ignes spirantem Dilectum ad pectus accommodat, incendio charitatis concremata, cor suum virtutum spiracula halat suavissima, iisque recreatur sponsus. Addit Nyssenus. *Scita comparat, ut omnia vitæ studia tanquam alicujus corporis membra ferveant Spiritu.* De accenso & inflammato corde, nonne merito derivantur amores & ignes ad cogitationes & opera, ut omnia ferveant? Anima, quæ inter aras & focos sponsi moratur, non permittit ullum affectum frigore corripi, aut tepidiori aura afflari; sed eos omnes vehementiori spiritu provehit, ut spiritualis vitæ calore invalescant. Tale cor purum, accensum igne divini amoris, cum suavissimis odoribus exhalantibus ex meditatione Passionis Christi, quæ cor magis adhuc inflammat, Deo est suavissimum thymiama & holocaustum. Hi sunt ignes, quos Jesus venit mittere in corda nostra, & quid vult, nisi ut ardeant.

§. 13. *Sacrificiũ Noë quomodo placuerit Deo.*

Postquam totus terræ orbis fluctibus diluvii obrutus in serenitatem & pristinam speciem emersit, Noe egressus ex arca, obtulit sacrificium Domino in gratiarum actionem, Genes. 8. vers. 20. *Ædificavit Noe altare Domino & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Sed quæ suavitas inter tostas animalium carnes: ut iis oblectetur Deus? thus de Saba oluisset sine dubio melius, in aureis phialis vel thuribulis accensum. Sed bene advertit Rupertus lib. 4. in Genes. cap. 28. *Odoratus est Dominus. Hoc de spiritu pietatis est, quod odoratus est Dominus odorem suavitatis; non quod carnium nidoribus oblectetur, nec enim caro ipse est, aut corpus, ut talium ducatur odoratu. Sed quia spiritus est & in hostiis corporalibus, offerentis Cor intuetur, & sapium est* (si purum, si ardens, si redolẽs) *contritione ejus delectatur suavis Dominus, plus quàm homo corporali, quantumvis suavi odore mulceatur.*

Hoc

Hoc enim sacrificium cœlicolis gratissimum, cùm cor purum igne Dei inflammatum ab homine offertur.

3. Cor purum, flagrans igne divini amoris, redolens odoribus passionis Christi, ut Deo adhuc magis placeat, debet esse misericors & pium; exemplo suo id nos docuit Christus Jesus Salvator noster. Fuit impollutus, impeccabilis, segregatus à peccatoribus; Patrem cœlestem amavit ardentissimè; sed simul totũ genus humanum; Misericordiæ formam, pietatis effigiem, compassionis similitudinem, ab ipso mutuare possumus ex cp. 10. S. Luc. (& hod. Evan.) ubi cùm quidam incidens in latrones, spoliatus, plagis affectus, & jam penè animam agens, prætereuntium opem & auxilium implorasset, à Sacerdote & Levita miserè despectus fuit. Samaritanus verò, figuram gestans Jesu Redemptoris, super afflictum pietatis viscera effudit. Luc. 10. ℣. 33. *Venit secus eum, & videns eum misericordia motus est.* Quæ verba sic legit S. Ambr. *Venit secus eum, hoc est, factus compassionis nostræ susceptione, finitimus, & misericordiæ collatione vicinus.* Accessit nimirum Christus, ut oculis cerneret hiãtia vulnera, & vulneribus membra tumentia, ut oleum & vinum infunderet. O pium cor! Asterius in Cat. græca. *Samaritanus bonorum omnium thesaurum afferens præstitit curationem; qui est Salvator noster, sub Samaritani nomine occultatus, & jacenti vulnerato fontes aperiens salutis.* Ex quibus verbis piissimum cor Jesu nobis imaginari possumus veluti fontem misericordiæ, salientem dulcissimis aquis teneræ erga miseros compassionis. Advertamus simul, qualẽ nostrum debeat esse cor erga proximum, si Deo corde puro & igneo diligere velimus.

§. 14. *3. Deus vult amari corde pio, quod spirat misericordiã.*

Consideremus bene, quã ratione Samaritanus erga miserum se gesserit: vel potius Christus D. 1. Cœlestis medicus suo ægrotantem solatus fuit aspectu, & spem recuperandæ sanitatis gratioso intuitu generavit in animo jam è vita migrantis. 2. quàm plurima attulit alleviamenta, & vitæ subsidia. 3. sed majora fuere amoris lenimenta, quibus perfusus fuit languidus, expertus vitæ & sanitatis fontem. Hoc est, Samaritani oculi, lingua, manus & cor fuerunt plena compassione. Talis est Christus Salvator noster erga miseros homines. Tales nos esse debemus, compassio & misericordia, eò permovit Samaritanum,

§. 15. *Tale cor habuit Samaritanus, Luc. 10.*

 ut

ut appropians alligaverit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: quæ vulneribus curandis conducunt. Et ita Samaritanus, non tantùm corde compassus fuit, sed re ipsa beneficium sanitatis contulit, ad misericordiæ perfectionem.

§. 16. *Cur Christus D. carnem assumpserit passibilem.* Argutè perscrutatur Eusebius Emiss. cur Deus ad reparationem orbis & redemptionem generis humani, nostrum corpus tot miseriis obnoxium & non aliquod corpus lucidum, proportionatum lumini Deitatis assumpsit? hom. 11. de pass. ait: *Quid tantopere necesse fuit, ut splendida illa & sincera divinitas, humanæ carnis experiretur injurias?* & R. *Cur lucem susciperet hominem redempturus? inordinatum medici apparet ingenium, si humeris suis imponeret illæsum, & negligeret vulneratum: Illa necesse est, sanitatis arbiter membra contrectet, quæ gravibus morbis æstuare perspexerit. In quo corpore timetur ægritudinis causa, in ipso exercenda est medicina. Nunquid sollicitudo proficiet, si cùm alium dolor teneat, alium cura confoveat? si cum iste crebris anhelæ sitis pulsibus urgeatur, alius pro eo desideratis aquarum refrigeriis irrigetur?* Illis, qui miseri sunt, illis inquam; misericordiam oportet exhibere; ideò passibile corpus assumpsit, quod vibices & vulnera pati potuit, ut ex iis, quæ patiebatur, disceret compati nostris infirmitatibus; nobisque esset exemplo, quomodo tenero corde miseris & infimis debeamus compati.

§. 17. *Cur damnatus fuerit dives epulo.* Disquirit S. Chrysostom. quænam fuerint crimina, ob quæ dives epulo fuit damnatus; neque enim ob purpuram solùm, vel solas epulas tartaris ignibus videtur fuisse addictus. Et R. hom. 1. de Lazaro. *Non hujus solùm, qui jacebat in vestibulo, verùm nec alterius cujusdam ille fuit misertus. Pauperibus non solùm alimenti subsidia, sed & compassionis affectum negavit. Neque istius tantùm flectebatur ærumnis, quem cernebatur cernere jacentem ante fores, sed nullius alterius pauperis vox & ploratus dura potuit commovere viscera. Pauperes verberabant aerem ejulatibus & clamoribus, ipse verò tanquam aspis surda, ne misericordia & pietas eum incantarent, solerter claudebat auditum.* Et subjungit S. Chrysost. *Offerentes sese nostro conspectui, quamvis simus ipsis lapidibus duriores, tamen admirabilem illam pauperum modestiam reveriti, flectimur. Ipsa quoque facies pauperis erat miserabilis, utpote fame, diutinaque ægritudine confecta. Attamen nec* barum

Digitized by Google

barum rerum, quicquam implacabilem illum emollit. Hac igitur prima vitiosa crudelitas erat, inhumanitasque, cui nihil poterat accedere. Ipsa facies miserorum pauperum, squalida, vitaque ærumnis plena, cùm aspectui nostro obversatur, solet quodam pietatis attactu, humanum cor pungere, & vulnerare, & quâdam compassionis symmetria ad ferendas suppetias provocare: dives tamen nec clamoribus, nec tot hiantibus plagis, quæ solent esse ad subventionem, & trahenda subsidia vocalissimæ, emollitus est. Hæc igitur barbara immanitas, alienæ infirmitatis compati nescia, impinguatum & incrassatum divitem perpetuis flammis addixit. Econtrà cor purum, flagrans igne divini amoris, & plenum compassione & misericordia erga miseros, non habet cur timeat æternos ignes: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem.*

Tales in duritia fuêre fratres Josephi, qui omnem affectum pietatis exuentes, fratrem vendiderunt Ismaelitis, neque ejus lacrymis commoti sunt. Unde deinde habiti veluti exploratores dixerunt Gen. 42. ℣. 21. *Locuti sunt ad invicem: meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.* Quæ autem fuerit deprecatio pueri, quæ duritas fratrum, eleganter describit Abulensis in c. Gen. 24. q. 2. proponens verba Joseph. *Miseremini mei, dulcissimi fratres mei: miseremini patris nostri, qui tantâ me teneritudine diligit, ut jam ex nunc vita ejus cum gemitibus agenda sit, & cum vehementi fletu ad inferos ejus canicies descensura. Miseremini ergo mei, nec hoc peccatum habeatis super me dulcissimi fratres mei. Sed ad hoc & plurima alia, quæ deplorabat ille Ioseph puer tenerrimus, cui Deus naturalem tradiderat eloquentiam, ipsi leonibus frementibus saviores, Hircanis tigribus ferociores, surdis aspidibus truculentiores, & asperiores ursâ captis catulis, nullatenus flexi sunt; non fraterna corda, sed hostilia, adamantino lapide duriora gestantes, declinaverunt oculos suos, ne viderent cælum, nec recordarentur judiciorum justorum.* Quibus consonant verba Senecæ l. 1. de clem. c. 5. *Est proprium ferarum, nec generosarum quidem, præmordere & urgere projectos. Elephantes leonesque transeunt, quæ impulerunt.*

§. 18. *Crudelitas fratrum erga Ioseph.*

Digitized by Google

runt. Ignobilis bestia pertinacia est. O duros fratres! qui proprio ſanguini non pepercerunt, ſed juſta punitio non emanſit. Advertamus autem Deo hæc corda diſplicere. Et proinde Joſephi cor ergà fratres imitemur, &c.

§. 19. *Cor Ieſu ef fuit liberale.* Eximium miſericordiæ documentum præbuit Jeſus in curatione cœci, apud S. Marcum c.8.v.22. *Et veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, ut illum tangeret. Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum.* Ecce majorem exhibet Chriſtus D. clementiam, quàm petierint: non enim tantùm tetigit, ſed manu apprehendit. De quo pulchrè D. Chryſol. ſer.176. *Illi rogabant, ut vel tangeret eum: ſed Chriſtus, qui horrere neſcit pauperem, ſed pauperem ſcit amare, totam dedit pauperi manum. Et debilitati Deus publicam tribuit ſervitutem.* Quàm dulcis Salvatoris miſericordia! qui non ſolâ manus impoſitione, & attactu ærumnoſi, ejus procuravit ſanitatem, ſed totius divinæ manus amplexu, cum manu cœci, ſuam illaqueat manum, ut præbeat cœco ducatum, & fulcrum, quo debilia membra ſuſtentet. Felix ærumna, quæ omnipotentis manum meruit. Condere cœlum, ſolem, &c. ſunt opera digitorum; adjuvare pauperem, eſt opus totius manus Dei. *Totam dedit pauperi manum.* O quantum oſtendit pietatis affectum, qui totam pauperi dedit manum, ut eripiat à caſu, ut liberet à cœcitatis ærumna! addit Evang. v.23. *Impoſitis manibus ſuis.* Hoc eſt, piiſſimus Jeſus non fuit contentus cœco unam ſolùm donare manum, ſed utramque, ut advertamus ſuperefluentiam & abundantiam divinæ erga pauperem pietatis.

§. 20. *Epilogus ex Seneca.* Talem pietatem olim Imperatoribus præſcripſit Seneca l. 2. de clem. c.6. *Succurret alienis lachrymis* (ſcilicet pius Imperator) *dabit manum naufrago, exuli hoſpitium, egenti ſtipem.*



CON-



CONCIO XLII.

DOMINICA XIV. POST SS. TRINITATEM.

Unus ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum,

Lucæ 17. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX suppositione, quod laus Dei sit actus gratitudinis erga Deum, ostendit, esse æquum, dignum, utile & jucundum, laudare Deum, eumque magnificare.

§. 1. *Exordium & Propositio Concionis.*

§. 2. *Laus Dei est triplex, Cordis, Oris & Operis.*

§. 3. *Quomodo Sancti in cœlis laudent Deum: ut quantum fieri potest, simili modo laudemus eum in terris.*

§. 4. *Varia attributa, ob quæ Deus dignus est, ut à nobis laudetur, quantum fieri potest.*

§. 5. *Laus Dei, Deo est suave sacrificium.*

§. 6. *Sponsus libenter audivit, se laudari à sponsa.*

§. 7. *Oratio laudans Deum, est veluti aurea virga aperiens thesauros Dei.*

§. 8. *Summa animæ jucunditas, est laudare Deum.*

§. 9. *Quod pulchris verbis prædixit Isaias cap. 51.*

§. 10. *Et expertus fuit S. August. aliique experiuntur.*

§. 11. *Dignas quidem Deo laudes offerre non possumus, conari tamen debemus, ut laudemus, quantum possumus.*

Digitized by Google

§. 1. *Breve Exordium & Propositio.*

EX verbis Christi D. quibus in hodierno Evangelio, magnifico encomio laudatillum leprosum, ex decem, qui ut vidit, quia mundatus est, regressus est, & cum magna voce Deum magnificavit, colligere possumus, placere illi gratitudinem, & gratiarum actionem, pro tam immensis beneficiis; cujus virtutis una ex præcipuis est, Deum laudare & magnificare, qua vocula Beatissima Dei Mater usa fuit, in suo hymno gratiarum actionis, suavi voce exclamans Lucæ 1. vers. 47. cap. *Magnificat anima mea Dominum.* Ut idem faciamus, ostendam hac concione, id æquum, utile & jucundum nobis esse. In discursu simul patebunt modi & praxes, quibus Deum laudare, & magnificare possumus. Enixe rogo, ut dictionem meam solita & benevola attentione excipiatis.

§. 2. *Laus Dei, est triplex, Cordis & Operis.*

Laus Dei, ex mente S. Chrys. est sapida quædam cognitio, in intellectu nostro, Divinæ Majestatis, & infinitæ ejus excellentiæ, quæ cognitio, veluti lux quędam, in cordibus nostris, ingens & ardens excitat desiderium, & affectum, laudandi, extollendi, & magnificandi tantam Dei nostri Majestatem; idq; corde, ore & opere. Quem triplicem gradum S. Paulus insinuat c. 5. v. 19. ad Ephesios: *Implemini Spiritu Sancto* (ecce lucem & cognitionem, quæ requiritur) *loquentes vobis metipsis* (ecce laudem oris) *in psalmis & in hymnis, & canticis spiritualibus; cantantes & psallentes, in cordibus vestris Domino* (ecce laudem cordis) *in nomine Domini nostri Jesu Christi*: ecce laudem operis, illi enim, si in vita & moribus nostris, similes simus, Deum perfectissimo modo laudamus, & magnificamus.

§. 3. *Quomodo sancti in cælis laudent Deum: ut quantũ, fieri potest similimodo laudemus in terris.*

In cap. 5. Apoc. hæc fusius & clarius reperio. Rapitur S. Joannes in altum instar Aquilæ usq; ad thronum Dei, in quo vidit sedentẽ Agnum stantem, tanquam occisum. Rem mirabilem! coram hoc agno 1. quatuor mystica animalia, & viginti quatuor seniores redimiti coronis procubuerunt humi. 2. pulsarunt citharas. 3. aperuerunt phialas, plenas odoramentorum. 4. suavissima voce cecinerunt hoc canticum v. 12. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* 5. Numerus ita canentium tantus fuit, ut S. Joannes dixerit:

erat

erat numerus eorum millia millium, tum addit. *Et omnis creatura, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari*, dixerunt, *Amen*! Quis ex hoc loco non intelligit, quomodo Deum debeamus laudare. Ut scilicet 1. stemus coram throno Divinæ Majestatis, replentes intellectum sublimibus & excelsissimis cogitationibus de divinis ejusdem perfectionibus, de omnipotentia, sapientia, bonitate, &c. quibus veritatibus, si intellectus noster impleatur; impossibile est, ut. 2 in voluntate non inardescat ardens desiderium laudandi illas perfectiones, omni possibili modo. Voluntas vero sic irradiata, & ita inardescens 3. reliquis omnibus potentiis, internis & externis imperat, ut modo quo possunt, in hymnis, canticis, citharis, &c. omnibusque operibus, & semper, quantum possibile est, dies noctesque sine requie Deum laudent & magnificent. 4 Cum ingenti desiderio, ut omnis creatura, quæ in cœlo est, & subter terram, & sub terra, & quæ in mari, in montibus, in vallibus, &c. sunt, pari modo quo possunt, Deum laudent, ut impleatur versus 10. S. Pauli ad Philip. cap. 2. *In nomine Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.*

§. 4. *Varia attributa, ob quæ Deus dignus est, ut à nobis laudetur, quantum fieri potest.*

Paucæ voculæ ex eodem cit. c. Apoc. præcipue sunt expendendæ. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere Divinitatem, & sapientiã & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Hoc est, Deus laudandus est propter suam Divinitatem, qua est immensus, infinitus, æternus, incomprehensibilis & ineffabilis: rerum omnium principium & finis: infinite major omni laude. Eja Angeli, Archangeli, Dominationes! laudate Deum. Ut hoc faciatis, dignissimum est, Ecclesiastici c. 43. v. 32. *glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis. Supervalebit adhuc & benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis, major enim est omni laude: exaltantes eũ replemini: non enim comprehendetis.* 2. Deus est infinite sapiens, qui vigilantissima providentia, in cœlis & in terris, omnia regit, disponit, & gubernat, in numero, pondere & mensura; Eja Principatus Virtutes, & Potestates! laudate Deum! ut hoc faciatis, dignum & æquum est, *glorificantes Dominum*, &c. 3. Deus est infinite bonus, suavis, longanimis, & dulcis! est sanctus, sanctus, sanctus! Eja Throni, Cherubim & Seraphim! laudate Deum! ut

Digitized by Google

hoc faciatis, æquum & dignum est! *glorificantes Dominum, &c*, (si placuerit, poterit fieri longior inductio, per varias divinitatis perfectiones, & diversos ordines creaturarum.)

§. 5. *Laus Dei, Deo est suave sacrificium.*

Hæc est illa laus, quam Deus petiit à David e Psalm. 49. vers. 13. *Nunquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis.* & vers. 23. *sacrificium laudis honorificabit me.* S. Paulus ad Hebr. cap. 13. vers. 15. *Per ipsum offerimus hostiam laudis; fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Quam gratum & jucundum Deo sit hoc sacrificium, S. Chrysostomus homil. 1. ad pop. exponit argumento, quod sumitur à contrario. *Si quis ad tam enormem perveniret malitiam, ut ex odio Dei, eundem, dies & noctes, quovis momento si possit, blasphemaret, malediceret & execraretur; quot infernis, talis esset dignus? nunquid justum est, ut tam impius homo, post infelicissimam mortem, æternum ardeat in infernalibus flammis* Merito talem Deus, tanquam objectum sui odii, in furore suo abominatur. Econtra patet; quantum Deo placeat, si ab homine justo continuo laudetur & glorificetur, verbis his- *Dignus est Agnus!* &c. *Sanctus*, &c. *gloria Patri*, &c. *Benedictus Deus!* his inquam verbis, millies ex corde puro, prolatis; meremur, ut post mortem felicissimam, æternum in cœlis, cum omnibus Sanctis Deum laudemus, & magnificemus. Deus libenter audit laudes nostras.

§. 6. *Sponsus libenter audivit se laudari à sponsa.*

Simile quid adverto in sponso; dum Canticorum cap. 8. vers. 13. ait ad sponsam: *Quæ habitas in hortis; amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Item. *Sonet vox tua in auribus meis.* quasi d. O dilecta mea, quam libenter audio suavissimas tuas voces; quibus me vocas, nunc pulcrum, candidum, rubicundum, electum ex millibus! nunc flosculum, rosam & lilium campi; nunc fasciculum myrrhæ; nunc pomum, &c. (vide pulchra elogia in Canticis, quibus nunc non inhæreo) Colligo tantum ex loco, valde placuisse sponso, quando à sponsa fuit laudatus. Idem cogitemus de Deo nostro, dicite millies, *Benedictus Deus!* dicite *Sanctus!* &c. Hæ voces statim resonent in auribus Dei: imo amici, hoc est sancti Angeli auscultant; suasque voces nostris miscent, dicentes, *sanctus!* &c. Deus vero (Eccle-

Digitized by Google

(Ecclesiastici 47. ℣. 8.) *In omni opere dat confessionem sancto & excelso in verbo gloriæ*: de eodem ibidem dicitur, *de omni corde suo laudavit Dominum*: de Deo verò additur, *& dilexit eum, & dedit illi contra inimicos potentiam.* Causam dilectionis advertit S. Chrysostomus hom. 8. in ep. ad Colossenses: *Nihil hâc linguâ* (quæ Deum laudat, & magnificat) *est sanctius; certè non est inferior linguâ Martyrum; utraque pariter coronatur.* Libro 1. verò de amando Deum aureo ore protulit sententiam, omnium cordibus inscribendam: *Cùm aliquem videro non addictum orationi* (& precibus, Psalmis, hymnis, quibus Deus laudatur, & glorificatur) *nec ejus curam habere; statim colligo, eum nihil egregiæ dotis,* vel sanctitatis *in animo possidere. Si autem video cultui divino valde attentum, & summum damnum reputantem, quod non oret continuò; conjecto talem omnis virtutis firmum esse meditatorem, ac Dei templum, in quo Deus habitet & glorificetur.*

Numerorum cap. 20. v. 11. Moyses inter ardentes preces, & invocationem nominis Domini, virgâ suâ percussit petram sive silicem durissimum, & aperuit thesaurum aquarum, *eduxitque fontem aquæ vivæ.* Petra melle fluens, est Christus crucifixus. In ejus rimis sive sanctissimis vulneribus, latent thesauri divinitatis; latet sanguineus fons aquæ salientis in vitam æternam. Aurea virga vel clavis, ut thesauros hos aperiamus, & has auri fodinas, debet esse lingua nostra, laudans, glorificans, & magnificans Dominum. Jam adverto, me declarasse alteram partem concionis, scilicet valde proficuum & salutare nobis esse, si omni conatu, & frequenter laudemus Deum. §. 7. *Oratio, laudans Deum, veluti virga Moysis aperit thesauros Dei.*

Quod etiam nunquam præstabimus, sine peculiari gaudio, solatio, & lætitia. *Laus enim Dei*, ut inquit sanctus Basilius, *est opus Angelorum*, qui ad hunc finem à Deo creati sunt, ut coram throno divinæ Majestatis, in palatio cœlestis Jerosolymæ, jubilent & Deum laudent. *Beatus verò in terris est, ille homo* (S. Ephrem) *qui factus est, sicut Cherubim & Seraphim; & in divino officio nunquam est segnis, sed assiduus glorificat Deum.* S. Bernardus serm. 11. in Cant. *Nihil ita propriè quendam in terris repræsentat cœlestis beatitudinis statū, sicut alacritas laudandi Deum, dicente scriptura: Beati,* §. 8. *Summæ amœnitatis & jucunditatis est, laudare Deum.*

 qui

Digitized by Google

qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. Serm.21.in Cant. *Eris tenens quandam imaginem æternitatis; benedicens Dominum omni tempore.* Eja animæ piæ! laudate Deum! dicite millies, *Sanctus! Sanctus!* Suspirate millies, *Benedictus Deus!* anhelate millies, *Gloria Patri, &c.* his verbis veluti aureis coloribus, in cordibus nostris depingere possumus imaginem beatissimæ & jucundissimæ æternitatis. Cùm Beatissima Virgo Maria dixisset: *Magnificat anima mea Dominum.* Statim subdit: *& exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

§. 9. *Quod pulchris verbis prædixit Isaias cap. 51*

Quam lætitiam, & exultationem prædixit Isaias cap. 51 ℣. 3. *Consolabitur Dominus Sion, & ponet solitudinem ejus, quasi hortum Domini: gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis*: quæ vox, ex mente Interpretum, Apocal. cap. 5. v. 9. vocatur, *Canticum novum*; eò quod semper novâ hilaritate afficiat, mulceatque animos eorum, qui instanter, ferventer, millies & millies, sine requie Deo canunt Psalmos, Hymnos, & Cantica laudis. S. Bernardus: *Verè canticum novum, quod hominum animos, ad æternam innovat beatitudinem.* Psalmo 149. ℣. 5. ait David: *Exultabunt Sancti in gloria; lætabuntur in cubilibus suis*, continuò scilicet laudantes Dominum. Hanc causam subdit David ℣. 6. *exaltationes Dei in gutture eorum*, hoc est, inquit D. Basilius: *Hymnodiæ, & Psalmodiæ.* Scio regium Psaltem hæc dixisse de sanctis & beatis in cœlo; sed nihil obstat, quò minus dicamus de justis in terra, qui Deum laudant, consolatur eos Dominus; habitationes illorum ponit Dominus quasi hortos & paradisos deliciarum: gaudium & lætitia inveniuntur in illis; gratiarum actio, voces laudis, exaltationes, hymnodiæ, psalmodiæ, cantica nova, à quibus eorum animi admirabili afficiuntur dulcedine; exultant in gloria, lætantur in cubilibus suis.

§. 10. *Et expertus fuit S. Aug. aliiq; experiuntur.*

Expertus id fuit S. Augustinus, quando lib. 9. Confess. cap. 6. dixit: *Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis; suave sonantis Ecclesiæ tuæ, vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis; & eliquabatur veritas tua in cor meum, & æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Idem hodie experiuntur animæ piæ. Audiuntur v.g. inter musicos concentus,

Digitized by Google


tus, dulces illi versus ex Ps. 28. ℣. 2. *Afferte Domino gloriam & honorem; afferte Domino gloriam nomini ejus; adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Probate Auditores! ex consideratione divinæ Majestatis, excitate in vobis ingens desiderium laudandi Deum; auribus audite, linguâ canite, easdem voces; *Afferte Domino*, &c. & experiemini, an non illæ voces influant in aures, & corda; an non inde æstuet affectus devotionis? an non vobis sit bene? (hoc modo, per alios versus laudis & benedictionis, v.g. ex Ps. 20. ℣. 6. *Magna est gloria ejus*, &c. ex Ps. 112. ℣. 3. *A solis ortu*, &c. poterit fieri longa inductio.) *Psalmus* (ait S. Isidorus lib. 3. Sent. c. 7.) *est vox Ecclesiæ, quæ dies festos reddit illustriores, replens illos lætitiâ.* Hanc lætitiam experti fuerunt illi, de quibus Cassianus ait: *Nulla inter illos audiebatur vox; nisi forte hæc, quæ per excessum mentis, claustra oris effugisset, quæque insensibiliter cordi subrepsisset, immoderato scilicet, atque intolerabili spiritus fervore succensa; dum ea, quæ ignita mens, in semetipsa non valeret continere, per ineffabilem quendam gemitum, ex intimis pectoris conclavibus, evaporare conabantur.* Et cum quibus affectibus? S. Dionysius Areop. vocat, *inflammatos affectus amoris, ferventes petitiones; actus compunctionis*, &c. Sed experientiam appello; an ita affectos, Deus non consoletur, &c. fiat pulchra superiorum repetitio.

Sed sit ita, laudemus Deum quantum possumus; nihilominus locum habet quæstio Siracidis Ecclesiastici 43. ℣. 35. *Quis magnificabit eum, sicut est ab initio?* Tigurina. *Quis eum extollet pro dignitate?* Vel ut ait David Ps. 150. ℣. 2. *Secundum multitudinem magnitudinis ejus? cùm virtus ejus sit inexplicabilis; pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis; cujus definitio est, finem in Sanctorum laudibus non habere*, inquit Cassiodorus. Et S. Cyprianus in prologo libri de operibus card. *Quidquid audiri, vel videri, vel sciri potest, non convenit Majestati: hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, & caligat aspectus.* S. Greg. l. 3. Mor. cap. 5. *Pene omne, quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quod potuit dici. Nam cujus laudi non sufficit obstupescens conscientia*, (sive intellectus) *quomodo sufficiet loquens lingua?* Ut S. Hieron. bene dixerit, super ℣. 2. Ps. 64. *Silentium; laus Deo.* Verissima hæc sunt; non tamen

§. II. *Dignas Deo laudes offerre non possumus, conari tamen debemus, ut laudemus quantum possumus.*

Digitized by Google

tamen ideo omittere debemus Deum laudare; dicuntur quidem hæc, *quod laudem afferre non possimus, quæ magnitudini ejus respondeat*. Offerre tamen possumus talem & quantam; quanta & qualis nobis conceditur, *ut offeramus tam magno Deo*, juxta v. 3. Ps. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non est finis*. Verùm propter hanc ipsam, debemus quidem facies nostras tegere alis reverentiæ & timoris; sed eò instantiùs clamare, *Sanctus! &c.*



CONCIO XLIII.

DOMINICA XV. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini,

Matth. 6. ℣. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRobat variis argumentis, quantam circa corporis sustentationem, in Dei bonitate & amabili ejus providentiâ, debeamus collocare spem & fiduciam.

§. 1. *Christus D. conatur quinq; gravibus argumentis, nobis persuadere, ut circa curam corporis non nimium simus soliciti.*

§. 2. *Patris dulce nomen.*

§. 3. *Paterna Dei providentia & solicitudo erga populum in deserto.*

§ 4. *Defendit suos contra hostes.*

§. 5. *Benefecit eisdem, per columnam nubis & ignis.*

§. 6. *Quàm variis titulis Pater cæle-*

Digitized by Google

cælestis demonstret suum affectum erga homines.

§.7. *Christus D. pascens quinq; millia hominum in deserto.*

§.8. *Fidamus Deo! qui toties promisit, se non velle suos deserere.*

§.9. *Non omnis, sed immoderata, & peccaminosa cura à Christo Domino reprehenditur.*

§.10. *Prosecutio.*

§.11. *Elogiũ spei & fiduciæ in Deo. Hinc solatium, & beatitudo in hac & altera.*

MAgnum salutis nostræ impedimentum est nimia cura & solicitudo de cibo, potu, vestitu, & necessaria corporis sustentatione, quod Christus D. salutis nostræ avidus conatur removere, sive nobis persuadere, ut in his rebus non simus nimis soliciti, sed in Deo, ejusq; omnipotentia, sciẽtia, providentia, & bonitate, quibus attributis, potest, scit & vult nobis in omni necessitate succurrere, totã nostram spem, & fiduciam collocemus. In quem finẽ, variis utitur argumentis. Primum est: *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* q. d. Deus qui animam & corpus ex nihilo creavit, nobisq; dedit: nonne dabit quæ longe minora sunt. Hugo. *Qui dedit animam, quæ magis est, dabit escam, quæ minus est, Anima enim plus est quam esca.* Alterum argumentum hoc est, *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa Nonne vos magis pluris illis?* q. d. si Deus aves irrationales, de victu non laborantes, pascit, alit, & plumis vestit; quanto magis alet vos, quos ad imaginem & similitudinem suam creavit; & perditos suo sanguine redemit, futuros coheredes Christi, heredes æternæ glorię. Tertium. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, &c.* q. d. Si Deus ornat, vestit flores, quanto magis vos. Quartum. *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* q. d. quod illi Deum ignorant, qui nihil sciunt de ejus providentia, & bonitate erga homines, ita sint soliciti, hoc non est mirum; sed hoc stupore dignum est, quod vos à dono fidei illuminati, circa curam corporis, tam sitis pusillanimes. Ultimum argumentum hoc est, *scit enim Pater vester &c.*, q.d. (inquit Cardin. Bellarminus) *Quare ab aliquo puero; quid facies cum ista vestis consumpta & attrita fuerit? tu parvulus es, pecunias non habes, artem faciendarum vestium non tenes: quid igitur ages? quomodo te vesties; nudus sis inposterum necesse est.*

§.1. *Christus D. conatur quinq; argumentis nobis persuadere, ut circa curã corporis, nõ nimis simus solliciti*

est. *Sed non terrebis; habet enim responsionem in promptu. Pater meus erit solicitus de hoc & nihil mihi deesse patietur.* Cur igitur Auditores, nos non tantum in Deo confidimus, quantum in suis parentibus confidunt pueri! Pergam in hac Concione suavissimam & utilissimam hanc doctrinam fusius explicare. Attendite.

§. 2. *Patris dulce nomen.* Suavissimum & dulcissimum est nomen Patris. Reperiuntur antiqui Romanorum nummi in laudem Imperatoris Augusti, in quibus ex una parte stat Virgo, cujus vestimentum est plenum oculis, cum hoc lemmate unicę voculæ, *Providentia.* Altera nummi facies refert imaginē Cæsaris Augusti, cum hoc elogio, *Divus Augustus Pater.* Ut sciamus, Imperatorem Augustum, omnium laudū encomiis fuisse dignissimum, eo quod erga suos subditos, fuerit solicitus, providus & amantissimus Pater: qui suos, non veluti subditos, sed quasi filios tenerrimo amore fuit complexus. Pater! si derivationem gręcam spectemus, quod suis filiis de omnibus prospiciat, provideat, observetq; an quid desit. Pater! latine dictus, à patefaciendo, eò quod si pater est, se totū, præsertim cor & viscera pietatis pandat filiis, & patefaciat; & in quibus potest, benefaciat. Meo judicio, nummorum horum imagines & inscriptiones, in longe excellentiori gradu, conveniunt Patri nostro cœlesti, quem S. Paulus vocat *Patrem miserationum & consolationum.* Christus D. ait, *Pater vester!* qui omnia videt, de omnibus necessariis providet, omnibus aperiens viscera miserationum! suos in necessitatibus nunquam deserens.

§. 3. *Paterna Dei providentia & sollicitudo erga populū in deserto.* Jubente Deo Moyses educit populum ex Ægypto in desertum. *Fueruntque omnis numerus filiorum Israel* (quis crederet, nisi essent verba sacri textus Num. 1. c. 46.) *qui poterāt ad bella procedere sexcenta tria millia virorum, quingenti, quinquaginta.* Si juxta computum Saliani addamus mulieres, parvulos; excurret numerus ad tricies centena millia hominum. Hos deduxit Moyses per desertum per quadraginta annos. An non aliquis illi dicere potuisset. Quid agis Moyses? quis tantæ multitudini providebit de necessario pane? Ps. 77. v. 19. *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Inanis, non necessaria quæstio: eodem Ps. 77. v. 24. *Pluit illis manna ad māducandum, panem cœli dedit illis.* Exodi 16. v. 4. *Ecce ego pluam de cœlo.* Nunquam illis defuit panis. Verum, O Moyses, quis providebit de

potu?

Digitized by Google

potu? in deserto, inter saxa & rupes? Inanis quæstio, Deus est providentissimus Pater: *eduxit aquam de petra, & deduxit tanquã flumina aquas*. Sed qualis fuit ille panis, qualis ille potus? De pane ait c.16. Sapientiæ.v.20. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum; & paratũ panem de cœlo præstitisti illis sine labore; omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* De potu, ait sacer textus, quod non tantũ de aqua illis provisum fuerit ad necessitatem; sed montes & saxa fluxerunt lacte, oleo, melle ad delicias! O providum & simul amabilem Patrem! Quia enim rebellis & ingratus populus hoc pane non fuit contentus, sed contra Deum murmurans petivit carnes, aerem replevit avibus, tanta copia, ut regius Psaltes cõparet illas arenæ maris. Psa. 77.v.27. *Pluit super eos, sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata; & ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.* Et ut aves illę caperentur, non fuit opus laqueis, vel retibus, ipsæ ultro volabant in capientiũ manus. S.Greg.M. *Quis vel nostra, vel omnium, qui fuerunt memoria, talem venationem ad prædam cognovit? O rem admirandã ipsi prædæ suæ arbitri erant; quantum duntaxat voluntas ferebat.* Facile & jucundum aucupium! Neq; de vestitu interrogemus Moysen. Deuteronomii 29. v.5. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt*, imo vestes cum corporibus creverunt: nullo sartore fuit opus, in tanta hominum multitudine. Nullo præterea indiguerunt medico, vel medicina, *non erat in tribubus eorum infirmus.*

O Moyses! quid si insurgat Pharao, & te cum populo tuo persequatur? Quid si vicinæ se moveant nationes? quid si hostis irruat, quis inermes defẽdet? quis pro illis pugnabit? supervacanea quæstio. De speculiari Dei providentia, & certo ejus auxilio Moyses nihil dubitavit, ideo in conspectu maris rubri dũ populus tremeret, & timeret, dixit; *Nolite timere, state & videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nũc videtis nequaquã ultra videbitis in sempiternum, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Hoc contigit. (Est locus pro pulchra descriptione, exercitus Pharaonis in mari rubro submersi.) Potest & scit Deus, quomodo suis etiam in supremo periculo constitutis, possit succurrere, & succurrit. Ps.77.v.13. *Interrupit mare & perduxit eos, & statuit aquas*

§.4 *Defendit suos contra hostes.*

Digitized by Google

quasi in utre. Et ita siccis pedibus transiverunt mare rubrum, hostes verò in eodem sunt submersi.

§. 5. *Benefecit eudem per columnam nubis & ignis.* Sed quis populo in tenebris prætulit facem? quis protexit contra ardorem solis? Ps. 77. v. 14. sæpius citatus respondet: *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis*, sive per admirabilem columnam, quę per diem populum præcedebat, in forma densæ nubis, nocte verò quiescebat super castra veluti ignea columna, totum castrorum circuitum instar lampadis illuminans. Si possem huic nubi, huic columnæ aureis inscriberem literis hoc lemma, *Providentia*! vel Deus; augustus & amabilis Pater.

§. 6. *Quam variis titulis demonstret suum affectum erga homines.* Neq; Pater tantū, cum in sacris literis tam variis titulis immensum suū erga electum tunc populum affectū demonstraverit. Jam enim eundem appellat filium. Exodi 4. v. 22. *Filius meus primogenitus Israel.* Jam filiam. Psal. 44. v. 11. *Audi filia, & vide.* Jam sororem. Cant. 5. v. 2. *Aperi mihi soror mea.* Se vero appellat Patrem, l. 2. Reg. c. 7. v. 14. *Ego ero ei in Patrem.* Jā matris nomine gloriatur. Isaię. 66. v. 13. *Quomodo sicut mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Is. 49. v. 15. *Nunquid oblivisci potest mulier filium suum, ut non misereatur filio Uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Eodem affectu patris & matris, se vocat nutricium. Oseæ 11. v. 2. *Et ego quasi nutritius Ephraim.* Imò gerulum. Is. 66. v. 12. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis* Ut hanc paternam curam magis declarat, ait Is. 49. v. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te.* Ut semper habeam præ oculis. Majus adhuc offert auxilium Gen. 49. v. 5. *Supponam humerum meum ad portandum.* Deut. 32. v. 20. *Custodiam quasi pupillam oculi.* Quis filius? quæ filia? quæ soror? quis amicus? non fidet tali patri, tali matri, tali fratri, tali amico? De quo pie & elegāter S. Chrys. in c. 6. S. Matt. *Nisi voluisset conservare nos non creasset, quod autem sic creavit, ut per escam servetur, necesse est ut det ei escā, quamdiu vult esse, quod fecit.* David Ps. 36. v. 25. *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

§. 7. *Christus pascens quinq; millia hominū in deserto.* Hęc ex veteri Testamēto, in novo legite c. 8. v. 12. S. Marci. Turba multa hominū, quinq; milliū sequitur Christum in montē, sine cibo, cū non *haberent quid manducarēt.* Procul ab urbibus, *in deserto*, jam redacti ad famen; *quia jam triduo sustinent me, & si dimisero eos jejunos, deficient*

ficient in via. In quibus circumſtãtiis, nunquid quærere poſſemus, ut ante, nunquid poterit tantæ multitudini parare menſã in deſerto? Vel, poterit illos hic ſaturare panibꝰ in ſolitudine? Parata nihilominus fuit illis menſa à Chriſto D. tantum quisq; panis, ex tanto numero accepit, ut omnes fuerint ſaturati; imò ſuperfuerunt panes. Non deſerit ſuos bonus Deus. Proinde & vos, (Matt. 6. v. 31.) *ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neq; corpori veſtro; quid induamini: omnem ſolicitudinẽ projicientes in eum, quoniã ipſi eſt cura de vobis.* S. Aug. l. de eleem. *Tu Chriſtiano? tu Dei ſervo? tu bonis operibus dedito? tu Domino ſuo, caro & dilecto aliquid exiſtimas defuturum? an putas, terrena deerunt, quibus cœleſtia & divina tribuũtur? unde hæc incredula cogitatio:* S. Hier. in c. 6. S. Matt. *Sit homo, qui eſſe debet, & mox addentur ei omnia; propter quem facta ſunt omnia.*

Cùm toties repetita Dei accedat promiſſio, quòd deſerere non velit illos, qui bonitati ſuæ fidunt. *Quid ergo nimium ſumus ſoliciti, ſi tibi Iudæus aliquis,* inquit Card. Bellarm. *mille vel duo millia coronatorum promittat, & ſyngrapham ab eo ſcriptam & conſignatam habeas; abſque ulla ſolicitudine dormis. Et tamen, miſer, quid aliud habes, quàm ſyngraphã unius perfidi & infidelis Iudæi? at verò non unam, ſed multas Dei ſyngraphas habemus, quibus nobis omnia ad vitam noſtram ſuſtentandã neceſſaria pollicetur: & tamen ſoliciti ita ſumus: quaſi Deum, vel impotentem, vel mendacem, vel deceptorem eſſe crederemus.* (eſt locus pro acri invectiva, in illos, qui nimis timidè de Deo ſentiunt.) §. 8. *Fidamus Deo, qui toties promiſit ſe non velle ſuos deſerere.*

Licet & hoc nobis obſervandum ſit; non reprehendi, vel reprobari à Chriſto D. omnem curam & ſolicitudinem, de procurandis neceſſariis ad vitæ ſuſtentationem; ut v.g. opifices & mercatores claudant ſuas officinas, ut ſedeant pigri & otioſi; ut agricola non aret, ut vinitor non eat ad vineas, ut non colantur horti, & quæ his ſimilia ſunt. Provida in his diligentia, aſſiduus labor, moderata cura & vigilantia, præſertim in Patrefamilias; merentur laudem & commendationem. Ideò S. Th. ait in Cant. Cùm Dominus ait: *Nolite ſoliciti eſſe: non hoc dicit, ut iſta non procurẽt, quæ neceſſitatis ſunt; unde honeſtè poſſint vivere; ſed ne cura temporali retrahamini ab æternis.* P. Corn. à Lap. *Vetat ſolicitudinẽ anxiã, præoccupatã, intempeſtivã, timidã, Deo diffidentem, cor in terra defigentẽ, & à Dei ſervitio diſtrahentẽ.* §. 9. *Non omnis, ſed inordinata & peccaminoſa cura à Chriſto D. reprehenditur.*

 (poſ-

possunt fieri pulchræ inductiones,& invectivæ,v.g. contrà proficiscentes ad nundinas,si negligant sacrum; in illos,qui diebus festis faciunt rationes,solvunt operarios. Similibusque curis & occupationibus totum diem festum impendunt. Contra sutores, sartores,diebus festis laborantes,&c.) Talis cura & solicitudo à Christo Domino reprehenditur; tanquam nociva nostræ salvationi.

§. 10. *Prosecutio.* Est præterea nimia cura & solicitudo, quæ avaros, insatiabili accendit desiderio,ut quocunque modo augeant divitias; etiam per usuras,per perjuria,per fraudes & dolos; & est illa solicitudo, quæ à SS.Patribus vocatur *radix,& mater gravissimorum scelerum*; conjuncta alicui crudelitati & tyrannidi, ut nihil curent, premi pauperes;spoliari orphanos,vexari viduas,exsugi sanguinem pauperum; dummodo corrasis divitiis accedat aliquod lucrum, & augmentum. Ad quos glossa interlinearis ait; *Non labor & providentia damnatur, sed solicitudo mentem suffocans.* Ad eandem classẽ pertinent illi avari,qui tam varias adinveniunt adinventiones,augendi thesauros,cum ingenti damno tertii;v.g,emere frumenta vilissimo pretio; sed nolle vendere,donec pauperes stimulati fame,pro quantitate siliginis, quæ constitit tribus capitellis, cogantur,(nisi proles perire debeant fame) solvere tres & plures imperiales. Quale monstrum! si hæc committantur à personis Deo sacratis; ab illis,qui pinguia possident beneficia,&c. Dissimulo multa talia,v.g. cùm ab ejusmodi hominibus,nulla pauperi porrigitur eleemosyna; ne jam collectis bonis inferatur aliquod damnum; qui ob eandem causam,etiam proximis amicis,in extrema necessitate constitutis,nec in minimo benefaciunt. Talium cura,& solicitudo, sine dubio est reprehendenda. Quem verò sint habituri exitum,discant ab illo divite, qui ob similes curas & solicitudines dixit Lucæ 12. ℣.17. *Quid faciam? quia non habeo,quò congregem fructus meos. Et dixit hoc faciam; Destruam horrea mea,& majora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi,& bona mea,& dicam animæ meæ: Anima,habes multa bona,posita in annos plurimos,requiesce,comede,bibe, epulare.* Dixit autem illi Deus: *Stulte,hâc nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem*


tem parasti, cujus erunt: mortuusque est illâ nocte. Utinam hæc cogitarent, qui nimium sunt soliciti, ut quocunque modo augeant divitias!

Sed redeo ad illos, qui juxta doctrinam Christi D. primo loco quærunt justitiam, virtutem, perfectionem, sanctitatem, & salutem animæ suæ; illâ spe freti, non defuturam amabilem Dei providentiam; ut extrinsecus necessaria, ad vitæ sustentationem, quoad victum, potum & amictum, nobis adjiciantur; & proinde in ejusdem bonitate totam suam spem collocant, & fiduciam cum ingenti solatio. Unde de tali viro ait caput 26. Proverb. ℣.20. *Qui sperat in Domino, beatus est.* LXX. ita vertunt: *Intelligens in negotiis, inventor bonorum; & qui confidit in Domino, beatissimus.* Vivacior adhuc est versio hebraica; *Intelligens super verbum* (v.g. intelligens bene verba Christi D. in hodierno Evangelio: *Ne soliciti sitis*, &c.) *reperiet bonum; & confidens in Domino, beatitudines ejus.* Addit Cajetanus, *felicissimus sperans in summo bono; quoniam ipse beatus hîc in spe, postea in re erit*: quæ spes eleganter ab eodem Cajetano nominatur *gaudium, ante gaudium.* Idem affirmat Ecclesiasticus cap. 2. ℣.9. *Qui timetis Dominum, sperate in illum; & in oblectationem veniet vobis misericordia.* Versio græca citatum versum sic legit? *Qui timetis Dominum, sperate in bona; & in lætitiam sæculi & misericordiæ. Quibus verbis* (ex mente Jansenii) *significatur pios, in rebus asperis & acerbis spem meliorum suscipere debere; & animo præsumere illud solatium, & gaudium, quod à misericordia Domini* (& amabili suavissimi Patris providentiâ) *profectum, nullum unquam finem est habiturum.* Quod S. Paulus videtur voluisse insinuare ep. ad Hebræos cap. 6. ℣.18. *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ, tutam ac firmam, & incidentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Iesus.* Alludit Apostolus ad sancta sanctorum in templo Salomonis, quod significat Ecclesiam triumphantem in cœlis. Porrò velamen significat, vel cœlum, vel obscuritatem, obvelationem, & arcanum gaudiorum cœli, quæ in hoc mundo quasi per ænigma, & velamen fidei, obscurè tantùm, & eminus spectamus. Interiora autem sunt ipsa beata Dei visio, omnisque

§. II. Elogium spei, & fiduciæ in Deo.

Bea-

Beatorum gloria. Itaque proposita nobis spes, eaque firma & stabilis, ducit nos ad interiora velaminis, id est, ad empyream Beatorum gloriam, quam nunc spes nostra quodammodo prælibat; quâ super re ita eleganter ait S. Chrysostomus: *Cùm adhuc simus in mundo, & nondum excesserimus, ostendit jam esse in promissis: nam per spem jam sumus in cælis.* Quâ spe freti; de corporis sustentatione non nimium soliciti simus, cùm persuasum habeamus, tam amabilis Patris (qui tanta bona nobis promisit & præparavit) providentiam non defuturam; sed omnia ista dispositúram, ut necessaria non deficiant, &c.



CONCIO XLIV.

PRO DOMINICA XVI. POST SS. TRINITATEM.

Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit: Noli flere,

Luc. 7. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DUm in summis angustiis omne auxilium videtur desperatum, Deus potest & scit suis succurrere, & succurrit.

§. 1. *Concionis propositio ex textu Evangelii.*

§. 2. *Quæstio junioris Anachoretæ: responsio senioris.*

§. 3. *Quam Deus mirabiliter succurrerit tristissimæ Agari, in summa tribulatione.*

§. 4. *Aequè mirabiliter Deus succurrit Abrahamo & Isaaco.*

§. 5. *Et populo Israëlis, inter angustias maris rubri.*

§. 6. *Et obsessæ Bethuliæ.*

§. 7. *Et*

HOdiernum Evangelium est veluti fodina, plena aureis venis pulcherrimarum materiarum, pro ultissimis quæstionibus. Mortuus adoloscens reddit nos memores nostræ mortalitatis. Floridissimus fuit juvenis! sed mortuus est. Fuit filius unicus matris suæ! mortuus est. Habitavit in Naim, hoc est, civitate pulchra; mortuus est, neque enim locus aliquis inveniri potest, ad quem morti non pateat accessus. Oportet ergo, ut simus memores; nos quoque esse morituros. Tristissima defuncti adolescentis mater, orbata marito & filio, suis lachrymis adhortatur viduas, ut in gravissimis afflictionibus non cadant animo, sed spem & fiduciam suam collocent in adjutorio Altissimi, qui in se confidentes non deserit. Certe Christus D. cum hodiernum funus obvium habuit, ut tristissimam & lachrymabundam aspexit matrem, statim misericordia motus, à mortuis resuscitavit filium ejus cum ingenti matris solatio, & circumstātium admiratione. Ex qua circumstantia sancti Patres varii, & Interpretes sive Concionatores, hanc solent formare propositionem, vel maximam. *Nemo in tribulatione constitutus desperet, cum enim omnia videntur desperata, Deus mirabilibus modis, potest, scit, & solet succurrere.* Quod modo ex sacris literis fusius demonstrabo. §. 1. *Concionis propositio ex textu Evangelii.*

Utilissimam quondam quæstionem junior Anachoreta proposuit Seniori, teste Rosvveido. *Si fuero in aliquo loco, & nata mihi fuerit tribulatio; & non habuero, cui me committam, & indicem passiones animi mei, quid facio?* Puto me non errare, si asseram, vix ullum ex nobis esse, qui non sæpe & frequenter utilem hanc possit formare quæstionem. Senior respondit. *Crede Deo, quia ipse mittet Angelum suum, & gratiam suam; & ipse erit tibi consilio, si in charitate, rogaveris eum &* addit. §. 2. *Quæstio junioris Anachoretæ, responsum Senioris.*

Dum aliquando tẽtatus quidam in eremo, cellã deserere cogitaret, eò quod ab omnibus videretur desertus, apparuit ipsi formosissima Virgo, quæ se appellavit *Gratiam Dei*, & dixit: *persevera fili, nihil eveniet mali, si homines desunt, non deest Deus*: quod re ipsa expertus fuit, mansit in deserto, plenus fiducia in Deum, & sanctissimam duxit vitam. Ut verissimam ab Anachoreta prolatam propositionem roborem & confirmem, ad sacram adduco scripturam, tanquam fontem veritatis.

§ 3. *Quare mirabiliter succurrerit afflictissimæ Agari in summa tribulatione*

Nunquam sine peculiari viscerum commotione lego in cap. 21. Genesis, in quo refertur, quomodo ancilla Abrahami, tristissima Agar, expulsa è domo heri, & dimissa in solitudinem, tandem præ siti moribundum filiolum suum Ismaelem deposuerit sub arborem, & sedens procul ingemuerit cum lachrymis; vers. 16. *Non videbo morientem puerum*, quasi diceret, O cœli! hoc mihi est impossibile, ut ego mater, filiolum meum, quem tenerrime amo, videam morientem. *Et sedens contra levavit vocem suam, & flevit.* Nunquid Agar hic dicere potuit, in hac tribulatione, in qua nullum habeo cui me committam, cui indicem angustias animi mei, quid faciam? O tristis Agar! crede in Deo, quia ipse mittet Angelum suum, & ipse erit consolatio tua. Hoc contigit; exaudivit Dominus vocem pueri, & querelas matris adfuitque Angelus, qui dixit. *Quid agis Agar? noli timere; exaudivit Dominus preces tuas*, & in vicinia scaturiit fonticulus, ex quo Agar hausta aqua refocillavit Ismaelem. Et quis hunc modum succurrendi excogitasset? quis petere fuisset ausus! nihilominus, licet deessent homines, non defuerunt Angeli; non defuit DEUS. Tristes Agares! animæ afflictæ! nunquid & vos subinde sedetis sub arbore Crucis? nunquid flentes dicitis; quid facio? non possum hanc crucem ferre amplius! ah! quis nobis tandem succurret? quis aliquod afferet solatium? quæso vos! in altum sustollite oculos in arborem, sub qua sedetis! ecce roseos fontes, qui ex manibus, pedibusque saliunt vestri Salvatoris; huic credite, si Angelum non mittat, ipse vobis aderit. Si alii desunt consolatores

Digitized by Google

res, non deerit consolator JESUS, perseverate! nihil vobis accidet mali.

Affectuosius adhuc est cap. 22. Genesis, in quo describitur Isaac, intempesta nocte à Patre abreptus à matre, deductus in solitudinem in montem, ut immoletur Domino. Jam Abraham filii ligaverat manus, jam obvelaverat oculos, jam Isaac ascendebat aram, jam flectebat genua; nunquid Abraham dicere potuit, in his angustiis, quid faciam? ergo ego meis manibus immolare debeo dilectissimum meum filium? ah Abraham! crede in DEO, quia ipse mittet Angelum suum, & gratiam suam, & ipse erit consolatio. Perge Abraham! sequere vocem Domini, nihil eveniet mali; si desunt homines, non deerit DEUS; nec defuit, misit enim Angelum, qui dum Abraham extenderet manum, & arriperet gladium, ut immolaret filium suum, de cœlo clamavit dicens, vers. 11. *Abraham! non extendas manum tuam super puerum, neque facies illi quidquam*, ecce mirabilem modum, quo DEUS potest, quando & quomodo vult suis succurrere, etiamsi omnia videantur desperata. Quæso vos iterum animæ piæ! quando Deus gravi aliqua necessitate exercet patientiam vestram, si videatur velle vobis tollere, quod oculis vestris vobis charius est, nolite timere, si desint homines, non deerit Deus. §. 4. *Æque mirabiliter in extrema necessitate Deus succurrit Abrahamo & Isaaco.*

Ex c. 14. Exodi scimus, inter quas angustias fuerit comprehensus populus Israelis, cum in celeri fuga ex Ægypto devenerunt ad mare rubrum, cum pro transitu nullę adessent naves, montes vero altissimi ad dexteram & sinistram omnem intercluderent viam; terga vero premeret iratus Pharao cum fortissimo exercitu, Israeli insultans vers. 3. *coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.* Erras Pharao! perge, sed illos, quos persequeris, Deus per Moysen siccis pedibus deducet per mare rubrum ad fidam stationem; te vero cum toto tuo exercitu, in eodem mari submerget.. Hoc contigit. Habemus DEUM, qui potest, est scit, cum vult suis succurre, etiam in extremo videntur constituti periculo. Licet media desint humana, non desunt divina. §. 4. *Et populo Israelis inter angustias maris rubri.*

§. 6. Et obsessa Bethulia.

Notissima quoque est obsidio civitatis Bethuliæ, quam Holofernes tam potenti cinxerat exercitu, centum viginti millibus peditum, & viginti duobus millibus equitum, ut timore perculsi cives, senes & juvenes, viri & fœminæ dixerint Oziæ summo Sacerdoti, *Judicet Deus inter nos & te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice, cum Assyriis. & ideo non est, qui adjuvet.* O stulti! quam erratis! quomodo DEUS possit & sciat suos juvare, cum vult, ostendit excitando Spiritum Judithæ, quæ tam admirabili modo totam patriam è periculo liberavit. Dum enim viderent Juditham egredi ad castra hostium, quis ex omnibus cogitavit, Juditha pro nobis pugnabit; Juditha decollabit Holofernem! Juditha faciet confusionem in castris Assyriorum; Juditha ad nos redibit victoriosa! Quis non potius cogitavit? Væ tibi Juditha! O Judith quomodo te hostes tractabunt? sed adfuit illi Dominus, qui misit Angelum, qui illam deduxit salvam & incolumem. Judith credidit DEO omnipotenti, illi in charitate, in ardentibus precibus rem totam commisit, & licet defuerint homines, vel milites, qui Holofernem vincerent, non defuit Deus, qui per mulierem postravit Holofernem, & omnem hostium potentiam (habes iterum locum pro pulchra digressione ad Auditores.)

§. 7 Et populo damnato ad mortem sub Assuero.

Ex majori periculo DEUS suum populum iterum liberavit per fœminam, æque mirabili modo cap. 3. Esther versu 4. nomine Regis Assueri literæ signatæ regio annulo, missæ sunt per cursores Regis ad universas Provincias, ut occiderent atque delerent omnes Judæos, à puero usque ad senem una die. Jam in Susan pendebat edictum, Mardochæus scidit vestimenta sua, & indutus est facco, spargens cinerem capiti, & in platea mediæ civitatis magna voce clamabat, ostendens amaritudinem tristis animi sui. In omnibus quoque provinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele Regis dogma & edictum pervenerat, planctus ingens erat, ululatus & fletus. Ecce statum temporis, in quo omne auxilium videbatur sublatum. A benignissimo vultu Reginæ Estheris aliquid promicabat spei,

Digitized by Google

ſpei, ſed intelligens periculum populi ſui dixit: *Omnes norunt quod ſive vir, ſive mulier, non vocatus Regem adierit, absque ulla cunctatione ſtatim interficiatur. Et ego jam triginta diebus non ſum vocata.* O magnitudinem periculi! O populum in ſumma neceſſitate conſtitutum! ſed quod Cicero affirmavit de Diis l. 2. de natura Deorum; *diſcriminum, periculorumq; comites Dii*, veriſſimum eſt de Deo noſtro; ſi deſint homines, non deerit Deus. Credidit Eſther Deo in charitate, illi ſe totam & populum ſuum commiſit; & vix fuit locuta Regi; cùm Aſſuerus revocavit latam ſententiam, donavit vitam Judæis; Amanum, tragœdiæ auctorem affixit patibulo. Cui mortalium, hoc antequam contigit, cogitare licuiſſet? quis auſus fuiſſet dicere, Judæi vivent! Aman, tantus in aula Regis, morietur, & quidem in patibulo! Itaque neque nos, præſertim in publicis neceſſitatibus nos deſperemus! Credamus Deo; confugiamus cum Mardochæo ad pœnitentiam, & orationem, & benè ſperemus.

Nimis diu hæreo in Veteri Teſtamento, progrediamur ad Novum; in quo inter fundamenta myſteriorum fidei noſtræ, primum locum obtinet Verbi Incarnatio. Jacebat genus humanum in denſiſſimis tenebris peccati, in captivitate & ſervitute diaboli, ſine omni ſpe auxilii! à quo Adamus illud ſperaret? ab Angelis, Archangelis vel Principatibus? nullus Angelus, nullus Archangelus; aſcendamus altiùs, nullus ex altioribus, etiam perfectiſſimus Spiritus; enitamur ad ſummum, nullus ex Thronis, nullus ex Cherubinis, nullus ex Seraphinis miſero homini ſuccurrere potuit, ut illum è periculo æternæ damnationis liberaret. Donec æterna Dei ſapientia, & immenſa miſericordia, & infinitus amor atque bonitas, admirabile inventione hoc dederunt conſilium; Verbum aſſumat naturam humanam, Dei Filius fiat homo, hic patiendo, hic moriendo, hic effundendo ſanguinem in cruce, poterit homini ſuccurrere! & Verbum Caro factum eſt! JESUS Chriſtus Filius Dei tam admirabili modo redemit hominem! nihil intereſt, quod nulla rationalis, etiam perfectiſſima creatura hoc potuerit excogitare vel poſtulare; quia adinventiones DEI infinitis para- §. 8. *Et generi humano per filium Dei.*

sangis excedunt nostras, præsertim cùm inter magna discrimina Deus suis vult succurrere; desint omnia, non deest Deus, nec unquam deerit.

§. 9. *Et discipuli fluctuantibus in mari.* Matthæi 8. Discipuli in lacu Genesareth cum Christo D. ascendunt navim, vix venerunt in altum, & Jesus volens suaviter incepit dormire, ut primùm autem clausit oculos, oritur magna tempestas, & ecce ℣. 24. *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Hinc inter discipulos timor, metus, clamor, ejulatus! itaque accesserunt ad illum discipuli, & suscitaverunt eum dicentes ℣. 25. *Domine, salva nos, perimus!* O Magister! si tu non juvas, perditi sumus, fatiscit navis, frangitur malus, rumpuntur vela, hiant asseres, irrumpunt fluctus, pergunt furere venti, intumescit pontus; anchora nostra non est satis fortis; omnibus omnium oculis obversatur mortis tristis imago! O Domine tu salvare nos potes, sine te perimus. Neque Apostoli fuère decepti: *Tunc surgens imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* Discite Auditores, quid facere debeamus, cùm subinde in gravis alicujus adversitatis tempestate, navicula nostra fluctuat, cùm timemus, cùm metuimus (est locus pro pulchra digressione ad Auditores.)

§. 10. *Dulce colloquium inter Christum D. & S. Catharinã Senensem.* Christus D. suos non deserit. Libenter & cum solatio, ut spero audietis, quæ Raymundus narrat de S. Catharina Senensi, apud Surium 29. Aprilis. In gravi tentatione, & animi tristitiâ atque tædio, veluti in tenebris constitutæ, in admirabili luce, apparuit Jesus crucifixus dicens: *Filia mea Catharina! vides, quæ tui causâ perpessus sum; non igitur dubites, & te debere pati. Sed macta animo! spectavi tuas victorias!* Catharina verò dixit: *O mi Jesu! & ubi fuisti, cùm cor meum plenum esset tot spurcitiis? In corde tuo,* inquit Jesus: *quod viceris, ego meâ præsentiâ efficiebam; me auctore, & effectore.* An non hoc præcinuit regius Psaltes Ps. 120. ℣. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.* Bonus Jesus auxilium suum non diu solet tardare; permisit aliquamdiu Petrum dum in mare insiliit, natare, luctari cum fluctibus; Petrus coactus fuit clamare: *Domine salva me,* sed cùm cœpisset mergi, obtu-


Digitized by Google

obtulit illi dexteram, & è periculo liberavit (fac iterum digressionem ad Auditores, quidnam exemplo S. Catharinæ, & S. Petri facere debeant in necessitate, & in tribulationibus; poterit excitari pius affectus.)

§. II. *Quàm citò Christus D. succurrerit ægro habenti 38. annos in infirmitate cum Esp. 30*

Eandem manum, sed tanquam amantissimi & expertissimi Medici expertus fuit miser ille homo, triginta & octo annos habens in infirmitate sua, ad probaticam piscinam (sive in domo misericordiæ) Johannis 5. adeò ab omnibus derelictus, ut Christo Domino interroganti num sanari vellet, responderit vers. 7. *Hominem non habeo.* Probabile est, cùm vidit alios ægros, insilientes in aquam, statim sanari, quod cogitaverit, O quis mihi auxiliatrices porriget manus, ut laver in aquis! sed quia nullus fuit, qui misericordiâ motus illas porrigeret, querulus ait: *Hominem non habeo*; hoc est, omni auxilio sum destitutus. Erras mi homo! homo est, qui tibi adest, & loquitur; & verba hæc suavissima: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulavit.* An non hoc fuit improvisum & inexspectatum, sed opportunum auxilium? ah animæ piæ: contingitne, ut dum tristes estis, nemo sit, qui vos soletur, quæso ad Jesum accurrite, hic bonus & misericors Dominus neminem à se rejicit, sed omni hora, imò omni momento est paratus, & exspectat, ut omnibus ad eum confugientibus succurrat & benefaciat; Hunc mei charissimi Aud. imitemur, & si proximo nostro in necessitate constituto succurramus, miseriâ & calamitate oppressum sublevemus, cogitemus, nos non solùm proximo nostro hoc præstitisse, sed ipsimet Christo, ait enim: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* O Audit. continuo hoc aureum dictum divino prolatum ore in auribus nostris resonet, mercede non carebit, audiemus enim aliquãdo suavem & amabilẽ illam vocem: *Venite*, &c. *esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Matth. 25. vers. 34.

CON-



CONCIO XLV.

DOMINICA XVII. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum,
Luc. 14. ℣. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

ACriter perstringit spiritualem animę hydropem; sive vitium avaritiæ.

§. 1. *Propositio Concionis.*
§. 2. *Invectiva Abacuc in avaros.*
§. 3. *Pulchro simili illos ridet S. Chrysostomus.*
§. 4. *Divitiæ sunt graves catenæ.*
§. 5. *Prosecutio ex S. Hieronymo.*
§. 6. *Interitus divitum præfiguratus in arbore Nabuchodonosoris.*
§. 7. *Acerba mina Michea in divites avaros.*
§. 8. *Avari leones, & aquilæ.*
§. 9. *Similes paliuro.*
§. 10. *Avari proni sunt ad omne scelus.*
§. 11. *Quàm difficulter salvetur dives avarus.*
§. 12. *Quia vivunt in continuo periculo æternæ damnationis.*
§. 13. *Vnde nascatur illud periculum.*
§. 14. *Avarus, pro auro vendit animã, Christi sanguine redmeptã.*
§. 15. *Avaro nihil scelestius.*
b. 16. *Epilogus.*

§. 1. *Propositio Concionis.*

HYdropicos, id est, divites avaros, quorum sitis', augendi divitias est insatiabilis, perstringit præsens Concio, eisq; ponit ob oculos, quàm detestabile vitium sit avaritia, & quantum animæ afferat malum, si nimium homo divitiis inhiat.

Ava-

Digitized by Google

Avarissimo Regi Babylonis Propheta Abacuc hoc lugubre intonat carmen, cap. 2. vers. 6. *Væ ei! qui multiplicat non sua, usquequo aggravat contra se densum lutum?* quibus verbis, Regis hydrops, sive avaritia, & inexplebilis cupiditas rapiendi aliena, objurgatur, de qua pulchre Theodoretus: *Omnis Sapiens ejus inexhaustam aviditatem inferno, & morti comparabit, & cum lamentabitur ex alienis bonis suas opes augentem, & satietate affici non valentem; sed tributis, & vectigalibus subditos onerantem, ac dicet: quousque non satias voraginem tuam?* sed addit S. Hieronymus, *simulque considera, quam eleganter multiplicatas divitias; densum appellaverit lutum.* Ideò, quia vehementer aggravant possessorem, & mentem ad terrena inflectunt, nec cor sursum ad cœlestium contemplationem elevari sinunt, sed ad caduca, & peritura semper incurvant. Nam terram tantum appellat divitias, sed lutum quo homines inquinantur, & quasi in cœnoso gurgite atque loco palustri infiguntur, in limo profundi.

§. 1. *Invectiva Abacuc in avaros.*

Labores horum divitum, illorumque fructum & exitum eleganti simili explicat S. Chrysostomus, tales opulentos comparando cum puerulis ludentibus, & domos ex luto molientibus: dum in caput 7. S. Matthæi homil. 24. ait; *Nam & testas, & lutum sæpius egerentes, non minus gloriabamur, quam ii, qui amplas porticus, & triclinia gaudent superba construere: sed tamen peribant illa, & continuo corruebant. Dum male compacta, & lubrica molimina non sine risu dilabuntur.* Sic divites, sicut in instabili structura, densum divitiarum lutum contra se aggravant, non regiam, vel palatium, sed ruinam tibi moliuntur.

§. 2. *Pulchro simili illustri- det S. Chrysost.*

Verbum hoc *aggravare* valde illustrant LXX. dum citatum versum ita lequnt; *Usquequo (dives avarus) aggravat torquem suam graviter?* Theophilactus ita vertit, *quousque, & solide ponderosum reddens colli sui ornamentum.* Quæ lectiones quid aliud insinuant, quam coacervatas divitias esse ponderosas catenas, quibus diabolus hos avaros tenet captivos, ne meliora sapiant; & quod, quo sunt graviores & ponderosiores,

§. 4. *Divitiæ sunt graves catenæ.*

eo ad majora pertrahantur supplicia, ut divitiæ nil aliud sint, quam vincula ferrea, ex quam pluribus nexibus flagitiorum connexa, quibus miseri & infelices astringuntur.

§. 5. *Prosecutio ex S. Hier.* Quæ expositio confirmatur à S. Hieronymo his verbis: *Væ ei, qui totum orbem vastans, non saturatur rapinis, nec desinit expoliare jam nudos* (quæ S. Hieronymus de Regibus asserit, cuivis avaro accommodare possumus) *& ad hoc tantum sævit, ut devoret, & iniquitatis, & prædarum onere, quasi gravissima torque se deprimat; nunquid non repente consurgent Medi, atque Persæ, qui Babyloniorum imperium destruentes, mordeant eum primum, & postea lacerent.* Quam apte describitur vita, & exitus alicujus avari. Dum vivit, saturari non potest, fraude, dolo, omni modo quo potest, auget divitias, & non advertit se simul sibi parare graves catenas, quibus non Medi, sed mors & diaboli, dum moriendum est, illum trahunt in abyssum barathri. O quam mordebunt aliquando illæ rapinæ, illæ usuræ, illæ fraudes, & mordentes hi vermes in æternum non morientur.

§ 6. *Interitus divitum præfiguratus in arbore Nabuchodonosoris.* Placetne videre exitum divitis avari? ponite vobis ob oculos Nabuchodonosorem, cujus coacervatas divitias, ita describit Daniel cap. 4. vers. 8. *Videbam, & ecce: arbor in medio terræ, proceritas ejus contingens cælum, aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis conversabantur volucres cæli; & ex ea vescebatur omnis caro.* O arborem formosam, & elegantem! mox in eodem capite vers. 10. & 11. ait Daniel. *Et ecce vigil, & sanctus de cælo descendit, clamavit fortiter, & sic ait: succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus; fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.* O judicia Dei! ô severam sententiam! quam brevi tam formosæ arboris splendor evanuit? quis ventorum igneus flatus viridantia folia tam citò exussit? quæ illa vis? quæ proceram & fortissimam arborem momento impulit in ruinam? quis ad miraculum speciosam subitò labefactavit,

Digitized by Google

factavit, inflexit, & ad nihilum redegit? Theodoretus ait, id fecisse insatiabilem Regis avaritiam, quæ pauperes subditos vexabat, & exspoliabat. Sed qui miseros expoliavit, spoliatus est, qui alios oppressit, miserabili strage oppressus est. Ut divites avari, in illo veluti speculo intueantur, tragœdiam, in qua aliquando mors, illos veluti arbores, præscidet, & omnia in cineres convertet,

Tum illis dicetur illud Michææ cap. 3. vers. 1. *Audite principes Iacob, & duces Israel: nunquid non vestrum est scire judicium? qui odio habetis bonum, & diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum de super eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, tunc clamabunt ad Dominum & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo.* Duo Sancti Patres locum hunc Michææ, eleganter exponunt. S. Cyrillus Alexandr. *Vos quæ mea sunt, atrocem & sævum in modum invadentes, atque ab immanissimis feris, nihil distantes; oves excoriantes, carnes dilacerantes. Per hæc avaritiæ inexplebilis cupiditatis, & tyrannidis genus omne significat. Quoniam hæc fecerunt, ipsi clamabunt, & neque inspectione mea illos dignabor; neque si clamaverint, misericordiam implorantes, eam illis impertiar. Maligne subjectos tractarunt, omne genus improbitatis, acerbarumque & impiarum adinventionum, molitionumque in eos expromserunt. Sed vindicta non emanebit.* Et S. Hieronym. *Adversus Principes Israel sermo est: & sub metaphora leonum sive latronum, crudelitas eorum describitur, quod spoliaverint pauperes, & in Vrbe Ierusalem miserabilem plebem afflixerint, & propter hæc, inferatur eis postea supplicium in die captivitatis*, sed nullum supplicium majus, verbis illis: *clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis.* Adde Scholium S. Cyrilli. *Neque inspectione mea illos dignabor, neque si clamaverint, misericordiam implorantes, eam illis impertiar.* Tantum malum est, spoliare pauperes, & miseros affligere, *propter hæc* (ait Hieronymus) *infertur eis postea supplicium in die captivitatis* (voculæ hæ, *propter hæc*, suggerent tibi amplam invectivam in avaros.)

§. 7. Acerba mina Michææ in divites avaros.

Justo Dei judicio Nabuchodonosor fuit immutatus in feram; peculiares aliquas circumstantias insinuat Daniel c. 4. 30. *donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium*; facies verò fuit facies leonis. Cur facies horrescit jubis leonum, & pedes cur referunt ungues aquilæ? ut ita tyrannis, quam erga pauperes exercuerat, exprimeretur. S. Epiphan. *Rex propter irrationalem voluptatem & duram cervicem in jumentum immutandus fuit; leo vero* dicitur fuisse *propter rapacitatem, tyrannidem ac feritatem ingenii; hujusmodi mores sunt potentatibus in juventute constitutis*, (sive avaris incipientibus) *tandem vero in feras immutantur, rapientes, occidentes, tyrannidem exercentes, & impie agentes, & horum mercedem à justo judice recipientes*, verbo leones, aquilæ rapaces.

§. 8. *Avari leones, & aquila.*

Similes paliuro, inquit Rupertus; *sive herba, spinis armata, pungentis, ac retinentis, & vulnerantis appropinquantem, & adunco dente comprehendentis*, (si placet, vide an in Urbe Bambergensi crescant tales paliuri.)

§. 9. *Similes paliuro.*

Quod scelus avaritiæ immensum auget, est hoc, quod sit radix, fons & mater aliorum gravissimorum scelerum: unde Elias Achabo dixit. *Eo quod venundatus sis, ut faceres malum*; hoc est avarus per nimiam divitiarum cupiditatem, quasi venditus diabolo, vix habet vires, ut aliis peccatis resistat, imo inclinationem ad omne scelus, quo judicat divitias suas augeri posse. Unde acute dixit Oseas de Ephraim c. 12. v. 7. *Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.* D. Cyrillus Alexandr. ita legit, *in manu ejus statera iniquitatis, opprimere per potentiam dilexit*, & ait: *Quia Ephraim bonam mentem amisit, & res adeo venerandas, colendasque nihil fecit, Chananæis alienigenis factus est similis, atheus, & impius, moribus nequam plurimum gaudens, & animo barbarico, cupiditate rerum alienarum impotenter subjugatus.* Emphasis latet in his ultimis voculis; quippe qui se subdidit avaritiæ, quasi vile ejus mancipium, sub ejus existens potestate, & barbarus, & nequam, & impius fit. Quod Amos insinuavit c. 9. v. 1. Israelitis; *Avaritia in capite omnium*, hoc est, avaritia est caput, radix, fons omnium scelerum. Ruffinus ita explicat. *Avaritia nomine in capite omnium*

§. 10. *Avari proni sunt ad omne scelus*

Digitized by Google

omnium commorantis, à principibus ad imos, sordibus cunctos, & sacrilegiis horrere pronuntiat. Tales scilicet sunt avari.

Versantes in continuo periculo æternæ damnationis Quod Christus D. æterna Veritas videtur voluisse insinuare, terribili illâ sententiâ, quam pronuntiavit apud S. Lucam cap. 18. ℣ 25. *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Absit, ut hæc intelligamus dicta de omnibus divitibus, v.g. de illis, qui inter divitias Deo serviunt, qui licet divites sint, magis tamen Deum amant quàm opes, & mallent totũ mundum millies perdere, quàm Deum lethaliter offendere, quibus ingens nascitur solatium, & spes obtinendæ æternæ beatitudinis, si pauperibus exhibeant misericordiam, si illis largiantur elemosynas, famelicis frustum panis, sitibundis haustum aquæ, nudis vestẽ. Tales, inquam, divites facilè salvantur, quoniam misericordiam consequentur. De divitibus verò avaris, (habes locum pro pulchris oppositis, v.g qui divites sunt, & vivunt in statu peccati mortalis) (verissimum est Christi D. pronuntiatum; *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum. O tremendam sententiam!* exclamat hic S. Germanus, & infert æquè tremendam conclusionem; *Nullus* -- talium -- *divitum salvus erit.* Quæ conclusio licet revera tremenda sit, tamen non videtur displicuisse S. Augustino de contemptu mundi. cap. 8. Christus D. dixit Matth. 5. ℣ 3. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; ergo inquit S. August. *Si regnum cælorum est pauperum, restat, ut infernus sit divitum.* Moneo rursum, hæc tremenda dicta SS. Patrum, mitiganda esse ut supra, nimirum, sermonem esse de divitibus avaris. *§. 11. Quam difficulter salvetur dives avarus.*

Verùm unde oritur illud periculum damnationis, & perditionis, in quo continuò versantur divites avari? Sancti Patres & sacræ literæ diversas afferunt rationes, v. gr. S. Joannes Chrysostomus ait, divitias adeò esse graves, (multò magis injusta lucra, & usuras, & rapinas, & dolos,) ut suos possessores gravi quodam pondere oppressos, vi quâdam præcipitent in infernũ. *Aurum* (inquit S. Chrysostom.) *naturâ grave, gravius fit avaritiâ nimis; hinc est, quod anima, quæ se auro argentove comparando, & congregando devovit, ab* *§. 12. Quia vivit in continuo periculo æternæ damnationis.*

iisdem oppressa ponderibus, ad inferiorem locum, in æternum crucianda devolvatur. Hoc pondus fuit expertus dives ille epulo, qui momento, quo fuit mortuus, decidit & sepultus fuit in inferno. Sed cur Lazarum Angeli portant in sinum Abrahæ? cur epulonem deglutit infernus? Lazarus fuit pauper; epulo dives, ergo, repete superiores consequentias.

§. 13. *Vnde nascatur illud periculum.* Non desunt aliæ causæ tanti periculi damnationis, in quo versantur divites avari, Ecclesiasticus cap. 10. ait vers. 7. *Avaro nihil est scelestius.* Sanctus Paulus 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidem appetentes, erraverunt à fide:* Oseas cap. 12. vers. 8. insinuat aliquid amplius, divitem non modo esse expertem fidei, sed & Idololatram. *Dives effectus sum, inveni idolum mihi:* hoc est, ex quo factus sum dives, factus sum Idololatra. Quod hoc contigerit Judaico populo adoranti aureum vitulum, affirmavit sanctus Petrus Chrysologus serm. 29. *Aurum Iudaicum populum sic captivavit aspectu, specie sic decepit, ut hoc esse Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum, denegarent.* Ideò Isaias quoque cap. 2. vers. 7. hæc duo conjunxit: *Repleta est terra argento & auro, & repleta est idolis.* Gravissimo suo damno, veritatem hanc comprobavit Judas. Quid Apostolum induxit, ut Verbum Incarnatum, pro pretio vilissimo divenderet, nisi aviditas pecuniæ? Sanctus Chrysostomus sermone 3. de Resurrectione. *Parricida pariter & conviva, Dominum vendit argento, fecit de magistro ferale commercium, & cùm accepit aurum, prodidit Deum.* Quàm fuerit difficile deinde illum salvari, ostendit eventus, dum abiens se suspendit de patibulo, momento eodem præcipitatus in infernum.


§. 14. *Avarus pro auro vendit animam Christi sanguine redemptam.* Judas pro pecunia vendidit Christum, avari hodie pro auro diabolo vendunt animas suas, quod æquè scelestum est. Animas nostras, quo pretio emit Christus Dominus? Apostolus jam dudum respondit: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine.* Quid facit avarus? animam pretioso Christi sanguine comparatam vendit diabolo pro auro & ar-

Digitized by Google


& argento; adeoque aurum præponit pretio sanguinis Christi; quia pro auro offert animam, postquam eam Christus suo sanguine acquisivit, in quo duplex patrat gravissimum scelus. *Primò*, pluris faciendo aurum, quàm Christum. *Secundo*, vendendo animam, ut damnetur, pro qua Christus Dominus mortuus fuit in cruce, ut salvaretur. Quid scelestius excogitari potest? & dubitatis Christum Dominum benè dixisse: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem in regnum cœlorum.* Et putatis rigidam esse consequentiam sancti Augustini, *ergo divitum est infernus*? & necdum hanc maximam capere potestis, difficilimum esse, ut dives salvetur.

Et dubitatis de veritate verborum Ecclesiastici, *avaro nihil esse scelestius*, & sancti Pauli, *avaritiam esse radicem omnium malorum*? quis opprimit innocentes? quis operarios debitâ fraudat mercede? quis sacrosanctas conculcat leges? avarus! quis exspoliat viduas cum pupillis? quis testibus, quis judicibus obstruit ora, ne loquantur pro justitia? quis testes reperit falsos! avarus! quis adulterat testamenta? quis corrumpit pia legata? quis præparat venena, ut citiùs perveniat ad hæreditatem? quis seminat rixas & discordias inter proximos consanguineos? avarus! quis pauperum exsugit sanguinem? quis non horret sacrilegia & perjuria? quis audet omne facinus? avarus! proinde nihil illo est scelestius. §. 15 *Avaro nihil scelestius.*

Epilogum fac minis plenum ex Psalmo 108. v. gr. in agone *Diabolus stabit à dexteris ejus.* §. 16. *Epilogus*



CON-



CONCIO XLVI.

PRO DOMINICA XVIII. POST SS. TRINITATEM.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, Matth. 22. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliquot proprietates nostri amoris, erga Deum.

§. 1. *Exordium continet invectivam in illos, qui dicunt mandata Dei, non posse observari.*

§. 2. *Amor Dei debet esse internus, & externus.*

§. 3. *Christus D. quomodo instar sigilli nobis imprimatur.*

§. 4. *Amor noster erga Deum debet habere quatuor dimensiones.*

§. 5. *Amor noster erga Deum debet esse amor amicitiæ & benevolentiæ.*

§. 6. *Triplex illorum gradus, qui Deum amant.*

§. 7. *Amor hic ardere solet ardentissimis desideriis, ideoque est perfectus Arithmeticus.*

§. 8. *Quantam gloriam præparaverit DEUS diligentibus se.*

§. 1. *Exordium continet invectivam in illos, qui dicunt mandata*

SUppono, per Dei gratiam esse possibile, ut servetur mandatum, quod Christus Dominus nobis de diligendo DEO, in hodierno Evangelio proponit, probatur ex cap. 30. vers. 11. Deuter. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te*, & ex Josue cap. 11. vers. 15. *Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille universa* com-

Digitized by Google

complevit: non præteriit de universis mandatis vel unum quidem Verbum, quod jusserat Dominus Moysi, & tamen præcepta legis affirmativa fuerunt 218. negativa 365. Arduum erat mandatum, quod datum fuit Abrahæ de occidendo Isaaco, tamen paratus fuit filium immolare; quod arguit fuisse possibile, ut faceret. De Zacharia, & ejus uxore Luc. 1. vers. 6. dicitur: *Erant ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* In lege nova Christus D. tam clare Matth. 11. ait vers. 30. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve, & mandata mea gravia non sunt.* Sed quid ego hæc? ideo, quia timeo ne & hodie cum S. August. Serm. 191. de tempore dicere possim, *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum*; talis blasphemus fuit Lutherus, cum dixit: *tot Scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius.* & in Psal. 51. *Decalogus nunquam potest plene servari*; ita; quia Luthero durum erat illum servare. Talis blasphemus fuit Melanchton in apolog. tit. de votis monast. *Extrema impietas est sentire, quod decalogo ita satisfaciant, ut merita supersint; cum hæc præcepta omnes Sanctos accusent, diliges Dominum; item non concupisces*, ergo Apostoli fuerunt fures, adulteri; sed ad hominem melius argumentor, si impossibile est servare mandata DEI, ergo Lutherus & Melanchton fuerunt adulteri, &c. verum nolo modo cum illis disputare, suppono possibile esse nobis Deũ diligere, hac ergo concione ostendam, quomodo debeamus Deum diligere. In materia latissima aliqua tantum proponam: scilicet has duas amoris divini proprietates. 1. Amor Dei debet esse interior. 2. altus, profundus, latus, longus.

Dei non posse observari.

Utilissima quæstio est, quomodo debeamus Deum diligere? respondetur 1. amare debemus interius, scilicet corde; & exterius scilicet opere. Cantic. 8. vers. 6. Christus D. veluti sponsus suæ sponsæ, sive cuivis animæ, commendat ingentem suã charitatem; in cruce præcipue exhibitam, & pro recompensatione nil petit, quam ut vicissim ametur, sic ait: *sub arbore malo excitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. LXX. ibi pe-*

§. 1. Amor Dei debet esse internus & externus.

Digitized by Google

perit te mater tua - corrupta & violata. Ezechiel. 16. verſ. 3. *radix tua & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhaus, & mater tua Cethaa*; quaſi diceret. Jacebas miſera, in peccatis mortua; ſed ego excitavi te; ad quod neceſſe fuit, me mori, & quidem in Cruce. S. Gregor. *in fortitudine dilectionis tua mortem ſubii, ut tu qua mortua eras, mecum reſurgeres*; omnia ingenti labore, & dolore; ideo citatum verſum alii legunt: *ibi laboravit genitura tua, vel nativitas tua*, hoc eſt, fuit valde laborioſa, nam dolores Chriſti D. in Cruce fuerunt revera dolores parturientis. Sed quis amor ad hoc fuit neceſſarius? reſpondet ſponſus, *fortis ut mors dilectio, dura ſicut infernus amulatio -- lampades ejus* (ſcilicet Chriſti D.) *lampades ignis atque flammarum.* LXX. *ala ejus.*) Chriſti In cruce.) *ala ignis*, quibus aſcendit Crucem. Pro his beneficiis, quod Chriſtus D. noſtras animas veluti ſponſas redemerit, quod ad hunc finem crucem aſcenderit; pro vulneribus, pro ſanguine (fac pulchram conglobationem) & tanto impetu charitatis, quid repoſcit? *Dilige*, ſic citato loco ſubdit, *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*, vel veluti ſigillum. Quæritur quale illud ſignaculum? Quorundam Interpretum opinio eſt, ſponſum fuiſſe locutum de annulo, cui ſponſi fuit impreſſa effigies, quem ſponſæ obtulit geſtandum in digitis, ut dilecti ſui ſemper eſſet memor. Arbitrantur alii, armillas, monilia, & pectorales gemmas cum imagine ſponſi poſſe vocari talia ſignacula, vel potius ſigna amoris inter ſponſum & ſponſam. Placent magis illi, qui per ſignaculum, vel ſigillum intelligunt ipſum ſponſum Jeſum vel Deum; quo ſenſu dixit S. Paulus ad Galat. 6. v. 20. *ſtigmata Domini mei Ieſu in corpore meo porto*, ſcilicet Jeſum & hunc crucifixum, proinde Deum; hæc enim duo, ut ſemel moneam in hoc meo diſcurſu, idem ſunt. Jeſus ergo & cordi & brachiis eſt imprimendus. Quomodo hoc fiat, pulchre explicant SS. Patres.

§. 3. *Chriſtus D. quomodo inſtar ſigilli nobis*

1. S. Bernardus Serm. 51. ad ſoror. *Super cor & brachium ſponſa dilectus in ſignaculum ponitur, quia dilectio ejus & voluntate & actione deſignatur.* 2. ſecundum Guilhelm. Signaculum hoc ſive Deus imprimitur, *intus de illo jugiter cogitando, foris propter illum*


illum strenuo operando. 3. secundum Hugonem ait sponsus: *super cor me pone, ut me toto corde diligas, & super brachium, ut in opere exteriori dilectionem ostendas.* 4. Theodoretus. *Cor animæ vim contemplativam designat, brachium vero activam.* 5. S. Ambros. *Infige cordi, ut intus diligas, infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint.* 6. rursum S. Ambrosius eleganter. *Sigillum Christus in fronte est, ut semper confiteamur, in corde, ut semper diligamus, in brachio, ut semper operemur, ut si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis, ipse est signaculum nostrum.* 7. Rursum Hugo. *Monile pectoris signaculum cordis, ne affectio sinistra subrepat,* (hoc monile, Jesus.) *est armilla brachii, & signaculum fortitudinis in exteriori operatione, ut etiam in corpore nostro stigmata Domini Iesu circumferamus.* Armilla quoque est Jesus Crucifixus: juxta S. Ambros.. *Infige ergo pectori tuo & cordi tuo hoc signaculum Crucifixi.* 8. S. Bernard. *Sit tibi Iesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat, semper illum cogita, pro te in cruce pendentem.* Cur hoc? ideo, hinc intus oriuntur illæ scintillæ, illæ cogitationes de Deo, hinc intus illæ sagittæ; quasi cor esset pharetra, hinc intus illa desideria: O Seraphin amate Deum, (fac pulchram apostrophen ad omnes creaturas;) hinc intus illæ consolationes in summo bono; exterius vero illa heroica opera. His ergo propositionibus declarari potest quis Deum amet.

imprimatur.

§. 4. *Amor noster erga Deum debet habere quatuor dimensiones.*

Alterum punctum Concionis mihi suggerit S. Paulus ad Ephes. 3. v. 14. ex quo discere possumus, quomodo debeamus Deum diligere, vel qualis debeat esse amor noster, sic ait: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det vobis - ut possitis comprehēdere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Scio has quatuor dimensiones variis rebus applicari. 1. Deo applicat Jobus cap. 11. vers. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes? excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.* David Psalm. 138. vers. 8. *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, si sumpsero pennas meas diluculo.* (Scilicet si volavero ad Orientem.) *& habitavero in extremis*

Digitized by Google



CONCIO XLV.

DOMINICA XVII. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum,
Luc.14. ℣.2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Acriter perstringit spiritualem animę hydropem; sive vitium avaritiæ.

§. 1. *Propositio Concionis.*

HYdropicos, id est, divites avaros, quorum sitis, augendi divitias est insatiabilis, perstringit præsens Concio, eisq; ponit ob oculos, quàm detestabile vitium sit avaritia, & quantum animæ afferat malum, si nimium homo divitiis inhiat.

Ava-

Digitized by Google

Avarissimo Regi Babylonis Propheta Abacuc hoc lugubre intonat carmen, cap. 2. verſ. 6. *Væ ei! qui multiplicat non ſua, uſquequo aggravat contra ſe denſum lutum?* quibus verbis, Regis hydrops, ſive avaritia, & inexplebilis cupiditas rapiendi aliena, objurgatur, de qua pulchre Theodoretus: *Omnis Sapiens ejus inexhauſtam aviditatem inferno, & morti comparabit, & eum lamentabitur ex alienis bonis ſuas opes augentem, & ſatietate affici non valentem; ſed tributis, & vectigalibus ſubditos onerantem, ac dicet: quouſque non ſatias voraginem tuam?* ſed addit S. Hieronymus, *ſimulque conſidera, quam eleganter multiplicatas divitias, denſum appellaverit lutum.* Ideò, quia vehementer aggravant poſſeſſorem, & mentem ad terrena inflectunt, nec cor ſurſum ad cœleſtium contemplationem elevari ſinunt, ſed ad caduca, & peritura ſemper incurvant. Nam terram tantum appellat divitias, ſed lutum quo homines inquinantur, & quaſi in cœnoſo gurgite atque loco paluſtri infiguntur, in limo profundi.

§. 2. *Invectiva Abacuc in avaros.*

Labores horum divitum, illorumque fructum & exitum eleganti ſimili explicat S. Chryſoſtomus, tales opulentos comparando cum puerulis ludentibus, & domos ex luto molientibus: dum in caput 7. S. Matthæi homil. 24. ait; *Nam & teſtas, & lutum ſapius egerentes, non minus gloriabamur, quam ii, qui amplas porticus, & triclinia gaudent ſuperba conſtruere: ſed tamen peribant illa, & continuo corruebant. Dum male compacta, & lubrica molimina non ſine riſu dilabuntur.* Sic divites, ſicut in inſtabili ſtructura, denſum divitiarum lutum contra ſe aggravant, non regiam, vel palatium, ſed ruinam ſibi moliuntur.

§. 3. *Pulchro ſimili illos ridet S. Chryſoſt.*

Verbum hoc *aggravare* valde illuſtrant LXX. dum citatum verſum ita legunt; *Vſquequo* (dives avarus) *aggravat torquem ſuam graviter?* Theophilactus ita vertit, *quouſque, & ſolide ponderoſum reddens colli ſui ornamentum.* Quæ lectiones quid aliud inſinuant, quam coacervatas divitias eſſe ponderoſas catenas, quibus diabolus hos avaros tenet captivos, ne meliora ſapiant; & quod, quo ſunt graviores & ponderoſiores,

§. 4. *Divitiæ ſunt graves catenæ.*

eo ad majora pertrahantur supplicia, ut divitiæ nil aliud sint, quam vincula ferrea, ex quam pluribus nexibus flagitiorum connexa, quibus miseri & infelices astringuntur.

§. 5. *Prosecutio ex S. Hier.* Quæ expositio confirmatur à S. Hieronymo his verbis: *Væ ei, qui totum orbem vastans, non saturatur rapinis, nec desinit expoliare jam nudos* (quæ S. Hieronymus de Regibus asserit, cuivis avaro accommodare possumus) *& ad hoc tantum sævit, ut devoret, & iniquitatis, & prædarum onere, quasi gravissima torque se deprimat; nunquid non repente consurgent Medi, atque Persæ, qui Babyloniorum imperium destruentes, mordeant eum primum, & postea lacerent.* Quam apte describitur vita, & exitus alicujus avari. Dum vivit, saturari non potest, fraude, dolo, omni modo quo potest, auget divitias, & non advertit se simul sibi parare graves catenas, quibus non Medi, sed mors & diaboli, dum moriendum est, illum trahunt in abyssum barathri. O quam mordebunt aliquando illæ rapinæ, illæ usuræ, illæ fraudes, & mordentes hi vermes in æternum non morientur.

§. 6. *Interitus divitum præfiguratus in arbore Nabuchodonosoris.* Placetne videre exitum divitis avari? ponite vobis ob oculos Nabuchodonosorem, cujus coacervatas divitias, ita describit Daniel cap. 4. vers. 8. *Videbam, & ecce: arbor in medio terræ, proceritas ejus contingens cælum, aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis conversabantur volucres cæli; & ex ea vescebatur omnis caro.* O arborem formosam, & elegantem! mox in eodem capite vers. 10. & 11. ait Daniel. *Et ecce vigil, & sanctus de cælo descendit, clamavit fortiter, & sic ait: succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus; fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.* O judicia Dei! ô severam sententiam! quam brevi tam formosæ arboris splendor evanuit? quis ventorum igneus flatus viridantia folia tam citò exussit? quæ illa vis? quæ proceram & fortissimam arborem momento impulit in ruinam? quis ad miraculum speciosam subitò labefactavit,

Digitized by Google

factavit, inflexit, & ad nihilum redegit? Theodoretus ait, id fecisse insatiabilem Regis avaritiam, quæ pauperes subditos vexabat, & exspoliabat. Sed qui miseros expoliavit, spoliatus est, qui alios oppressit, miserabili strage oppressus est. Ut divites avari, in illo veluti speculo intueantur, tragœdiam, in qua aliquando mors, illos veluti arbores, præscidet, & omnia in cineres convertet,

Tum illis dicetur illud Michææ cap. 3. vers. 1. *Audite principes Iocob, & duces Israël: nunquid non vestrum est scire judicium? qui odio habetis bonum, & diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum de super eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, tunc clamabunt ad Dominum & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo.* Duo Sancti Patres locum hunc Michææ, eleganter exponunt. S. Cyrillus Alexandr. *Vos quæ mea sunt, atrocem & sævum in modum invadentes, atque ab immanissimis feris, nihil distantes; oves excoriantes, carnes dilacerantes. Per hæc avaritiæ inexplebilis cupiditatis, & tyrannidis genus omne significat. Quoniam hæc fecerunt, ipsi clamabunt, & neque inspectione mea illos dignabor; neque si clamaverint, misericordiam implorantes, eam illis impertiar. Maligne subjectos tractarunt, omne genus improbitatis, acerbarumque & impiarum adinventionum, molitionumque in eos exprompserunt. Sed vindicta non emanebit.* Et S. Hieronym. *Adversus Principes Israel sermo est: & sub metaphora leonum sive latronum, crudelitas eorum describitur, quod spoliaverint pauperes, & in Vrbe Ierusalem miserabilem plebem afflixerint, & propter hæc, inferatur eis postea supplicium in die captivitatis,* sed nullum supplicium majus, verbis illis: *clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis.* Adde Scholium S. Cyrilli. *Neque inspectione mea illos dignabor, neque si clamaverint, misericordiam implorantes, eam illis impertiar.* Tantum malum est, spoliare pauperes, & miseros affligere, *propter hæc* (ait Hieronymus) *infertur eis postea supplicium in die captivitatis* (voculæ hæ, *propter hæc*, suggerent tibi amplam invectivam in avaros.)

§. 7. *Acerba mina Michea in divites avaros.*

Digitized by Google

Justo Dei judicio Nabuchodonosor fuit immutatus in feram; peculiares aliquas circumstantias insinuat Daniel c. 4. 30. *donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium*; facies verò fuit facies leonis. Cur facies horrescit jubis leonum, & pedes cur referunt ungues aquilæ? ut ita tyrannis, quam erga pauperes exercuerat, exprimeretur. S. Epiphan. *Rex propter irrationalem voluptatem & duram cervicem in jumentum immutandus fuit; leo vero* dicitur fuisse *propter rapacitatem, tyrannidem ac feritatem ingenii; hujusmodi mores sunt potentatibus in juventute constitutis*, (sive avaris incipientibus) *tandem vero in feras immutantur, rapientes, occidentes, tyrannidem exercentes, & impie agentes, & horum mercedem à justo judice recipientes*, verbo leones, aquilæ rapaces.

§. 8. *Avari leones, & aquilæ.*

Similes paliuro, inquit Rupertus; *sive herbæ, spinis armatæ, pungentis, ac retinentis, & vulnerantis appropinquantem, & adunco dente comprehendentis*, (si placet, vide an in Urbe Bambergensi crescant tales paliuri.)

§. 9. *Similes paliuro.*

Quod scelus avaritiæ immensum auget, est hoc, quod sit radix, fons & mater aliorum gravissimorum scelerum; unde Elias Achabo dixit. *Eo quod venundatus sis, ut faceres malum*; hoc est avarus per nimiam divitiarum cupiditatem, quasi venditus diabolo, vix habet vires, ut aliis peccatis resistat, imo inclinationem ad omne scelus, quo judicat divitias suas augeri posse. Unde acute dixit Oseas de Ephraim c. 12. v. 7. *Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.* D. Cyrillus Alexandr. ita legit, *in manu ejus statera iniquitatis, opprimere per potentiam dilexit*, & ait: *Quia Ephraim bonam mentem amisit, & res adeo venerandas, colendasque nihil fecit, Chananæis alienigenis factus est similis, atheus, & impius, moribus nequam plurimum gaudens, & animo barbarico, cupiditate rerum alienarum impotenter subjugatus.* Emphasis latet in his ultimis voculis; quippe qui se subdidit avaritiæ, quasi vile ejus mancipium, sub ejus existens potestate, & barbarus, & nequam, & impius fit. Quod Amos insinuavit c. 9. v. 1. Israelitis; *Avaritia in capite omnium*, hoc est, avaritia est caput, radix, fons omnium scelerum. Ruffinus ita explicat. *Avaritia nomine in capite omnium*

§. 10. *Avari proni sunt ad omne scelus*

Digitized by Google

omnium commorantis, à principibus ad imos, sordibus cunctos, & sacrilegiis horrere pronuntiat. Tales scilicet sunt avari.

Versantes in continuo periculo æternæ damnationis Quod Christus D. æterna Veritas videtur voluisse insinuare, terribili illâ sententiâ, quam pronuntiavit apud S. Lucam cap. 18. ℣ 25. *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Absit, ut hæc intelligamus dicta de omnibus divitibus, v. g. de illis, qui inter divitias Deo serviunt, qui licet divites sint, magis tamen Deum amant quàm opes, & mallent totũ mundum millies perdere, quàm Deum lethaliter offendere, quibus ingens nascitur solatium, & spes obtinendæ æternæ beatitudinis, si pauperibus exhibeant misericordiam, si illis largiantur elemosynas, famelicis frustum panis, sitibundis haustum aquæ, nudis vestẽ. Tales, inquam, divites facilè salvantur, quoniam misericordiam consequentur. De divitibus verò avaris, (habes locum pro pulchris oppositis, v. g qui divites sunt, & vivunt in statu peccati mortalis) (verissimum est Christi D. pronuntiatum: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum. O tremendam sententiam!* exclamat hic S. Germanus, & infert æquè tremendam conclusionem; *Nullus -- talium -- divitum salvus erit.* Quæ conclusio licet revera tremenda sit, tamen non videtur displicuisse S. Augustino de contemptu mundi. cap. 8. Christus D. dixit Matth. 5. ℣ 3. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum;* ergo inquit S. August. *Si regnum cælorum est pauperum, restat, ut infernus sit divitum.* Moneo rursum, hæc tremenda dicta SS. Patrum, mitiganda esse ut supra, nimirum, sermonem esse de divitibus avaris.

§. 11. *Quam difficulter salvetur dives avarus.*

Verùm unde oritur illud periculum damnationis, & perditionis, in quo continuò versantur divites avari? Sancti Patres & sacræ literæ diversas afferunt rationes, v. gr. S. Joannes Chrysostomus ait, divitias adeò esse graves, (multò magis injusta lucra, & usuras, & rapinas, & dolos,) ut suos possessores gravi quodam pondere oppressos, vi quâdam præcipitent in infernũ. *Aurum* (inquit S. Chrysostom) *naturâ grave, gravius fit avaritiâ nimis; hinc est, quod anima, quæ se auro argentove comparando, & congregando devovit, ab*

§. 12. *Quia vivit in continuo periculo æternæ damnationis.*

 iisdem

iisdem oppressa ponderibus, ad inferiorem locum, in æternum cruciandi devolvatur. Hoc pondus fuit expertus dives ille epulo, qui momento, quo fuit mortuus, decidit & sepultus fuit in inferno. Sed cur Lazarum Angeli portant in sinum Abrahæ? cur epulonem deglutit infernus? Lazarus fuit pauper; epulo dives, ergo, repete superiores consequentias.

§. 13. *Unde nascatur illud periculum.* Non desunt aliæ causæ tanti periculi damnationis, in quo versantur divites avari, Ecclesiasticus cap. 10. ait vers. 7. *Avaro nihil est scelestius.* Sanctus Paulus 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidem appetentes, erraverunt à fide:* Oseas cap. 12. vers. 8. insinuat aliquid amplius, divitem non modo esse expertem fidei, sed & Idololatram. *Dives effectus sum, inveni idolum mihi:* hoc est, ex quo factus sum dives, factus sum Idololatra. Quod hoc contigerit Judaico populo adoranti aureum vitulum, affirmavit sanctus Petrus Chrysologus serm. 29. *Aurum Iudaicum populum sic captivavit aspectu, specie sic decepit, ut hoc esse Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum, denegarent.* Ideò Isaias quoque cap. 2. vers. 7. hæc duo conjunxit: *Repleta est terra argento & auro, & repleta est idolis.* Gravissimo suo damno, veritatem hanc comprobavit Judas. Quid Apostolum induxit, ut Verbum Incarnatum, pro pretio vilissimo divenderet, nisi aviditas pecuniæ? Sanctus Chrysostomus sermone 3. de Resurrectione. *Parricida pariter & conviva, Dominum vendit argento, fecit de magistro ferale commercium, & cùm accepit aurum, prodidit Deum.* Quàm fuerit difficile deinde illum salvari, ostendit eventus, dum abiens se suspendit de patibulo, momento eodem præcipitatus in infernum.


§ 14. *Avarus pro auro vendit animam Christi sanguine redemptam.* Judas pro pecunia vendidit Christum, avari hodie pro auro diabolo vendunt animas suas, quod æquè scelestum est. Animas nostras, quo pretio emit Christus Dominus? Apostolus jam dudum respondit: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine.* Quid facit avarus? animam pretioso Christi sanguine comparatam vendit diabolo pro auro & ar-

Digitized by Google

& argento ; adeoque aurum præponit pretio sanguinis Christi; quia pro auro offert animam, postquam eam Christus suo sanguine acquisivit, in quo duplex patrat gravissimum scelus. *Primò*, pluris faciendo aurum, quàm Christum. *Secundo*, vendendo animam, ut damnetur, pro qua Christus Dominus mortuus fuit in cruce, ut salvaretur. Quid scelestius excogitari potest? & dubitatis Christum Dominum benè dixisse: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem in regnum cælorum.* Et putatis rigidam esse consequentiam sancti Augustini, *ergo divitum est infernus*? & necdum hanc maximam capere potestis, difficilimum esse, ut dives salvetur.

Et dubitatis de veritate verborum Ecclesiastici, *avaro nihil esse scelestius*, & sancti Pauli, *avaritiam esse radicem omnium malorum*? quis opprimit innocentes? quis operarios debitâ fraudat mercede? quis sacrosanctas conculcat leges? avarus! quis exspoliat viduas cum pupillis? quis testibus, quis judicibus obstruit ora, ne loquantur pro justitia? quis testes reperit falsos! avarus! quis adulterat testamenta? quis corrumpit pia legata? quis præparat venena, ut citiùs perveniat ad hæreditatem? quis seminat rixas & discordias inter proximos consanguineos? avarus! quis pauperum exsugit sanguinem? quis non horret sacrilegia & perjuria? quis audet omne facinus? avarus! proinde nihil illo est scelestius. §. 15. *Avaro nihil scelestius.*

Epilogum fac minis plenum ex Psalmo 108. v. gr. in agone *Diabolus stabit à dexteris ejus.* §. 16. *Epilogus.*



CON-

Digitized by Google



CONCIO XLVI.

PRO DOMINICA XVIII. POST SS. TRINITATEM.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, Matth. 22. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit aliquot proprietates nostri amoris, erga Deum.

§. 1. *Exordium continet invectivam in illos, qui dicunt mandata Dei, non posse observari.*

§. 2. *Amor Dei debet esse internus, & externus.*

§. 3. *Christus D. quomodo instar sigilli nobis imprimatur.*

§. 4. *Amor noster erga Deum debet habere quatuor dimensiones.*

§. 5. *Amor noster erga Deum debet esse amor amicitiæ & benevolentiæ.*

§. 6. *Triplex illorum gradus, qui Deum amant.*

§. 7. *Amor hic ardere solet ardentissimis desideriis, ideoque est perfectus Arithmeticus.*

§. 8. *Quantam gloriam præparaverit DEUS diligentibus se.*

§. 1. *Exordium continet invectivam in illos, qui dicunt mandata*

SUppono, per Dei gratiam esse possibile, ut servetur mandatum, quod Christus Dominus nobis de diligendo DEO, in hodierno Evangelio proponit, probatur ex cap. 30. vers. 11. Deuter. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te*, & ex Josue cap. 11. vers. 15. *Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, & ille universa* com-

complevit: non præteriit de universis mandatis vel unum quidem Verbum, quod jusserat Dominus Moysi, & tamen præcepta legis affirmativa fuerunt 218. negativa 365. Arduum erat mandatum, quod datum fuit Abrahæ de occidendo Isaaco, tamen paratus fuit filium immolare; quod arguit fuisse possibile, ut faceret. De Zacharia, & ejus uxore Luc. 1. vers. 6. dicitur: *Erant ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* In lege nova Christus D. tam clare Matth. 11. ait vers. 30. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve, & mandata mea gravia non sunt.* Sed quid ego hæc? ideo, quia timeo ne & hodie cum S. August. Serm. 191. de tempore dicere possim, *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum*; talis blasphemus fuit Lutherus, cum dixit: *tot Scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius.* & in Psal. 51. *Decalogus nunquam potest plene servari*; ita; quia Luthero durum erat illum servare. Talis blasphemus fuit Melanchton in apolog. tit. de votis monast. *Extrema impietas est sentire, quod decalogo ita satisfaciant, ut merita supersint; cum hac præcepta omnes Sanctos accusent, diliges Dominum; item non concupisces*, ergo Apostoli fuerunt fures, adulteri; sed ad hominem melius argumentor, si impossibile est servare mandata DEI, ergo Lutherus & Melanchton fuerunt adulteri, &c. verum nolo modo cum illis disputare, suppono possibile esse nobis Deũ diligere, hac ergo concione ostendam, quomodo debeamus Deum diligere. In materia latissima aliqua tantum proponam: scilicet has duas amoris divini proprietates. 1. Amor Dei debet esse interior. 2. altus, profundus, latus, longus.

Dei non posse observari.

Utilissima quæstio est, quomodo debeamus Deum diligere! respondetur 1. amare debemus interius, scilicet corde; & exterius scilicet opere. Cantic. 8. vers. 6. Christus D. veluti sponsus suæ sponsæ, sive cuivis animæ, commendat ingentem suã charitatem; in cruce præcipue exhibitam, & pro recompensatione nil petit, quam ut vicissim ametur, sic ait: *sub arbore malo excitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* LXX. *ibi pe-*

§. 2. *Amor Dei debet esse internus & externus.*

Digitized by Google

illum strenuo operando. 3. secundum Hugonem ait sponsus: *super cor me pone, ut me toto corde diligas, & super brachium, ut in opere exteriori dilectionem ostendas.* 4. Theodoretus. *Cor animæ vim contemplativam designat, brachium vero activam.* 5. S. Ambros. *Infige cordi, ut intus diligas, infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint.* 6. rursum S. Ambrosius eleganter. *Sigillum Christus in fronte est, ut semper confiteamur, in corde, ut semper diligamus, in brachio, ut semper operemur, ut si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis, ipse est signaculum nostrum.* 7. Rursum Hugo. *Monile pectoris signaculum cordis, ne affectio sinistra subrepat,* (hoc monile, Jesus.) *est armilla brachii, & signaculum fortitudinis in exteriori operatione, ut etiam in corpore nostro stigmata Domini Jesu circumferamus.* Armilla quoque est Jesus Crucifixus: juxta S. Ambros.. *Infige ergo pectori tuo & cordi tuo hoc signaculum Crucifixi.* 8. S. Bernard. *Sit tibi Jesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat, semper illum cogita, pro te in cruce pendentem.* Cur hoc? ideo, hinc intus oriuntur illæ scintillæ, illæ cogitationes de Deo, hinc intus illæ sagittæ; quasi cor esset pharetra, hinc intus illa desideria: O Seraphin amate Deum, (fac pulchram apostrophen ad omnes creaturas;) hinc intus illæ consolationes in summo bono; exterius vero illa heroica opera. His ergo propositionibus declarari potest quis Deum amet.

imprimatur.

Alterum punctum Concionis mihi suggerit S. Paulus ad Ephes. 3. v. 14. ex quo discere possumus, quomodo debeamus Deum diligere, vel qualis debeat esse amor noster, sic ait: ***Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis ut possitis comprehēdere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.*** Scio has quatuor dimensiones variis rebus applicari. 1. Deo applicat Jobus cap. 11. vers. 7. ***Forsitan vestigia Dei comprehendes? excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.*** David Psalm. 138. vers. 8. ***Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, si sumpsero pennas meas diluculo.*** (Scilicet si volavero ad Orientem.) ***& habitavero in extremis maris***

§. 4. Amor noster erga Deum debet habere quatuor dimensiones.

maris (ad Occidentem) *etenim illuc manus tua deducet me*, ubique ades, describitur his verbis immensitas Dei, vel qualis sit Deus; altissimus, id est, incomprehensibilis, latissimus, hoc est, omnipotens, longissimus, hoc est, æternus, profundissimus, id est, ditissimus. 2. his verbis sic utitur S. Aug. l. 50. hom. hom. 3. *Ego hac verba Apostoli sic intelligere soleo, in latitudine; bona opera charitatis; & in longitudine, perseverantiam usq; in finem, in altitudine spem cælestium præmiorũ, in profundo inscrutabilia Dei judicia*. 3. Alii applicant dimẽsiones has cœlesti gloriæ, cujus magnitudo per has quatuor dimẽsiones eleganter potest exponi. 4. alii putant Apostolũ loqui voluisse de mysterio SS. Crucis, & redẽptionis, ut sensus sit, det vobis, &c. Sic plurimi loquuntur Patres; pulchre S. Aug. hic: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, altitudo, & profundum, scilicet Crucem Domini, cujus latitudo dicitur in transverso ligno, quo extenduntur manus, longitudo à terra usque ad ipsam latitudinem, quo à manibus & infra totum corpus affigitur, altitudo à latitudine jursum usque ad summum, quo caput adhæret, profundum vero quo terræ infixum absconditur*. S. Basilius in cap. 11. Isaiæ: *Crucis partes quadrifariam dispertiuntur, & unaquæque suo annutu totidem simul spectat mundi partes, ut hac significatione omnes mundi partitiones, per eas S. Crucis partes ad salutem dispensentur, ut Iesus in Cruce totius mundi salus demonstraretur, ut impleretur illud Ioan. 12. cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. 5. Alii dimensiones has applicant charitati Christi, quia Apostolus statim subjungit, *scire etiam supereminentem charitatem Christi*, quam scilicet in morte sua ostendit, dũ in cruce secundum dimensiones has ad omnes homines se extendit, ut scilicet (prout S. Ambros. & S. Thom. loquuntur) totum mundum immenso suo amore amplecteretur, & S. Aug. Ser. 3. *significavit hanc charitatis suæ amplitudinem D. Iesus in Cruce, caput ad Orientem erigens, pedes ad Occidentẽ submittens, manus ad Aquilonẽ & Austrũ extendens*. Elegenter Sedulius l. 5.

Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacra lambuntur sidere planta,
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.

Vel

Digitized by Google

Vel clariùs. In altitudine Christus D. in cruce summè dilexit Patrem, in profunditate extremè dilexit nos, in longitudine usque in finem, in latitudine amicos, & inimicos; vel secundum S. August. *Ut sublimitas sit, quod nos uniat Deo, profundum descensus ad proximum, latitudo charitatis sit ad omnes etiam inimicos, longitudo sit perseverandi longanimitas*; talis fuit amor Christi D. (pulchrè per inductionem) ut benè S. Apostolus dixerit ad Gal. *flecto genua mea*, &c. & S. August. *Non frustra Dominus tale genus mortis elegit* (scilicet crucis) *ut ita nobis latitudinis hujus, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis Magister existeret*, altus ergo debet esse amor noster, profundus, latus, longus; breviter applica.

Aggredior tertium punctum Concionis, in quo Audit. meos moneo; perfectionem nostri amoris erga Deum in hoc consistere, ut illum amemus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, hoc est, amore amicitiæ; sive, non propter magna commoda, quæ Deum amando obtinemus, vel ideo, quod magna à nobis avertamus damna, quæ incurrunt illi, qui Deum non amant. Perfectus Dei amor hæc omnia quasi non considerat; instar cœci, nec cœlũ, nec infernum intuetur, sed purissimis oculis, instar aquilæ, aspicit Deum, ut illum amet, propter ipsum, & propter infinitas ejusdem perfectiones, quæ infinitum merentur amorem. De quo amore Angelicus Doctor S. Thomas dixit: *Non quilibet amor habet amorem amicitiæ; sed amor cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus.* §. 5. *Amor noster erga Deum debet esse amor amicitiæ & benevolentiæ.*

Ut hæc proprietas perfecti amoris clariùs intelligatur, observandum est, quod monet sanctus Gregorius Magnus, tres esse gradus eorum, qui Deum amant; de quibus S. Dorotheus ait: *Si timore gehennæ benè faciamus, in servili statu sumus. Si ut mercedem recipiamus, mercenarii sumus, si bonum ipsius gratiâ faciamus, ad filiorum statum transivimus.* Timorem inferni, sodali suasit ille defunctus, qui, teste S. Vincentio, anno 1090. post mortem illi apparuit, retulitque se justo Dei judicio damnatum; & ut tormentorum atrocitatem agnosceret, manu frontis sudorem abstergens, unicam guttam in socii faciem projiciens dixit: *Hoc* §. 6. *Triplex illorũ gradus, qui Deum amant.*

 esto

Digitized by Google

esto vivum tibi, & perenne infelicitatis meæ monumentum; & ad meliorem frugem stimulus. Proinde, præsertim à peccatoribus abjiciendus non est, saluberrimum est, timere infernum; & vel ideo amare Deum, ne æternùm cruciemur in flammis. S. Ignatius, licet sublimissimum gradum divini amoris attigisset, nihilominus divinæ retributionis, & æternæ gloriæ memoriam hominibus frequenter inculcabat. Ita invicta heroina gloriosissimi Martyris S. Symphoriani mater, dum ad supplicium filius raperetur, altâ voce illi acclamavit: *Sursum fili mi, erecto corde aspice illum, qui regnat in cœlis. Si hodie perduraveris fili, ad cœlestem gloriam migrabis.* Hoc quoque motivum, ad amandum Deum est laudabile, & viris etiam sanctis ingens stimulus ad majorem perfectionem. Gradum verò perfectissimum divini amoris, sancto Ivoni ostendit, illa matrona, quæ stans, quasi ardenti face vellet accendere & comburere cœlum, cyatho verò aquæ extinguere infernum, dixit: *Ne inposterùm quisquam virtutem exerceat spe mercedis, vel à malis sibi temperet, timore supplicii; verùm quisque puro Dei amore, ejusque solius gloriæ studio impellatur.*

§. 7. *Amor hic ardere solet, ardentissimis desideriis, ideoq; est perfectus Arithmeticus.*

Talis amor plerumque ardet ardentissimis desideriis, quotidie magis & magis amandi Deum. Placuit mihi ille libellus, qui amorem hunc vocat *perfectissimum Arithmeticum.* Arithmeticæ prima species est numerare. Proinde amor divinus in humano pectore, ad littus maris numerat illius arenas; in mari ejus guttas, in aere atomos, in igne omnes scintillas, in firmamento stellas, in cœlo Seraphinos, Cherubinos, imò milliones cœlestium spirituũ; descendit rursum de cœlis in terram, & in sylvis numerat omnium arborum folia, in campis flores, in agris segetes, in vineis uvas, in horreis grana, &c. Sed quid hoc quasi infinito numero intendit laboriosus amor? hoc, ut quot sunt arenæ, quot guttæ, quot atomi, quot scintillæ, &c. tot optet seraphica corda, quibus Deum suum amet. Altera species Arithmeticæ est additio & multiplicatio; hanc speciẽ perfectissimè callet amor. Arenas, guttas, atomos, &c. multiplicat innumerabili numero; ad quid? ut tot cordibus Deum amet. Neque amor ignorat speciem divisionis, quod patet in regio Psalte, dum totum universum dividit in cœlos & elementa;

tum


tum omnes creaturas in cœlo & in terra, Angelos, homines, bestias in pulcherrimos choros: eo fine, ut laudent & ament, modo, quo possunt, & quantum possunt, Deum Creatorem suum. Ecce! quid sit Deum diligere ex toto corde, sive perfectissimè, sed cogitemus Deum ita amari, ab innumeris creaturis; num ideo amatur, quantum amari dignus est. O inanes cogitationes! Iterum numerate, addite, multiplicate omnes creaturas, quantum potestis, multiplicate Seraphinos; Omnium amor erit guttula, arenula, scintillula, ad illum amorem, quo Deus amari dignus est; hoc est, infinito, quo solus Deus se amat. Nos tamen conari debemus, ut amemus, quantum possumus.

Quanta verò sit amoris hujus, etiam in minimo gradu, excellentia, advertere possumus ex præmio, quod Deus præparavit diligentibus se. De quo Franciscus Arias ait lib. de imit. Christi 1. p. tr. 3. c. 11. & 12. Omnes illustrationes intellectûs; omnes divini amoris ardores, omnes denique cœlestes delicias, quas omnibus simul Sanctis, quamdiu in terris fuerunt, experiri contigit; ad ea, quæ Beatorum minimus, ob minimum divini amoris actum, persentiscit comparatas, esse veluti guttulas ad mare, arenas ad montes, scintillas ad incendium. O animæ sanctæ! diligite Deum ex toto corde. Addit citatus Pater, si Sanctorum aliquis per mille annos in hac vita, omnia tormenta Martyrum perferret; dein Deus tantum per spatium salutationis Angelicæ se illi ostenderet in gloria, fateretur sufficientem se accepisse mercedem. O animæ piæ! quid erit æternùm videre, laudare & amare Deum? ah amemus Deum ex toto corde. Seraphicus S. Franciscus dicere solebat: *Tanta est gloria, quam exspecto, ut omnis me pœna delectet.* Cùm revelatum ipsi fuit, quod foret salvus, integro octiduo, nil aliud dixit: *Laudetur! ametur Deus! Benedictum sit nomen Domini.* Itaque Auditores, diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima in hac vita, ut æternùm amemus in altera.

§. 1. Quantam gloriam præparavit Deus diligentibus se.

CON-

Digitized by Google



CONCIO XLVII.

DOMINICA XIX. POST SS.TRINITATEM.

Offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto,
Matth. 9. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRæscribit ægris varias affectuosas cogitationes, quibus inter morborum dolores, & molestias consolari se possint.

§. 1. *Exordium proponit celebrem controversiam, ex hodierno Evangelio.*

§. 2. *Ingressus in concionem, ex quibusdam mysteriis passionis.*

§. 3. *Prima cogitatio ægri solatio plena sit; Deus immittit morbos, ob varias causas.*

§ 4. *Quomodo Deus impios puniat morbis.*

§. 5. *Alterum ægrorum solatium; Christus D. pertulit majora.*

§. 6. *Quare Christus D. vocetur filius Vnicornium.*

§. 7. *Solatium tertium: morbi non diu durant.*

§. 8. *Solatium quartum: Peculiaris devotio erga SS. Crucifixi vulnera.*

§. 9. *Testimonium S. Catharinæ Senensis, & aliorum.*

§. 10. *Solatium quintum: habemus amantissimum medicum.*

§ 11. *Epilogus.*

§. 1. *Exordium proponit celebrem controversiã, ex hodierno Evangelio.*

SI multi Lutherani essent inter meos Auditores, quærerem ex illis, quid sentiant de hodierno Evangelio? de quibusdam celebribus controversiis, quæstio est hodie inter Christianos, an peccatori legitimè pœnitenti verè dimittantur peccata; sive, an turpitudo & malitia peccati verè auferatur ab anima

Digitized by Google

anima hominis; an vero tantū tegātur, non imputentur, si sicut leprosus aliquis admittatur ad aliorum cohabitationē, non quod lepra careat, sed quod alii dissimulent se scire talem esse leprosum, vel quod panno aliquo lepram tegat. Sic sentiunt aliqui Acatholici, Evangelium vero hodiernum ostendit contrarium, nā Christus non dixit, teguntur peccata tua, sed *remittuntur*. Et ut constet manifestius qualis esset ista peccatorum remissio, quæ oculis non cernitur, Christus eam comparat cum potestate & effectu sanandi paralyticū, cujus morbus oculis cernebatur; *ut sciatis*, ait Christus, *quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra, dixit paralytico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, & surrexit*, quam vere autem Christus abstulit paralysin à corpore hujus hominis, tam vere abstulit peccata ab illius animæ; quā vere liberavit membra corporis ab infirmitate, tam vere liberavit animam à malitia peccati. Itaq; hodiernum Evangelium directe est contra illos, qui docent, peccata tantum tegi in anima hominis. Quæstio est hodie, qualis fides requiratur ad justificationem, an fides *sola* in Christum sufficiat, an etiam requirantur opera charitatis, primum dicunt Lutherani, nos contrarium, & pro nobis stat Evangelium hodiernum, nam portitores fidem non tantum habuerunt, Christum posse sanare hunc paralyticum, sed ostenderunt charitatem. 1. cum labore portarunt illum usq; ad domum in qua erat Christus. 2. solicite quæsierunt inferre ipsi domui, & ponere ante Christum. 3. cum præ turba pergere non possent, ascēderunt tectum, hanc charitatem, hanc fidem, ut vidit Jesus, sanavit ægrū. Præterea est quæstio, qualis fiducia requiratur. An fundari debeat in solo Christo, an etiam in nostra innocentia & sanctitate; Lutherani primum asserunt, nos secundum, pro nobis stat Christus in Evangelio. Videtis quam latam illud materiam suggerat, si cum Lutheranis vellem contendere, sed hoc loco id non placet, forte inter meos Auditores plures sunt, qui affliguntur morbis, qui cum paralytico coguntur decumbere in lecto, hos solabor, his præscribam aliquas sanctas cogitationes, quibus se solari poterūt.

Pro introitu Concionis revocate in memoriā tristia aliqua, sed affectuosa mysteria Passionis Salvatoris nostri, cū in agonia factus prolixius oraret, cū præ tristitia, timore, angustia pretiosus sāguis ex toto corpore sanguineo sudore effluëret, ita ut guttæ deci- 5. 1. Ingressus in concionē, ex quibusdam mysteriis Passionis.

derent in terram, apparuit ei Angelus de cœlo, confortans eum, & pro solatio obtulit calicem. Cum crucem bajulasset in montem Calvariæ, postquam vestes magno impetu detraxissent, meditantur Sancti PP. & sic pingunt pictores, sedisse eum totum vulneratum & sanguinolentum in aliquo lapide, in quo secundum consuetudinem obtulerunt ei vinum myrrhatum. Vinum optimum submiserant piæ matronæ, sed nequam crucifixores miscuerunt felle. Cum in cruce præ magnitudine sitis exclamasset, *sitio*, obtulerunt ei in arundine spongiam cum aceto; si tum præsens fuissem, & habuissem haustum vini optimi, sine dubio obtulissem Christo Salvatori. Idẽ mihi affectus erga meos Auditores, præcipue illos, qui morbis à Deo visitantur. Morbi vestri, myrrha sunt, fel sunt, acetum sunt, sunt amarus calix, quẽ Christus D. nobis propinat, si melleum, si nectareum potũ haberem, libenter vobis offerrem; amarum tamẽ hunc calicem piæ aliquæ considerationes dulcorare possunt: ut in cruce, in morbis solatium percipias, ut in cruce, in tuis morbis tibi aliquo modo sit bene, hæc cogita, primus haustus sit hæc cogitatio.

§. 3. *Prima cogitatio ægri solatio plena sit, Deus immittit morbos ob varias causas.*

Deus vult me vexari morbis, fundamentum hujus cogitationis est infallibilis hæc maxima: Omnes morbi à Deo sunt, divina providentia illos immittit, juxta illud Amos 3. v. 6. *Si erit malũ in civitate, quod nõ fecerit Dominus?* hoc si intelligeremus, in morbis non tam essemus queruli, sed humiles & patientes coram Domino. Causas vero ob quas Deus morbos nobis immittit, habemus varias in sacris literis. 1. quibusdam Deus morbos immittit, ut eos probet & coronam augeat, sic infirmati sunt Jobus & Tobias senior, cui Angelus diserte affirmavit Tob. 12. v. 13 *quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* 2. immittit Deus morbos, pro exercitio & majori perfectione virtutũ. 2. Cor. v. 9. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*, eximia virtus est patientia: in infirmitate perficitur (fac pulchram inductionem) eodem capite ait S. Paulus, *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* hinc 3. oritur causa, ob quam Deus morbos immittit, ut manifestetur gloria Dei, sic expresse Christus de cœco nato Joan. 9. v. 2. *neq; hic peccavit, neq; parentes ejus ut cæcus nasceretur, sed ut manifestetur gloria*

gloria Dei. & de Lazaro Joa. 11. v. 4. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* 4. sæpe multi & varii morbi à Deo immittuntur propter peccata. Deut. 28. v. 1. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata ejus, adjunget tibi D. pestilentiam* (ecce pestis à Deo est) *percutiet te febri & frigore, ardore & æstu,* (ecce calor, ecce frigus in morbis, sive duæ præcipuæ radices morborum, calor & frigus à Deo sũt) *si audire nolueris, percutiet te Dominus ulcere Ægypti, scabie quoq; & prurigine ut curari nequeas* (ecce ulcera, scabies à Deo sũt, quod morbi sæpe curari non possint, quod multis ægris contingat, quod contigit Hæmorrhoissæ Marci 5. ut hæreant in morbis annis duodecim, ut utantur variis medicis & medicinis, & tamen deterius habeant, hoc à Deo est) *Si audire nolueris, percutiet te D. ulcere pessimo in genibus & in suris, ut sanari non possis à planta pedis usq; ad verticem tuum.* Multi peccatores hanc veritatẽ damno suo experti sunt.

2. Paral. c. 16 Asa rex percussus est dolore pedum usq; ad mortẽ, quia amicitiam habuit cum Bennadad Rege Syriæ, & Prophetam Ananiam incarceravit. 4. Reg. 5. Giezi propter avaritiã & fraude acceptas pecunias, factus est leprosus, ipse & posteri ejus. 2. Paral. 21. Joram Rex Juda propter fratres suos occisos, & religionẽ mutatam percussus est alvi languore insanabili & tabe, ita ut viscera egrederentur, donec moreretur. l. 2. Machab. c. 9. v. 9. vide pulcherrimum locũ de Antiocho. Cum Jerusalem opprimeretur magnis malis, dixit illi Jerem. c. 4. v. 18. *Via tua & cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc* (pulchre applica) Micheas c. 1. v. 5. *In scelere Iacob omne istud, & in peccatis domus Israel,* hoc cogitet ægrotus, in scelere meo, malum hoc. Clare S. Paulus 1. Cor. 11. v. 30. cum egisset de indigne cõmunicantibus, *Ideo inter vos multi infirmi,* Christus vir *dolorum percussus fuit à Deo, propter scelera nostra,* Is. 53. v. 5. Sed inhæreo huic discursui diutius, hoc peto ab ægris, ut cogitent peccata forte esse causam, ideoq; Deum morbos immittere, ut illa defleamus, hoc si fiat & nihilominus morbi maneãt, *confide fili,* Deus vult ut amplius satisfacias, Deus vult ut virtutes exerceas, Deus vult ut coronam augeas, Deus vult ut gloria ejus manifestetur; itaq; & nos velle debemus, sed morbus hic myrrha est, *fili confide,* Deus vult te gustare, sed morbus hic fel & amarus calix est *fili confide,* bibe, affunde

§. 4. Quomodo Deus impios puniat morbis.

 aliquid

aliquid mellis, cogita Deus vult, Christus ipse hac cogitatione se solatus fuit, Joan. 18. v. 11. *calicem quem dedit mihi Pater, &c.* (pulcher locus) Eja *fili confide*, pater paravit hunc calicem, itaque Deum & Christum D. aspicere debemus.

§. 5. Alterum ægrorum solatium, Christus D. pericula majora.

Alter haustus esse potest hæc suavis cogitatio. Filius Dei Salvator noster, majores sustinuit dolores; horum debemus esse participes, Christus D. totum calicem ebibit, nobis aliquot guttulas myrrhæ, vel fellis reliquit. Hoc fundamentum ægris suggerit pulcherrimas & varias cogitationes, solatio plenas, v. g. cum dolet caput, memento dolorũ quos Salvator tuus sustinuit (sic per reliqua membra) durusne est lectulus vel pulvinar; cogita, duri orẽ fuisse crucem, duriores spinas, duriores clavos. Sudat corpus præ dolore & angustiis! memento sudoris, quẽ Christus D. sudavit; hunc haustum ægris præscripsit S. Chrys. hom. 3. in ep. ad Ephes. *Corpus D. capitis nostri cruci confixum est, confossum clavis-si corpus Christi es, fer crucem, ille enim tulit; fer clavos-ipse tulit, fer spinas, ipse enim tulit, gusta myrrham, ipse enim gustavit.* Hunc haustum, hanc cogitationẽ ægris præscripsit S. Bern. Ser. 5. festo omnium Sanctorum, *pudeat sub spinoso capite, membrum esse delicatum.* Corporaliter membra Christi mortificata sunt in flagellatione, in coronatione, in Cruce, spiritualiter membra Christi debent mortificari tribulationibus, morbis, doloribus. Hæ cogitationes dulcorant myrrham nostrã.

§. 6. Quare Christus D. vocatur filius unicornium.

Ps. 28. v. 6. David vocat Christum *dilectum, quemadmodum filium unicornium*: ob varias pulchras causas instituitur hæc comparatio inter Christum & unicornem, hæc modo mihi servit. In Lybia tanta est copia serpentũ, ut omnes fontes sint pleni, & infecti veneno. In remedium Deus creavit unicornẽ, antequam hic bibit, cornu immergit aquis, & ea cornui huic inest vis, ut fugiant serpentes, ut pellatur omne venenum, aquæq; reddantur dulces & salutares. Cornu Christi est SS. crux; hoc cornu confregit caput infernalis serpentis, sed & hoc fecit, postquam ipse Christus sanctissimam Crucem tulit, & aquis passionis injecit, nobis mare salsum factum est aqua dulcis, ut plurimis volupe sit, in via crucis ad cœlum bibere de torrente passionis. Qui cogitat Christum talia pertulisse prius, & pro nobis patienter, libenter tolerat dolores & morbos pro Christo.

Tertius haustus sit hæc cogitatio. Morbi corporales non diu durant, post modicum, post breve tempus cœlestis sponsus remunerat cœlesti gloriâ, & hæc cogitatio fundamentum habet in sacris literis, Luc. 16. ℣. 22. homo quidam dives indutus fuit purpurâ & bysso, epulatus quotidie splendidè, sed quàm brevi tempore! brevi *mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Lazarus mendicus, jacens ad januam divitis ulceribus plenus, petens micas tantum de mensa, & nemo illi dedit, sed quamdiu? brevi tempore, *factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Itaque fili, cùm Deus morbum tibi immittit, confide, morbi durant usq; ad tempus; felix & sancta mors felicem finem morbis imponit. Morbos, dolores viginti, triginta annorum S. Paulus vocat *momentaneum, & leve tribulationis*; Gloria verò, quæ sequitur, est immensa & æterna; sic filio juniori, cùm in gravissimis esset tormentis, dixit heroica mater Machabæa; *Nate peto à te, ut aspicias ad cœlum.* Idem à vobis peto Auditores, quæso cum vobis malè est, aspicite ad cœlum & confidite. Quia alibi latius hæc deduco, propinabo tandem quartum haustum, hodiernæ Dominicę, quâ celebrabimus congregationem Agonizantis Christi, sive quinque sanctissimorum Vulnerum, convenientem. §. 7. *Solatium tertiũ morbi non diu durant.*

Cùm B. Henricus Suso in doloribus corporis, præcipuè cùm accederent anxiæ cogitationes de salute, tristaretur, hanc vocem audivit de cœlo. *Surge, ingredere in vulnera mea, nam in his solatium tuum unicum, & una tua felicitas consistit.* Hoc facite Auditores, cùm bonus Deus morbos immittit, non quærite pulchra conclavia, non molles lectulos, non amœnos hortos, surgite mentibus, ingredimini Vulnera Salvatoris, hæc regia sunt conclavia, hæc molles sunt lectuli, hæc amœna sunt viridaria, in quibus etiam in acutissimis morbis vera non desunt solatia, in quibus amatoribus Christi, dum patiuntur, dum doloribus affliguntur, tamen est bene. In igneis illis fornacibus, igneæ fornaces sunt illa vulnera, dulce sentiunt refrigerium. §. 8. *Solatium quartum peculiaris devotio erga SS. Crucifixi Vulnera.*

Experta fuit S. Catharina Senensis, ideò dixit: *Habitabo in Vulneribus Domini Iesu mei Christi, & omnium iniquitatum mearum maculas pretioso sanguine ejus abluam* (ah utinam hæc prima esset §. 9. *Testimoniũ S. Cathar. Senensis & aliorum.*

 cura

cura ægrorum!) *atque cum sancto desiderio jugiter gaudebo in ipso Creatore & Redemptore meo, neq; desinam cum Propheta pro necessitate animæ meæ haurire in gaudio aquas de fontibus & vulneribus Salvatoris*, hæc medicina plurimis ægris præscribi debet à medicis, ut ad salutares se conferant thermas & fontes. O ægri! ô paralytici: alios fontes non quærite, quàm Vulnera Salvatoris; haustulus ex hoc fonte mitigat dolores cujuscunque infirmitatis; expertus est ille juvenis, cui, cùm ob asperitatem vitæ ex ordine S. Francisci fugere vellet, Christus de cruce dixit: *Respice ad manus meas, & pedes meos, conspice latus pro te transfixum, collige sanguinem pro te effluentem, junge collyrio hoc oculos tuos, & videbis, quàm exigua sint, quæ pateris, si cum cruciatibus meis conferantur*. Hoc fecit, & cognovit beatius esse nihil, quàm patientis Salvatoris vestigia sectari. Gravi capitis dolore affligebatur B. Mechtildis, invitatur à Salvatore, ut pro remedio subeat vulnus Salvatoris, sed quid agat? quodnam ingrediatur? an manus, an pedes? Christo sponso delectum reliquit, hic invitavit ad vulnus lateris, fecit sponsa, suavi meditatione illud ingressa est, & omni dolore se protinus liberatam sensit.

§. 10. *Solus non quem habemus amantissimũ medicum.*

Magnum ægro solatium est, cùm medicum benignum, sibique compatientem habet, & simul omnipotentem. *Is nobis Dominus Iesus est* (sitientissimus, ut nobis benè fit, & in corpore & in anima) ait Drogo S.R.E. Cardinalis de passione Domini Thren. 1. ℣. 12. *Clamat Salvator de cruce, sitio inquit Dominus. Quid sitis mi Iesu? ergone plus cruciat sitis, quàm crux? de cruce siles, & de siti clamas, sitio? Quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium, plus animarum vestrarum dolores, quàm corporis mei cruciatus me affligunt*.

§. 11. *Epilogus.*

Finio verbis S. Bonaventuræ; qui p. 1. stim. c. 1. jam dudum ægris hanc medicinam, & hoc solatium præscripsit. *Ingredere has vulnerum Iesu apothecas, & accipe in illis medicinam sanativam, restaurativam, præservativam, & conservativam. Ibi quacunque appetis electuaria reperies*. Et S. August. in Psalm. 102. *Sanabuntur languores tui: noli timere, magni sunt, inquies, sed major est medicus, omnipotenti medico nullus languor incurabilis occurrit*. S. Ambros. l. de agone

agone Christi c.11. *Vulnus est, quod Christus accepit!* (vulnera hiantia in manibus, in toto corpore!) *sed medicina est, quam effudit* (medicina est sanguis effluens ex pedibus, ex manibus) S. Augustin. *O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem, &c.*



CONCIO XLVIII.

DOMINICA XX. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores,
Matth. 22. ℣. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Agit multis, de acerbitate pœnarum inferni.

§. 1. Inferni duplex pœna; damni & sensus.

§. 2. Prior consistit in odio Dei erga damnatos.

§. 3. Cur S. Ioannes dixerit, arborem prius exscindendam, antequam mittatur in ignem.

§. 4. Cur zizania prius colligenda.

§. 5. Cur servo mittendo in tenebras, prius ligatæ manus & pedes.

§. 6. Pœnæ inferni comparantur cum pluvia & igni.

§. 7. Tormenta, quare non dicantur fore in damnatis; sed damnati in illis,

§. 8. Salutare Christi D. monitum.

§. 9. Quare Christus D. Matt. 20. dicatur, Homo Paterfamilias.

§. 10. De-

§. 1. Inferni duplex pœna, damni & sensus.

SUper ℣.2. Ecclesiastici 1. capite, *Profundum abyssi, quis dimensus est?* ait Hugo Cardinalis, *per profundum abyssi intelligitur, profunditas suppliciorum in inferno*; quæ adeò gravia sunt, ut omnem loquendi vim longè superent. Advertendum est, apud Scholasticos & sanctos Patres, illa supplicia dividi in duplicem pœnam, damni & sensûs; pœna damni in hoc consistit, hominem rationalem, ad imaginem Dei creatum beatificâ ejusdem visione, in æternum privari. Sensûs verò pœna, comprehendit omnes animi & corporis cruciatus. Prior autem, longè alterâ erit acerbior, & hujus quasi causa & radix; quod Interpretes notârunt, nobis in variis scripturæ locis insinuari.

§. 2. Prior consistit in odio Dei ergà damnatos.

Cùm Regius Psaltes nobis vult proponere, quomodo DEUS puniat impios, ait Psalm. 5. vers. 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Cùm multa in inferno homines crucient, cur ferè de omnibus hoc loco tacet Propheta, cur silet, quod ardeant, urantur? cur solius odii, quo Deus prosequitur damnatos, meminit? *Odisti illos.* Ubi ultrices flammæ? ubi aculeus

æterni

æterni vermis? ubi rigor gelu & nivium? ubi stridor dentium, ubi sulphur (est locus pro pulchra descriptione inferni) nimirum, si hæc omnia comparentur cum Dei odio, & pœna damni, nec nomen quidem supplicii merentur. S. Basilius hic: *Crassioribus intentantur minæ, de igne, sulphure, stridore dentium, illis, qui intelligere valent, odium Dei proponitur.*

Duplicem hanc pœnam agnovit S. Chrysostomus homil. 24. in Matth. ad illa verba S. Joan. Bapt. Matt. 3. v. 10. *Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Excidetur, radicitus evelletur, ex Psalm. 38. vers. 14. *amplius non erunt*, id est ex mente S. Chrysost. *non quod damnatico deventuri sint, ut non sint, & ab essentia excidant, sed non erunt, id est, non poterunt amplius mutari, ut fiant Dei amici, sed in æternum erunt objectum odii divini*; en pœnam damni, qua omnes damnati intereunt, nec unquam repullulare possunt. Quid inde? *& in ignem mittetur.* Ecce pœna sensus, quæ in igne præcipue sita est, sed potior & major, & alterius veluti radix & principium erit pœna damni. Verba S. Chrysostomi sunt: *Videtur quidem unica tantummodo pœna esse, nēpe comburi: si vero aliquis hoc diligenter perpendat, duplex inveniet hoc esse supplicium, qui enim gehenna uritur, cælorum etiam regnum prorsus amittit, quæ certe major pœna est; quam cruciatus ille flammarum, novi autem quod plurimi pertimescant tantum gehennam, ego autem amissionem illius gloriæ,* (consequenter privationem visionis beatificæ, & odium Dei in æternum!) *multo amarius, quam ipsius gehennæ, dico esse supplicium.* §. 3. Cur S. Joannes dixerit arborē prius excindendā, antequam mittatur in ignem.

Hanc eandem duplicis pœnæ rationem distinguit Parœmia illa Zizaniorum, secundum S. Chrysostom. hom. 48. in Matthæum, ita enim Matth. cap. 13. vers. 30. *In tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos, ad comburendum.* Primum metere jubet, hoc est, in perpetuum exscindi, eradicari, quæ est pœna damni; deinde comburi, quod est pœna sensus, sine omni spe reconciliationis cum Deo, sine omni spe obtinendæ æternæ gloriæ. S. Chrysostom. *Ita duplicem punitionem videre licet, alteram quoniam igne æ-* §. 1. Cur zizania prius colligenda.

terno

terno ardebunt, alteram quod ab ineffabili gloria illa excident. Si illa est ineffabilis, consequẽter talis erit æterna ejus privatio, vel amissio.

§. 5. *Cur servi mittendo in tenebras ligata manus & pedes.*

Matth. 22. v. 13. *Tunc dicit Rex ministris, ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores*, prius ligantur manus & pedes, idest, insolubili nexu, ne quid boni possit operari manibus, nec pedibus ambulare; manus pedesque constringuntur; ut omnis illis spes sit præcisa, fore adhuc aliquando amicos Dei. Hæc ignea vincula in inferno, gravissimum erunt supplicium. Post vincula, *fornax succedit.*

§. 6. *Pœna inferni comparantur cum pluvia & igni.*

Quam hæ pœnæ sint futuræ acres, late & pulchre exponit S. Basilius ad illa verba Psal. 10. vers. 7. *Pluet super peccatores laqueos ignis*, quibus paucis verbis Propheta indicat quatuor circumstantias, quæ maximo augent vim inferorum tormentorum. Duas sub nomine pluviæ, duas alias sub nomine ignis. 1. sicut pluvia sub patente cœlo, est inevitabilis, nec ulla vis hominum impedire potest, ut non decidat, non aliter inferorum pœnam nemo damnatorum evitare poterit. 2. Pluvia ostendit pœnarum abundantiam; quot pluviæ guttæ, tot inferni pœnæ. Utrasq; nemo numerare poterit. Ignis 3. ostendit supplicii promptitudinem. Etenim ignis brevi tempore materiam & fomentum absumit; eadem ratione nulla interposita mora in infernũ præcipitãdi sunt damnati. Non diutius protrahetur causa, nõ judex interpellari poterit, non adhibendi testes; nullæ erunt induciæ. Ignis aderit paratissimus, qui omnẽ sibi traditam catervam sine mora discruciet. Tandem 4. ignis significat vim consumendi. Multa sunt, quæ hominibus necem inferunt, v. g. gladius, pestis, febris, at illa licet vitam auferant, corpus tamen integrum relinquunt; ignis vero & vitam adimit, & corpus absumit, & in pulverem redigit, ita tamen, ut propterea non moriantur, sed simul æternum, vivant, & ardeant. S. Basil. *Pluet super peccatores laqueos. Per hæc nomina, inevitabilem supplicii abundantiam, plaga promptitudinem, vim consumendi exprimere volens, significavit.*

§. 7. *Tormenta quare non dicantur*

S. Chrysostom. hom. 5. de divite in S. Lucam expendit verba Evangelistæ agentis de suppliciis epuloni inflictis Lucæ 16. vers. 23. *Elevans autem oculos, cum esset in tormentis*; & miratur modum

dum loquendi, quod tormenta non dicantur esse in illo, sed ille in illis; quo ostenditur, adeo magna esse tormenta in inferno, ut ea homo non capiat, sed ipsa capiant hominem, & quasi obruant, atque inundent. Ut enim Beato dicitur, *intra in gaudium Domini tui:* hoc est, adeo hominis mentem excedit æternorum gaudiorum copia, ut ea contineri vix possint, sed homo in illis quasi in Oceano submergatur, ut potius gaudia hominem contineant, quam ab illo contineri dicantur; eadem ratione de pœnis damnatorum dicendum judicat S. Chrysostom. *Elevans oculos suos cum esset in tormentis*; in tormentis dicitur, nec tamen in quibus, vel quæ tormentorum genera patiantur, ut intelligas, non unum aut alterum ibi esse tormentum, sed singula & omnia, ex quibus illa pœna in unum coalescit.

fore in tormentis, sed damnatum in illis.

Ideò amice nos monuit Christus D. Matth. 10. vers. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam* S. Augustin. Conc. 31. in Psal. 38. *Principes persecuti sunt me; trepidavit cor meum*, pulchre ait; *habuerunt quidem & illi verba minantia, expello, proscribo, occido, ungulis torqueo, ignibus torreo, bestiis subigo, membra dilanio. Sed tua potius -- O Domine - verba me terruerunt, nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam; ab his verbis tuis formidavit cor meum,* q. d. minæ, tormenta, gladii tyrannorum, sunt larvæ, & fictæ personæ quibus terrentur pueri, ut expavescant, sed nolite: gehennam expavescite! breviter, sed subtiliter auctor operis imperfecti, *Deus - de magnis thesauris bonorum & malorum* (in hoc mundo) *quasi modicum dedit, ut ex modico gustu malorum, vel bonorum, plenitudinem agnoscamus.*

§ 8. *salutare Christi D. monitum.*

Idem auctor homil. 34. in cap. 20. S. Matthæi elegantem proponit rationem, ob quam Christus D. vocetur paterfamilias, dum ita discurrit: *Homo paterfamilias Christus est, cui cæli & terra quasi una est domus, familia autem, quasi cælestium & terrestrium multitudo creaturarum, quasi tristegam domum ædificavit*

§ 9. *Quare Christus D, Matth. 20. dicatur homo pater familias.*

 cavit

Digitized by Google

cavit, id est, inferos, cœlum & terram. Vt super terram habitent certantes, in inferno autem victi, in cœlo victores. Vt nos in medio constituti contendamus ad eos ascendere, qui sunt in cœlis. Et ne forte nescias, quod debeas fugere, aut quid debeas sequi, utrumque tibi dedit quasi medicum gustum, inter lumen & tenebras habitanti. Noctē de inferno, lumen de cœlo. Nox tibi referat de tenebris inferorum: & lux tibi referat de splendore cœlesti. Sed adverte, quidquid de magnitudine gaudiorum in cœlis cogitabis, excogitabis in hoc mundo, modicus erit gustus; magnitudo, copia, ubertas, illorum perfectio, revelabitur in altero mundo. Idem dic de pœnis inferni. Quidquid mundus habet horridum, crudele, atrox, ad pœnas inferni est modicus gustus. Illarum magnitudo, copia, acerbitas, longitudo in vita à nemine potest explicari.

§ 10. Damnatio æterna, quanta ruina. S. Chrysostom. homil. 25. in Matth. super verba illa Christi Domini de domo ædificata super arenam, capite 7. vers. 27. *Et fuit ruina illius magna*; q. d. quodcunque hominibus in terra videatur magnificum, splendidum, vix ruinæ nomen habet, sola illa ruina magna est, qua præcipites Deus dabit in tartara omnes damnatos. *Et idcirco non simpliciter ruit, sed cum magno etiam fragore collabitur. Et facta est, inquit, ruina ejus magna. Neque enim exiguarum, leviumque reum periculum est, sed de animæ discrimine, de immortalibus supliciis sustinendis, de cœlestis regni, æternorumque bonorum amissione res agitur.*

§. 11. Varia, & horribiles pœnarum inferni circumstãtia. Alia circumstantia pœnas inferni horrendum auget: Malis in hoc mundo permiscentur bona: urit ignis, frigus ignem temperat; at vero in inferno æterna pœna ex omnibus malis ita coalescet, ut nullo refocillanda sit solatio. Quod vers. 8. Psalm. 148. nobis insinuat, *Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum, quæ faciunt Verbum ejus*, id est, ignis & grando, naturali deposita inimicitia in damnatorum perniciem inito fœdere conspirant. Philo: *simul ingruent* (loquitur ille de pœna illata Ægypto, ego de diris tormentis inferni) *imbres, grandines, procellæ, atque turbines; collisiones nubium, continuus fulgura, & tonitrua prodigiosa specie: grando enim intermixta*

Digitized by Google

intermixta, neque ista liquescebat, neque extinguebat fulmina, sed uno eodemque ferebatur impetu. Subdit sanctus Gregorius l. 4. moral. cap. 46. ita-fit miseris, mors sine morte; finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors ejus, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit; quia igitur & mors punitur, & non extinguitur, & dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit, quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quamvis ignis ille ad consolationem non lucebit, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucebit, teste Job. c. 10. ℣. 22. *Terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

Sanctus Gregorius lib. 9. moral. cap. 46. huc trahit versum 9. Psalmi 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ignis aliàs adurit, sed tamen lucet, ardente igne, potest videri de die Sol. Ignis verò inferni exuret damnatos, & horrendum torquebit, nec tamen lumine suo ullum damnatis afferet solatium, sed æternâ cœcitate caligabunt, ignis densiores tenebras offundet. Eleganter sanctus Gregorius. *Hinc etiam Psalmista ait, super eos cecidit ignis, & non viderunt solem, quia illos, quos gehennæ flamma devorat, à visione veri luminis cæcat, ut foris dolor combustionis eos cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret.* Quam ipse Christus Dominus vocat tenebras exteriores, & illarum tanquam tormenti præcipui apud inferos, facit mentionem. Cadet, pluet, ignis, dies noctesque, cum horrore sempiterno, nec tamen vel minimum videbunt, quod afferat solatium. Prout guttula aquæ, ita & minima scintillula amabilis lucis damnatis negabitur.

§. 12. *Ignis inferni urret damnatos, sed non lucebit.*

Aliam proprietatem habebit ignis inferni, contra vel præter naturam ignis. Advertit illam sanctus Gregorius lib. 9. moral. cap. 48. super versum 24. capitis 66. Isaiæ. *Videbunt qui prævaricati sunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Propheta damnatis simul vermem & ignem minatur. Contingit sæpe, ut lignum plenum vermibus injiciatur

§. 13. *Inter flammas inferni, non extinguitur tamen vermis conscientiæ.*

 igni,

igni, sed vermes & ignis simul non manent; illi ad vehementiam caloris vel exiliunt, vel statim comburuntur, & in favillam rediguntur. Apud damnatos non item eheu! vermis ille conscientiæ; rodens cor, in mediis flammis semper vivens perseverat. S. Gregor. *Infernum & umbra mortis obscurat, & sempiternus horror inhabitat, quoniam ejus ignibus traditi, & in suppliciis dolorem sentiunt, & in doloribus angustiâ pulsante semper pavore feriuntur; ut quod timent, tolerent, & rursus quod tolerant, sine cessatione pertimescant. De his enim scriptum est: Vermis eorum non moritur.* Sed infernalis flamma urit totum pectus? vermis non moritur, sævit incendium in intima viscera, urit fibras cordis? vermis non moritur. Animæ & corpora simul sepulta sunt in flammis? vermis eorum non moritur. O mortales! perpendite has damnatorum pœnas.

§. 14. *Quid sit ille vermis, quantū ab illo tormentum.* Quid sit ille vermis, & quàm grave ab illo damnatis immineat supplicium, breviter & eleganter descripsit S. Gregor. l. 7. mor. c. 20. ex ℣. 30. capitis 6. Job. *Pudore cooperti sunt*, q. d. hic pudor tantum erit tormentum, ut damnati dicantur illo cooperti, tum ait S. Gregor. *Tunc verò iniquos pudor cooperit, cùm eos in conspectu judicis conscientia addicit - æternalibus flammis - tunc - cùm omnis ante oculos culpa reducitur; & mens super gehennæ incendia, suo gravius igne cruciatur.* Igneus erit ille vermis, qui inter flammas, damnatos horrendum cruciabit. Hanc pœnam impiis minatus fuit Isa. c 26. ℣. 11. *Domine exaltetur manus tua*; scilicet ad vindictam de impiis sumendam, *& non videant, videant & confundantur, & ignis hostes tuos devoret.* S. Gregor. *Intellectum quippe reproborum nunc peccata obscurant*, ut non videant videnda; *sed tunc cogitatio reatus illuminat, - ut quæ amiserint cernant.* Tunc exaltata dicitur manus Domini, cum pudore afficit damnatos, cùm eis pudorem immittit de commissis peccatis, nec tantùm ignis, quàm igneus conscientiæ vermis præcordia eorum depascit; quod tormentum, ut Propheta insinuet, quantum futurum sit, ait, ignis ille, vel igneus vermis devorabit eos.

§. 15. *Pœnarum* Quod verò in pœnis præcipuè est incomprehensibile, & ineffabile, est illarum perpetuitas & æternitas. Quam nobis proponit

Digitized by Google

ponit Christus D. in parabola, de servo, qui oblatus fuit Domino, debens decem millia talenta, Matth. 18. ℣. 24. Videtur excedere fidem, hominem quendam privatum tanto ære alieno fuisse oppressum? quomodo servus tantam pecuniæ vim exhauserit? quis dederit mutuo? respondet S. Chrysost. intendisse Christum D. perpetuitatem pœnarum inferni voluisse astruere, sicut enim talis servus reddendis rationibus obnoxius tantâ pecuniâ obæratus, nunquam solutionem præstare poterit, sed perpetuâ custodiâ & carcere detinebitur; ita ea est peccati lethalis noxa, ut pro ea purus homo, æqualem nequeat vicem solvere, ita animum nostrũ infecit, ut nulla vis ignis gehennæ decoquere illam maculam possit, quid superest, nisi æterna custodia in infernali carcere? S. Chrysost. *Tradidit eum tortoribus, donec universum debitum persolverit, id est, ad perpetuitatem eum supplicii tradidit; nunquam enim persoluturus est.* *Inferni æternitas vel maximè est terribilis & ineffabilis.*

Talem servum se agnoscit dives epulo, sepultus in inferno. Cur enim Luc. 16. petivit ab Abrahamo, mitti aliquem ad fratres, ad prædicandam pœnitentiam, ne & ipsi venirent ad hunc locum pœnarum? cur non petivit se extrahi ex illis tormentis? noluit nimirum desiderare, quod sciebat fieri non posse. S. Gregor. *Vt pœnam suam reprobi gravius sentiant, spem de venia amittunt, unde flammis ultricibus traditus non sibi, sed fratribus opitulari concupivit; quoniam nunquam se ignium carcere tormentis, desperationis supplicio agnovit, hinc Salomon ait; quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Cap. 3. ℣. 5. ait Job. *Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis, occupet eum caligo, involvatur amaritudine.* Advertit S. Gregor. hoc verbum *involvere*, portendere pœnarum in inferno æternitatem. Ut enim ea, quæ in gyrum, vel circulum circumvolvuntur, & finem & principium occultant, ita etiam æternitas & fine & principio caret. S. Gregor. *Involvi amaritudine antiquus hostis dicitur, quoniam superbiæ ejus supplicia, non omnimoda, sed etiam infinita præparantur.* §. 16. *Damnati nullam spem habent liberationis ex infernali carcere.*

Ideo Job de illo ait cap. 41. ℣. 15. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis; & stringetur quasi malleatoris incus.* Sicut enim faber §. 17. *Damnatus est malleatoris incus.*

ferra-

Digitized by Google

ferrarius incudem figit, ut ibi ferrum crebros ictus excipiat, non aliter Deus infernalē incendit fornacem, & damnatos tanquam incudes affigit, ut divinæ justitiæ ictus excipiant, sed simul durentur, ut darent æternitati. *Leviathan ergo* (S.Greg.) *ut malleatoris incus figitur, quia inferni ictibus cor aptabitur, ut æterni supplicii continua percussione tundatur.*

§. 18. *Timor ignis inferni convertit peccatores.* Psalm. 96. ℣. 3. ait: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Scio sermonem esse de igne inferni; quo Deus puniet impios. S. Augustin. etiam sensu benigno hunc versum, præcipuè illa verba, *illuminabit inimicos,* ita exponit, ut sensus sit: Impiis proponet ignem inferni, & convertet illos ad pœnitentiam. Experientia docet, impii justificationem frequentissimè sumere exordium à timore æternorū suppliciorum, qui adeò vehemens est, ut si occupet cor, etiam pertinacissimi peccatoris, illud tangat, atterat, & molliat. S. Aug. *Minis enim Dei, minis æterni ignis prohiberis à malo; incitaris ad bonum. Vnde piger?* (unde blasphemus, adulter) *nisi quia non credis? excutiat ergo unusquisq; cor suum, & videat, quid fides teneat.* Esse v.g. infernum, ardere in illo reprobos, & in æternum. Ac si diceret, esset mirabile, ut quis firmiter credat infernum, & non respiciat. Ignis inferni vim habet, ut inflammet, ut convertat impios ad seriam pœnitentiam.

§. 19. *Elicit lacrymas contritionis.* Eodem ferè sensu S. Augustinus exponit ℣. 9. Ps. 17. *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Recordationem pœnarum confert cum fumo; hic enim ab igne nascitur, & ex oculis elicit lacrymas. O impii, nolite exspectare, donec in inferno gehennalis fumus, igneas sed seras ex oculis vestris eliciat lacrymas; hodie, dum tempus est, infernalis ignis & fumus, ex cordibus vestris ascendat in oculos, ut eliciat aquas & lacrymas veræ contritionis. S. August. *Ascendit fumus in ira ejus. Ascendit lacrymosa deprecatio pœnitentium, cùm cognovissent, quid minetur Deus impiis,* scilicet ignem inferni. Ne murmuretis Auditores, me frequenter vos terrere pœnis inferni; dicam enim cum S. Chrysostomo hom. 2. in ep. ad Philip. *Ne sitis ad verborum istorum gravitatem difficiles, nam ista verborum gravitas, occasionem animabus vestris à peccatis resurgendi parit.*

Sub-

Digitized by Google


Subdit alia elegantissima verba. Non inferuntur verba, ut animum frangant, aut conterant, sed ut corrigantur, novimus enim, quo pacto per gratiam Dei percutiamus, quomodo verba inferamus ad hoc valentia, ut non conteramus vasculum, sed extenuemus, ut dirigamus, ut utile faciamus Domino, ut offeramus illud splendidum, bene sculptum, in illum diem, in quo fluvius erit igneus, ne opus habeat, ferre flammam illic futuram. Nisi enim igne eos examinaverimus, (Ps. 16. v. 3. *Igne nos examinasti*) necesse erit omnino, ut illic (in inferno) igne examinemini. Melius est, ut sermonibus nostris exuramini modico tempore, quam perpetua illa gehennæ flamma. Non habeo, quod addum. *§. 20. Elegans locus ex S. Chrys. quare frequenter facit mentionem inferni.*

Frequens est, præcipue in Psalmis humanæ mentis vel cordis ad ceram comparatio. Psalm. 57. vers. 9. (*Sicut cera, quæ fluit, auferentur.* Psalm. 21. vers. 15. *factum est cor meum tanquam cera liquescens.* Psalm. 67. vers. 3. *Sicut fluit cera à facie ignis.* Hujus similitudinis aptam rationem deducit S. Chrysostomus hom. 2. in 2. ad Thessal. ex natura ceræ, quæ nimirum si igni admoveatur, statim liquescit calore, frigore vero rigescit; non aliter noster animus ignis æterni memoria tactus solvitur, & ad virtutem facile efformandus redditur. In eadem allegoria liquefactæ ceræ persistens S. Chrysostom. addit, *qui imaginem efficere volunt ex cera, inprimis efficiunt, ut ceram emolliant, & ad ignem applicatam solvant. Ita nos qui amissam Dei imaginem refingere cordi est, inprimis animæ nostræ ceram, subjecta ignis æterni consideratione habilem reddamus.* ita S. Chrysostom. *cor emollitum, ad id, quod voles, finges, & efformabis, imaginemque illam regiam insculpes.* Regia v.g. imago est Jesus sudans sanguinem, emolli prius cor peccatoris, ad ignis æternalis flammas, & facillime illam insculpes. Subdit denique S. Chrysost. *Ne effugiamus quæ de gehenna dicuntur* (id est, libenter illa audiamus) *gehennam ipsam effugiamus. Ne effugiamus supplicii memoriam, ne supplicio puniamur. Si dives ille ignem hunc cogitasset, utique non deliquisset, quia vero nunquam in mentem ejus venit, ille propterea in illum decidit.* *§. 21. Consideratio ignis inferni emollit cor hominis, instar ceræ.*

Idem S. Chrysost. hom. 11. in Matth. miratur tantos animi motus excitatos prædicante Joanne Baptista, totamque pene Rem- *§. 22. Quis modus S. Joannis*

Baptista tam multis persuaseris pœnitentiam. publicam commotam, quod indicat S. Matth. c. 3. v. 9. *Tunc exibat ad eum omnis Ierosolyma, & omnis Iudæa, & regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.* Et cur id non effecerunt alii Prophetæ, qui S Joannem præcesserunt? respondet S. Chryſ. *alii Prophetæ populo minati fuerunt supplicia tantum temporalia. S. Ioannes multa disseruit de gehenna, quæ res adamantina illa pectora attrivit, emollivit.* Matth. 3. verſ. 7. *Progenies viperarum, jam securis ad radicem arboris est posita. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, paleas comburet igne inextinguibili.* S. Chrysostom. *Quid igitur factum est, quod cum illorum essent filii, tamque nequiter educati susceperunt subito pœnitentiam, unde hæc facta est repente tanta conversio? quis voluntates eorum asperas mitigavit? quis vulnera immedicabilia curavit? & considera, quemadmodum illos, ab ipsis omnino principiis, attonitos reddiderit, de gehenna scilicet inferendo sermonem.*

§. 23. *Tertius vox confringentis Cedros.* S. Baſilius verba illa Pſalm. 28. verſ. 5. *Vox confringentis Cedros*, applicat S. Joanni Baptiſtæ, ſed quomodo potuit ejus vox arbores tam fortes & proceras deffindere, ſecare, comminuere? nimirum quia ſermonem habuit de gehenna. Uti enim ſiquis ignẽ denſis ſubiiciat arboribus, brevi tempore illas redigit in cinerem, non aliter S. Joan. dum de inferni ignibus diſſeruit judiciiq; divini vehementiam expoſuit, obſtinatiſſimos peccatores permovit ad pœnitentiam, ubi terribilia iſta populo ob oculos poſuit. Quod hodie multi non convertantur, aſcribi debet concionatoribus, quod non ſæpe & ferventer dicant de inferno.



CON-

CONCIO XLIX.

DOMINICA XXI. POST SS. TRINITATEM.

Ecce quidam regulus, cujus filius infirmabatur, Joan. 4. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FUse ostendit, quanti intersit, ut parentes suas proles bene educent; præsertim salutaribus exemplis.

§. 1. *Filii hauriunt mores à parentibus. Patet in Herodiate.*
§. 2. *Et in Chanaam, filio Cham.*
§. 3. *Res à Christo D. declaratur duplici simili.*
§. 4. *Invectiva Christi Domini in malos filios, & proinde in eorum parentes.*
§. 5. *Cur Samuel parvus, non fuerit perversus à pessimis filiis Heli.*
§. 6. *Cur duo cæci Christum D. compellaverint filium Davidis.*
§. 7. *Similitudo desumpta à plantis*
§. 8. *Alia ab agricultura.*
§. 9. *Pater castiget filium.*
§. 10. *In republica multum interest ut juventus bene instituantur.*
§. 11. *Modus educandi Regios filios in Persia.*
§. 12. *Testimonia Aristotelis, Plutarchi, & Ciceronis.*
§. 13. *Et S. Hieronymi.*
§. 14. *Querela S. Chrysostomi.*
§. 15. *Prosecutio, cum invectiva in desides parentes.*
§. 16. *Prosecutio.*
§. 17. *Aliud monitum Plutarchi.*

EA est paternorum exemplorum vis, quod quodammodo filiorum moribus vim inferant, omninoque sibi quam simillimos reddant, ut hinc parentes noverint, quantum intersit filiorum educationi, ne aliquid haurire possint filii à paren- §. 1. *Filii hauriunt mores à parentibus, &c.*

tet in Herodiade. à parentibus, quod eorum mores inficere possit Mar. 6. v. 22. *Cum introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi.* Non casu addit Evangelista puellam, impudicam saltatricem, & inverecundam filiam, fuisse filiam Herodiadis; sed ut facile noverimus, unde pessimos mores hauserit, scilicet à matre adultera, à qua præter corruptam naturam, turpissima scelera accepit. S. Ambros. l. de bono mortis cap. 8. *Pater vel mater in filiis cognoscitur, & æstimatur, si bene filios instituit & disciplinis competentibus erudivit; si quidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum.*

§. 2. In Chanaan filio Cham Miratur S. Ambrosius lib. de Noe cap. 30. impium Cham, Gen. 9. v. 12. vocatum fuisse Patrem Chanaan, quem necdum genuerat, & respondet; *Ut vitio auctoris deformaretur hæreditas, & auctoris filii nequitia gravaretur. Et pater igitur in filio, & in patre filius redarguitur; habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis quoque commune consortium. Nec poterat fieri, ut bonum generaret filium; qui bono patri, nequam filius, & natura & eruditionis degener extitisset.*

§. 3. Res à Christo D. declaratur duplici similitudine Ex mente S. Chrysostomi homil. 42. in Marcum hanc veritatem explicat Christus D. duplici similitudine Marci 12. vers. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum, siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali.* Similitudo quæ latet in his verbis, sumpta est tum ab arboribus, tum ab animalibus. Arbor enim unaquæq; juxta naturam suam, & genus suum, fructum producit, neq; enim ex quercu poma, aut glandes ex malo decerpere fas est. Flii fructus sunt, qui ex patre tanquam ex arbore proveniunt. Ergo juxta naturam patris mores haurire necesse est. Insuper animalia naturam illorum, à quibus proveniunt, plerumq; referunt, neque enim animal cicur & mite, ex vipera unquam originem traxit. Dixit ergo Christus D. cum depravatæ vos sitis arbores, bonum fructum producere non potestis. *Quare* (sunt verba citat. S. Chrysostomi) *non mirandum, si male loquimini, quia cum à malis parentibus nati, & educati sitis, mentem quoque malam possidetis.* Estis

Digitized by Google

Estis progenies viperarum (habes locum pro acri invectiva contra malos parentes, & malos filios, v. g. vipera venenata est pater, & mater, cùm blasphemant, maledicunt; ab ipsis filii hauriunt hoc venenum, progenies viperarum.)

Invectivæ talis exemplar dedit nobis Christus Dominus, cùm ait Matth. 23. ℣. 29. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum: & ornatis monumenta justorum, & dicitis, si fuissemus in tempore patrum nostrorum, non essemus socii eorum, in sanguine Prophetarum. Itaque testimonium estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Aculeum hujus argumenti Christi D. contra Pharisæos, advertit auctor operis imperf. in Matth. hom. 49. *Cùm vos, O Scribæ & Pharisæi, mihi mortem moliamini, apertè imitamini progenitores vestros, qui Prophetis quondam mortem intulerunt, quapropter morum similitudinem apertè testamini, vos ab illis originem trahere: estis similes iis, quorum truculentam rabiem simul cum natura hausistis. Itaque* (ait cit. auctor.) *quales fuerunt parentes, tales erunt & nati. Quia sicut arbor per fructum cognoscitur, & fructus per arborem demonstratur, sic parentes cognoscuntur in filiis, & filii per parentes.* S. Chrysol. hom. 27. in c. 15. ad Rom. *Qui in Veteri Testamento studio opprobrandi Deo laborarunt, iidem & adversus filium insanierunt.* §. 4. *Invectiva Christi D. in malos filios, & proinde eorundem parentes.*

Valdè mihi placet discursus sancti Chrysostomi, de Samuele filio Annæ. Piissima hæc mater, ut scimus ex lib. 1. Reg. filium suum adhuc puerulum Heli Sacerdoti erudiendum tradidit. Mirum tamen est, quod pessimos mores non hauserit eorum, qui in domo illa degebant. Etenim duo filii, Ophni & Phinees prostratæ prorsus erant pudicitiæ, aliorumque scelerum rei. Insuper Heli erat deses, & filiis peccantibus connivebat. Nihilominus Samuel permansit illæsus: plus scilicet in piissimo puero valuerunt piissimorum parentum pietas & justitia, quàm contubernalium pessima exempla. Et hâc de causa sancta mater Anna non dubitavit tenellum puerum in Sacerdotis domum inducere, *sed fides & promptitudo mulieris totum fecerunt.* Samuel permansit bonus, quia optimos habuit parentes: pietatem piissimæ matris suxit cum lacte. §. 5. *Cur Samuel par vus, non fuerit perversus à pessimis filiis Heli.*

Digitized by Google

§ 6. Cur duo cæci [illegible] D. appellaverint filium David.

Matth. 9 ℣ 27. *Et transeunte Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri fili David.* Hic & sæpe alibi, qui ad Christum curandi accedebant, ipsum appellabant filium David; non modò honoris causa, sed ut misericordiam extorquerent; quasi dicerent, miserere nostri, qui à piissimo Davide genus ducis; decet enim filium, clementiam & pietatem paternam imitari. S. August. in Ps. 67. *Elegit David servum suum propter Christum, quo transeunte clamaverunt cæci, miserere nobis fili David. Et continuò misericordia ejus lumen receperunt, quoniam verum erat, quod clamaverunt.*

§. 7. Similitudo desumpta à plantis.

Gen. 1. ait v. 12. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundam speciem suam.* Quæ verba ita exponit S. Basilius hom. 5. Exaem. *Omnibus herbis & arboribus insita est à natura vis, ut speciem suam tueantur; sive ex se semen emittendo, sive surculos & plantulas producendo, quæ aliò translata auctori suo similes partus edunt; ergò unicuique propriæ speciei conservandæ natura curam mandavit; fieri enim non potest, quin unumquodque sibi simile producat; quod si ad mores referas, evincit, parentes sibi similes verbis factisque filios procreare; sunt enim parentum verba & opera, quasi quædam animæ semina, quæ cùm in filios decidunt, similes eos faciunt eis, à quibus semina jacta sunt.* Eleganter S. Basilius: *Quemadmodum arundo, post annuum incrementum, è radicibus appendicem quandam elicit, seminis rationem ad ortum futurum obtinentem;* ita omninò verum esse constat, singulis stirpibus aut semen esse, aut quandam vim propagandi perinde, atque semen inesse. Atque id est, quod dicitur *juxta genus suum.* Non enim projectura illa, sive appendix arundinis est effectrix olivæ, sed ex arundine arundo altera procedit: ex seminibus autem ea, quæ idem genus habent potest fieri pulcherrima applicatio, quomodo parentes boni proferant bonas appendices, bonos surculos, mali malos.)

§. 8. Alia ab agricultura.

Sumit idem S. Basilius hom. 5. Exam. aliud argumentum ab agricultura. *Sunt enim quædam arbores aut plantæ tam infirmæ, ut fulcris sustentari debeant; ita humi serpit vitis, nisi ulmo maritetur. Ergo juxta anagogen parentum pietas, cura & solicitudo circa educa-*

tionem

Digitized by Google

tionem filiorum, instar fulcri est, quo filii ad malum proni, & proclives fulciuntur, ne serpant humi, & degenerent in spinas. S. Basilius, ficum innixam fulcro describit, & quærit; *Quid istud sibi vult naturæ ænigma?* nisi ut intelligamus; nisi parentes bono exemplo, & sanctis verbis conentur fulcire & firmare filiorum pietatem & mores, degenerabunt in spinas. Non proferent uvas bonorum operum, sed labruscas vitiorum.

Varia proinde documenta parentibus circa filiorum educationem præscribi solent. Ego modo vellem illos esse memores versus I. capitis 30. Ecclesiastici. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo.* In græco. *Assiduò ipsum castigat.* Tigurina. *Crebris flagellis illum appetit, ut ad extremum sibi sit lætitia.* Syrus. *Iterabit flagella ejus.* Arguuntur imprimis illi parentes, qui stultè amant suas proles, neque peccantes audent corrigere, sed omnia indulgent, quo fit, ut filii fiant audaces, immorigeri, luxuriosi, rixosi, ac tandem in gravia mala, adeoque in mortem infamem & probrosam incidant; quæ parentibus summum dolorem æquè ac ignominiam afferant. Quare parentes, qui sapiunt, & prudenti amore filios diligunt, hi eos assiduò castigant, non tantùm verbis objurgando, sed verberibus virgisque flagellando. Ratio est. *stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam,* Proverb. 22. ℣. 15. Pueri, ob defectum rationis & judicii, obque vivaces spiritus, & ebullientem sanguinem pleni sunt concupiscentiis & desideriis noxiis, suntque veluti petulci hædi, &c. quare fræno est opus, & flagello: & tum filius, licet doleat initio & fleat; in fine tamen videns flagellationis fructum, mirificè gaudebit, & lætabitur, parentibusque magno erat gaudio.

§. 9. *Pater castiget filium.*

Ob hanc causam, omnium gentium & temporum sapientes censuerunt, ad totius reipublicæ incolumitatem necessum esse, ut parentes benè educent filios, corrigant, castigent; ne pervertantur, itaque rempublicam turbent, & evertant. Plato, bonam filiorum educationem ponit *bonæ reipublicæ fundamentum, imò seminarium.* Lib. 2. de rep. *Puerilis institutio est maximi momenti, ad universam vitam rectè instituendam.* Et l. 7. *Ejus reipublicæ, quæ felix esse volet, magistratus in veri Dei, & veri boni cognitione edocentur*

§. 10. *In Rep. multum interest, ut juventus benè instituatur.*

tor primâ statim ab infantia, artesque omnes ad eam primariam scientiam ediscendam traduntor. Idem l.6. de legibus. *Adolescentiæ recta institutio est publicorum negotiorum omnium, maximè serium.* Rursum l.4. de rep. *Magistratus etiam summi est, prospicere ut pueri & juvenes honestè & sanctè à prima ætate & infantia instituantur.*

§. 11. *Modus educandi regios filios in Persia.* Filii Regum Persarum, cùm pervenissent ad annum ætatis decimum quartum, curæ quatuor pædagogorum fuerunt traditi. Unus seligebatur ex omnibus proceribus regni tanquam sapientissimus, alter veluti justissimus, tertius temperantissimus, quartus fortissimus. Primus docebat Regis filium ea, quæ erant cultûs divini; secundus instillabat, ut per omnem vitam esset verax, tertius ne ullâ cupiditate se vinci sineret, sed disceret Rex esse sui, gulæque ac cæteris animi affectibus imperare. Quartus impavidum illum & intrepidum reddebat, ne quando quidpiam metuens, servus fieret (habes latissimum locum, quales debeant esse parentes, ut bonos educent filios.)

§. 12. *Testimonia Aristotelis, Plutarchi, Ciceronis.* Aristoteles lib.6. Polit c.1. *In civitate,* inquit, *primam & maximam curam esse oportet in erudienda juventute, quâ sublatâ, pereat respublica necesse est.* Plutarchus Trajani Imperatoris præceptor, teste Gellio, scripsit librum de educatione liberorum, in quo inter cætera ait: *Sicut infantium membra simul ac nati sunt, formari componiq; debent, ut recta, minimeq; obliqua fiant, ita puerorum mores principio aptè concinneq; fingere convenit. Illa enim novella ætas ad fingendum facilis & tenera est, & illorum animis, dum molles adhuc existunt, disciplinæ meliùs instillantur: difficilius autem, quæ dura sunt, molliuntur: sicut enim sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ, dum puerilis animus est, insculpantur.* Phocylides:

Dum tener est gnatus, generosos instrue mores.

Cicero l.2. de off. *nullum munus reipublicæ afferri majus, meliusve potest, quàm si doceamus & erudiamus juventutem, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnibus opibus refrenanda & coercenda sit.* Hæc meritò inculcanda sunt parentibus.

§. 13. *Et S. Hier.* Addo testimonium S. Hieronymi ad Demetriadem. *Ad institutionem morum, pueri apti sunt, habent enim in se lentum quoddam*

dam molle, quo formari queant atq; ad arbitrium volentis trahi, & in cunctis fere rebus citius assuescit, quod tenerum est: novellas adhuc, & vix firma radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flecti facile est: ipsa quoque literarum studia teneris melius inseruntur ingeniis. Hoc etiam plurimum in vivendi ratione valet, dum adhuc mollis est ætas, & animus duci facilis, exercenda boni consuetudine, & jugi meditatione firmanda est. Et Seneca lib. 2. de ira. *Plurimum proderit, pueros statim salubriter institui, & sic inter utrumque regendus est, ut modo frænis utamur, modo stimulis.* Vide plura in P. Cornelio à Lapide in Ecclesiasticum cap. 30. v. 8. & seq. mihi fol. 641. (Discursus hic in communi, suggeret tibi varia, in quibus in particulari, parentes debent esse soliciti, ut bene & sancte educent filios.)

Justa videtur esse querela S. Chrysostomi in cap. 1. ad Timoth. cap. 2. h. 9. *Magnum habemus pretiosumque depositum, filios: ingenti illos servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At vero nunc contra penitus facimus, nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, cumque fideli viro magno cum studio tradimus, & agasonem atque mulionem, procuratoremque ac dispensatorem, qui nobis magna benevolentia afficiatur, inquirimus, ceterum quod nobis charissimum omnium est, omnino negligimus, neque curamus quo pacto filios nostros fideli cuipiam viro permittamus, qui ipsius tueri ac servare pudicitiam possit. Et certe nulla nobis possessio, nullus fundus æque nobis gratus ac charus esse debet, quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum ille gratia comparatur, quod profecto absurdissimum atque stolidissimum est. Exerceamus igitur ad pietatem & virtutem molles filiorum animos, cetera omnia secundo loco quæramus; nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecunia proderunt; sin autem probi, nihil ex pietate lædentur.* §. 14. Querela S. Chrysost.

Verum hoc passim experientia docet, plurimos parentes magis esse solicitos, de bono filiorum temporali, quam spirituali. Talis fuit pater S. August. de quo ipse ait l. 1. confess. c. 3. *Cum interea non satageret pater meus, qualis essem tibi, dummodo essem disertus, aut* §. 15. Prosecutio sive invectiva in desides parentes.

desertus potius à cultura tua Deus. de S. Monica vero matre sua ait lib. 5. confess. c. 9. *hujusce tu lachrymas contemnes, quibus non à te aurum & argentum petebat, nec aliquod mutabile bonum, sed salutem animæ filii sui.* Describit hos parentes S. Greg. Nazian. carm. de Virg. *Corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt, desiderant illos valere in sæculo isto, & non curant quid sint passuri in alio. Si viderint illos pauperes, tristantur & suspirant, si autem viderint illos peccantes, nemo tristatur, ut ostendant quod corporum sint parentes, non animarum.* S. Chrysostom. homil. 60. in Matth. ait *Mali patres equorum quidem domitores cogunt, ut studiosissime equos domitent, & frænum & reliqua quibus opus est, adhibeant, liberos autem suos longius provehi absque castigationis negligunt fræno, & dimittunt circuire scortis, aleis, & obscœnis spectaculis inhiantes, animæ vero nulla cura est.* pergit deinde. *Majorem equorum & asinorum, quam filiorum curam habemus, bestiis fidelem famulum quærimus, si filius ad colendum animum pedagogus sit inquirendus, qui casu fuerit oblatus, recipimus, nec consideramus ullam artem hoc artificio superiorem non inveniri.* Quid enim majus quam animis moderari quamque adolescentulorum fingere mores? omni certe pictore, omni statuario, & ceteris hujusmodi omnibus excellentiorem hunc dico, qui juvenum animos fingere sciat, cogitent parentes se esse pictores, statuarios; latet pulchrum simile qui pulchrum habet vitrum, solicite illud tractat, non tradit cuivis ne frangatur. O parentes! pretiosa vitra sunt filii, filiæ! sed sunt fragilia, cui tradidis NN. O quam pulchra vitra subinde frangit nequam ancilla, vel pædagogus. Gemmas vestras traditisne custodiendas furibus? fures sunt mali socii. O matres veniunt fures ad vestras filias, cur permittitis.

§. 16. *Eroscentia.* Hos parentes qui salutem filiorum non curant, pungit acriter vers. 36. Psalm. 105. *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentum, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificarunt sculptilibus Chanaan.* Litera loquitur de diris & crudelibus parentibus, qui immolarunt filios & filias suas idolis, sed crudeliores & immaniores sunt hi parentes, qui non corpora tantum sed animas filiorum periculo æternæ damnationis exponunt.

Plutar-

Plutarchus monet lib. de liberorum educatione. *Præterea ante omnia opus est, ut patres non solum nihil peccando, verum etiam honesta peragendo, manifestum sese filiis exemplar exhibeant, ut eorum vitam quasi quoddam speculum intuentes, ab operum & sermonum turpitudine se penitus avertant.* Scio aliquos parentes filiis esse specula virtutum (est locus pro pulchra inductione) verum alii, O Deum bonum: qualia sunt specula! si filiis blasphemandum est, pater, mater est speculum, si mentiendum, parentes sunt speculum, &c. væ autem talibus parentibus, quam gravem inde Deo reddent rationem, &c. *§. 17. Aliud monitum Plutarchi.*

CONCIO L.

DOMINICA XXII. POST SS. TRINITATEM.

Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei,

Matth. 18. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEr varia Emblemata, & similia ostendit qualis esse debeat perfecta dilectio erga inimicos. Item aliqua motiva, ut cum quodam gaudio, & libenter illos diligamus.

§. 1. *Dilectio inimicorum, sive fratrum reconciliatio est Deo gratissimum Sacrificium.*

§. 2. *Ostenditur per symbola, quomodo hostibus debeamus benefacere.*

§. 3. *Alio symbolo vel emblemate declarantur tres gradus dilectionis*

§. 1. Dilectio inimicorum sive fratrũ reconciliatio, est Deo gratissimũ Sacrificium

NOn sine mysterio in hodierno Evangelio, reconciliatio cum fratre, & dilectio etiam inimicorum componitur cum sacrificio; tale enim est illa ipsa dilectio. Cum lib. 1. Reg. cap. 26. David in spelunca invenit dormientem Saulem, capitalissimum suum inimicum, non dubito ebuliisse circa cor Davidis ejus sanguinem, cum desiderio & appetitu vindictæ; sed vicit ejus mansuetudo; quæ inimico donavit vitam; quod dum David faceret, eleganter dixit versu. 19. *Odoretur Dominus hoc meum sacrificium*, quas voculas ita exponit Lyranus; quasi David dixerit, *Hæc patientia mea accepta sit coram Deo meo, acsi offeram holocaustum ante altare ejus.* S. Chrysostomus ait; *In Spelunca obtulit sacrificium, non quidem mactando vitulo, aut occiso Agno, sed quod his erat honorificentius, mansuetudinem & humanitatem offerẽs Deo.* Quàm gratũ vero Deo sit hoc sacrificium, ostendit Christus in hodierno Evangelio, dum asserit, Deum alia sacrificia non velle, nisi hoc præcedat. Si offers munus tuum ad altare, vade & prius reconciliare fratri tuo. S. Chrys. *O admirabilem Dei benignitatem, honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit, interrumpatur, inquit, cultus meus, ut tua charitas integretur.* Sacrificium enim DEO gratissimum, est fratrum reconciliatio. De qua materia, in hac concione utilia aliqua documenta vobis proponam; & merentur benevolam vestram attentationem, de qua non dubito.

§. 2. Ostenditur per symbola

Primum sit dilectio inimicorum, & cum illis reconciliatio, requirit ut juxta doctrinam Christi D. illis benefaciamus; scio aliam esse doctrinam hujus mundi, & Sathanæ, qui suadent vindictam

dictam; quorum maximæ sunt: alapam pro alapa, pro injuria una inferendæ decem aliæ, sed Christus D. ait: *Benefacite iis, qui oderunt vos.* Modum hoc faciendi exponunt aliqua symbola: Lib. 51. Pierius facit mentionem picturæ, in qua quercui sese applicat speciosa oliva, & eandem veluti amplexata ornat suis foliis & fructibus: quasi utraque una eademque esset arbor. Quercus arbor dura & horridi corticis repræsentat inimicum, cui dilectio instar olivæ se se applicat, illum amplexatur, offertque illi ramos, folia & fructus suos, dum illi benefacit. Quercus erat Esau, cùm diceret Gen. cap. 27. ℣. 41. *Veniet dies luctus patris mei, & occidam Iacobum fratrem meum.* Oliva verò fuit Jacob, totus suavis, mitis, benignus; dicens cap. 32. ℣. 20. *Placabo eum muneribus: & benefaciam fratri meo.* Vos Auditores! estisne quercus, an olivæ? Oliva fuit Christus D. pendens in arbore crucis, expansis brachiis amoris, non amicos tantùm, sed etiam inimicos amplexatus: & suavissimis verbis pro illis perorans ad Patrem: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.*

Quomodo hostibus debeamus benefacere.

Altera pictura repræsentat tres formosas Virgines, quarum prima in dorso grave portat pondus; altera in manibus cophinum cum candidis panibus; tertia, ramusculum absynthii, vel myrrhæ, quem lævâ tenet, dexterâ aspergit aureis guttulis, ex cyatho generosi vini. Hæ Virgines nos docent tres gradus dilectionis inimicorum. Primus est, inimicum, veluti grave pondus, ejusque injurias & contumelias ferre patienter; quod ita diligenti grave non est, si memor sit ponderis gravissimæ crucis, quam; & in illa, vel super illam, tam varios inimicos, tam graves injurias, tot & tantas ignominias, contemptus & irrisiones patientissimè tulit, & toleravit. Christiana patientia, est fundamentum tam excellentis virtutis, qualis est dilectio inimicorum. Altera Virgo, suo inimico porrigit panem, hoc est, dilectio inimici, si illum videat in extrema necessitate constitutum, non deserit, sed benefacit illi; quem dilectionis gradũ Christus Salvator nobis sub præcepto mandavit, cùm dixit: *Benefacite iis, qui oderunt vos.* Tertia Virgo nobis ostendit gradum supremum, & apicem dilectionis inimicorũ. Ramusculus myrrhæ

§. 2. Alio symbolo, vel emblemate declarantur tres gradus dilectionis inimicorũ.

 vel

vel absynthii significat, v. g. venenatam linguam, quâ te lædit tuus inimicus. Ramusculi myrrhæ sunt contumeliosa ejusdem verba. Ramusculi myrrhæ acerbæ ejus cogitationes & adinventiones, quibus ubique molitur tibi facere malè. Sed mi Christane! ecce calicem vel cyathum plenum generosissimo vino, quale spõsus in cella vinaria amoris solet propinare sponsæ! Ecce latus & cor Jesu tui crucifixi, stillans aquâ, sanguine, lacte, melle. Cogita guttulas hujus aquæ, hujus sanguinis, hujus mellis esse aureas ob plenitudinem immensæ charitatis, & misericordiæ, quâ motus, pretiosissimum sanguinem suum etiam pro inimicis, in ara crucis effudit. His aureis, his sanguineis guttis asperge inimicum tuum. Aureæ guttæ ex ore Salvatoris in cruce defluentes, fuerunt illa verba: *Pater ignosce illis.* His iisdem verbis tu quoque ora pro tuis inimicis, & asperges illos aureis guttis perfectissimæ dilectionis. Inimicus tuus tibi detrahit? profert calumnias? evomit maledicta? benedic tu illi, loquere de illo bene! quot verba proferes, tot aureis guttis illum asperges. Aureis & hyacinthinis manibus id facies, si opere ipso, quæcunque se offerat occasio, inimico benefacias.

§. 4. Pulcherrimum symbolum perfectissimæ dilectionis erga inimicos est malũ punicum.

In tertio emblemate depictum est malogranatum, scissum & apertum, ita ut omnium oculis pateant ejus grana, vel carbunculi, cum hac inscriptione: *Nunquam pulchrius*, vel, *sic pulchrius*. Ipsas natura ornavit hoc pomum regiâ coronâ, ornavit pulcherrimis ramis & foliis, ornavit viridi, rubeo, aureoque cortice, sed ornatu, pomi præcipuus additur ab una scissura: per quam patent rosearubea, & pellucida grana, plena dulcissimo succo. Scio hoc pomum, etiam in sacris literis, & apud SS. Patres esse symbolum pulcherrimarum virtutum, præsertim charitatis, ob quam etiam natura videtur pomum hoc coronasse, quia charitas est Regina virtutum. In præsenti discursu assero, cor Christiani diligentis inimicum suum, debere esse simile malo granato; pulchrum, mundum, ornatum ramis & pulcherrimis coloribus variarum virtutũ. plenum succo & granis variorum beneficiorum erga proximum Sed tam nobiles fructus non debent esse absconditi, non debent latere, sed aspicientium oculos jucundissimo aspectu, & sapore etiam

etiam recreare. Ad hoc opus est scissura; quam si faciant tui inimici, v.g. cultro mordacis linguæ, vel malevolis dentibus, à quibus laceratur fama tua, vel lancea gravis odii, vel clavis & spinis variarum injuriarum; si tum aperto corde luceant rubei carbunculi ardentis charitatis, etiam erga inimicos; sic pulchrior est dilectio; imò nunquam pulchrior. Quod Venerabilis Beda advertit, dum Ecclesiam Christi ex cap. 4. Cant. comparat fragmini mali punici, & ait: *Malum punicum magnum granorum copiam, uno foris cortice includit; quæ integro quidem malo videri nequeunt, sed si frangatur. Sic etenim Sancta Ecclesia, quò amplius eam frangi adversis contigerit, eò clariùs quot virtutum grana complectatur, reserat.* Idem dicamus de perfectissima dilectione erga inimicos. Cor Christiani intra se complectitur grana innumera, dilectio proximi neminem excludit, erga omnes dilatat viscera charitatis. Sed si cor instar pomi maneat integrum, nobilissimi illi fructus non apparent. Si verò contingat illud scindi, frangi, vulnerari ab inimicis; tum apparet, quanta sit dilectio, quæ latebat. Nunquam cor diligentis est pulchrius, quàm cum scinditur, cum adversariis pungitur spinis.

§. 5. *Digressio ad Cor Iesu crucifixi.*

Cui hîc non iterum occurrit speciosissima arbor sanctissimæ Crucis in monte Calvariæ, de qua pendet Jesus crucifixus. In unicum benedictum ejus latus, & scissum, vulneratum & apertum ejus cor conjicite oculos, quid videbitis, nisi pulcherrimum malogranatum, quod Longinus lanceâ suâ aperuit, & apparent ardentes carbunculi ardentissimæ charitatis! O malogranatum! ex quo fluxit pretiosus sanguis; non tantum pro amicis, sed inimicis. Nunquam pulchrius fuit cor Jesu, quàm cum ita fuit apertum in cruce. Cum aperto corde, inde effluxit aqua & sanguis, patuit vehementia charitatis; ex qua se totum obtulit æterno Patri, pro humani generis, & inimicorum suorum redemptione. Itaque in hoc eleganti pomo; in corde Jesu crucifixi, veluti in speculo intueri possumus, qualis nostra debeat esse dilectio erga inimicos; ut nimirum illis, cùm possumus, etiam benefaciamus; corde, ore, manu, hoc est, cogitationibus, verbis, & operibus; sic pulcherrima erit nostra dilectio.

Pul-

Digitized by Google

§. 6. Conglobatio similium, quæ exponunt, qualis nostra debeat esse dilectio.

Pulcherrima, vel nunquam pulchrior est nostra dilectio, quàm cùm similis est terræ; quæ licet scindatur, & conculcetur pedibus, tamen uberes profert fructus: talis debet esse nostra dilectio, licet sint, qui nos scindant, qui conculcent pedibus, nihilominus proferre debemus fructus beneficiorũ. Dilectio nostra nunquam est pulchrior, quàm cùm similis est adamanti; qui quò fortiùs in incude percutitur malleo, eò lucidiores ejaculatur scintillas, & clariores erumpunt radii; talis sit nostra dilectio. Dilectio nostra nunquam est pulchrior, quàm cùm charitatem Christi D. æmulatur; qui omnibus, etiam inimicis, benefacit.

§. 7. Quomodo dilectio inimicorum, herba tam amara possit reddi dulcis.

Si quis fortassis dicat, cum Jobo cap. 6. v. 11. *Quæ est fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam: nec fortitudo lapidum mea est; nec caro mea ænea est.* Aliud respondere non possum, quàm ita esse, & valde arduum est opus ingentis fortitudinis, actumque heroicæ patientiæ, diligere inimicos; verùm sicut vix tam amarus est potus, qui per mel & saccharum ad dulcedinem temperari non possit; ita media non desunt, quibus etiam dilectio inimicorum possit reddi suavis & dulcis. Arbor mali punici, si acidos & acerbos proferat fructus, fit dulcis, teste Plinio libr. 44. cap. 24. si cuneus ex pino, per mediam adigatur medullam, in ima parte trunci, quæ radici est vicina. Amarissima arbor mali punici est dilectio inimici. Pinus, est symbolum mortis, itaque memento te moriturum, & non erit tibi difficile, diligere inimicum. Ecclesiastici cap. 28. v. 6. *Memento novissimorum, & desine inimicari.* Vel, memento mortis, quam Christus Dominus sustinuit in cruce, per quam nos rogat, ut diligamus inimicos, & quomodo hoc illi poterimus negare. Sanctus Elzearius Comes mirè commendatur ob admirabilem suavitatem, & affabilitatem, quâ etiam inimicos suos prosequebatur. Dilecta ejus conjux, admirata tantam sponsi sui virtutem aliquando ex illo quæsivit: *Dilectissime Elzeari! quomodo est possibile, ut tam mitis & suavis sis erga illos, qui tot injuriis te lacessunt, qui tot dicteriis te proscindunt*, cui Elzearius respondit: *Explicabo tibi arcanum pectoris mei. Noveris me interdum sentire aliquam indignationem in animo adversus infestantes*

me,

me, sed illico me converto ad cogitandas injurias Christo illatas, eumque imitari cupiens, dico mihi ipsi: etiamsi famuli tui barbam tuam convellerent, & colaphos tibi infringerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui majora perpessus est: certumque habeas Delphina, me nunquam cessare à commemorandis injuriis Salvatoris mei, donec animus meus plenè sit tranquillatus inter has cogitationes, dulce & volupe mihi est, diligere inimicum. S. Chrysost. hom. 13. cap. 8. S. Matthæi, etiam fassus fuit, occurrere sibi subinde cogitationes de vindicta, sed statim subdit, *Agnus Dei* (hoc est Jesus Crucifixus) *mihi dexteram & linguam cohibet.*

Miratus sum non semel, cum in campis, juxta gregem ovium vidi insilientes, in transeuntes, molossos, tanta rabie & furia, ut aliquis timeat & putet se momento dilacerandum; quam nihilominus facile sedetur illa furia, dummodo audiant unicam voculam, vel fistulam sui pastoris. Hæc momento exortas componit iras. Indomitam bestiam reddit mansuetam, vox pastoris. Eja mi Christiane! cum subinde videris tibi habere justissimas causas, ut sævias contra inimicos, ut acuas dentes, ut noceas! siste! audi prius vocem tui pastoris, qui ait, *Ego mando vobis, ut diligatis etiam inimicos.* Audi ejus vocem de Cruce: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hæc perpende, & statim mitigabuntur iræ tuæ. §. 8. *Simile desumptum à molossis.*


Audienda etiam sunt aurea dicta SS. Patrum; v. g. S. Augustini, Ser. 122. de tempore. *Fores cœli clausa erunt ei, qui non dimittit. Ad Deum non ingredietur ejus oratio, nec à Deo bona illi venient.* & Ser. 68. *Qui enim talem charitatem habet, ut amicos & inimicos diligat, illius cœlestis Hierosolymæ portas apertas merebitur intrare: qui autem non vult hanc habere charitatem, ex omni parte portas clausas inveniet.* Ideo S. Stephanus, dum pro lapidantibus clamaret, *Domine ignosce illis*, vidit cœlos apertos, & Jesum stantem à dextera Patris. §. 9. *Dicta SS. Patrum.*

In gratiam itaque Jesu Crucifixi, & ex ejusdem amore diligite inimicos. Quando propter vehementiã dolorum in Cruce, propter totius corporis ariditatẽ, propter timores & angustias animę, ob copiosum effusum sanguinem; exclamavit *sitio*; si tum illi dulcẽ §. 10. *Dilectio inimici est mustũ malogranatũ.*

Digitized by Google

potuissetis offerre haustum, nunquid fecissetis, O animæ piæ! quod tum facere non licuit, facite hodie, in fonte cordis vestri scaturit potus, ad quem anhelat. Quis ille potus? sponsa illum nobis insinuavit, cum dixit ad sponsum Cant. 8. v. 2. *Veni dilecte mi, ducam te in domum matris meæ, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*. Tale mustum est dilectio inimici: hunc potum offer Jesu Salvatori tuo. Stringe, amplectere illum cum sponsa; amplectere pedem sinistrum osculare illud SS. Vulnus, & dic, mi Jesu! malo mori, quam odisse inimicum. Amplectere pedem dexterum, osculare illud vulnus, & dic, mi Jesu! non tantum non volo odisse, sed amabo illum. In amplexu manus sinistræ dic, mi Jesu! pro meis hostibus ardentissime orabo. Inter oscula Vulneris in manu dextera, dic; mi Jesu benedic meis hostibus mille benedictionibus. In vulnere dulcissimi cordis, dic; mi Jesu! ubicunque potero, etiam benefaciam meis inimicis. Ecce grana malograniti, ex quibus dulcissimum hoc mustum exprimitur.

§. II. *Epilogus ex S. Chrys.* Alios novem gradus hujus dilectionis, ita proposuit S. Chrysostomus hom. 18. in Matth. 1. *Ne prior injuriam ordiare. 2. ubi est injuria cœpta, ne tu illam eodem pacto repellas. 3. ne par pari referas, sed quiescas. 4. præbe te etiam ad injuriam sustinendam. 5. ut præbeas te ad majora quam vult ille qui fecit. 6. non odisse à quo ista perpetitur. 7. etiam diligere lædentem. 8. beneficiis quoque eum libenter afficere. 9. etiam Deum pro adversariis deprecare.* Addit *perspexisti celsitudinem Philosophiæ Christianæ? virtutis cacumen.*



CON-

CONCIO LI.

DOMINICA XXIII. POST SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Cujus est imago, & superscriptio,
Matth. 22. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS.

DOctor Angelicus, S. Thomas, ponit triplicem imaginem: Creationis, Recreationis, sive Revocationis & perfectæ similitudinis, de his agit præsens concio.

§. 1. *Exordium est propositio Concionis.*
§. 2. *Homo habet imaginem DEI; eo quod sit similis SS. Trinitati, per imaginem Creationis.*
§. 3. *Idem ostenditur ex S. Bernardo.*
§. 4. *Ideo cor hominis, à nulla creatura satiari potest.*
§. 5. *De imagine recreationis, sive renovationis.*
§. 6. *Quanti æstimare debeamus hanc imaginem.*
§. 7. *Quomodo imago hæc in nobis conservetur. Cavendum est peccatum mortale.*
§. 8. *Inductio per septem peccata mortalia.*
§. 9. *Quanta sit excellentia hujus imaginis.*
§. 10. *In quo præterea consistat, tam nobilis imago.*
§. 11. *De imagine perfectæ similitudinis.*

DE imagine, & similitudine imaginis, quam Deus homini impressit, eleganter discurrit Angelicus Doctor Sanctus Thomas; prout in præsenti concione audietis & intelligetis. Spero benevolam attentionem. §. 1. *Exordium est propositio.*

 Elegan-

§. 2. *Homo habet imaginē Dei, eo quod sit similis SS. Trinitati, per imaginē creationis.*

Eleganter S. August. tr. 48. in Joannem, ait: *Reddite Cæsari nummos, Deo vos ipsos: nummos Regibus reddimus, Deo etiam nummos reddimus, cum nos ipsos reddimus; est enim homo nummus Cæsaris, est argentum habens imaginem Cæsaris, nummus Dei homo est, imaginem habens Dei, & quidem Crucifixi.* In his verbis S. Augustini bene notandum est, quod observavit S. Thomas 1. part. quæst. 93. art. 4. ibi agit de imagine Dei, quæ relucet in homine, eamque tripliciter describit. Prima imago est *creationis*, & invenitur in omnibus hominibus, quia omnes præditi sunt intellectu, memoria & voluntate. Hanc imaginem Deus homini impressit, cum in paradiso ex nihilo illum creavit, veluti opus creaturarum omnium perfectissimum. In quo hæc imago consistat gravis est quæstio, sive, quid hoc sit, quod homo sit imago Dei. P. Cornelius à Lapide ubi decem variorum doctorū opiniones numeravit, omnibus przfert sententiam S. Amb. qui sic ait Ser. de dignitate conditionis humanæ c. 1. *Anima quandam SS. Trinitatis habet imaginem.* S. Aug. in illud Genes. *faciamus. Nostram dixit, quia conditus est ad imaginem Trinitatis, ut imago Trinitatis esset homo:* 1. in eo, quod sicut Deus est, vivit & sapit, ita anima secundum suum modum est, vivit & sapit. 2. sicut Deus est memoria, intellectus & voluntas, ita & anima est, vel habet memoriā, intellectū & voluntatē 3. sicut Deus Pater, Deus Filius & Deus Spiritus S. & tamen non tres dii sunt, sed unus Deus tres habēs presonas, ita & anima, memoria, anima intellectus, anima volūtas est, non tamē tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens facultates.

§. 3. *Idem ostēditur ex S. Bernardo.*

Placuit hæc eadem ratio imaginis S. Bernardo cap. 1. medit. *Mens imago Dei est, in qua sunt tria, id est, memoria, intellectus, & voluntas; per memoriam Patri similes sumus; per intelligentiam filio, per voluntatē Spiritui S.* ex hoc fundamento suavissimis verbis nos exstimulat: *Nihil est tam simile illi summæ sapientiæ, quam mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem in Trinitate ineffabili consistit. Consistere autem in illa non potest, nisi ejus memineris, eamque intelligas ac diligas. Meminerit itaque Dei sui, ad cujus imaginem facta est, eumque intelligat, diligat atque colat, cum quo semper potest esse beata.* Hæc tria ardentissimis votis petiit S. Augustin. lib. 15. de Trinit. cap. 28. *Meminerim tui Domine, intelligam*

telligam te, diligam te, auge in me illa, donec me reformes ad integrum.

Hinc fit, ut nihil rerum creatarum, has tres animi potentias occupare, nihil saturare possit, nisi Deus & beata Trinitas, ideo dixit S. August. l. 1. confess. cap. 1. *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Sicut acus nautica quiescere non potest, donec cynosuram respiciat, ideo Deus cor nostrum formavit triangulare, quia capax est immensæ illius Triados. Orbis globus, etiam totius mundi hoc triangulum explere non potest. Interroga avarum, an quiescat & satietur pecuniis? si verum fateri velit, dicet, inquietum esse cor suum, quia gestat imaginem, id est, animam, quam nihil aliud, non milliones auri, sed solus Deus, satiare possunt (sic de honoribus, voluptatibus.) S. Aug. in Ps. 101. *Non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus, aliquid æternum donet Deus; aliquid æternum concedat Deus.* Sed repeto breviter, in quo consistat, quod homo gerat Dei imaginem, scilicet in hoc; habet memoriam ut Deus, in hoc similis est Patri, habet intellectum, in hoc est similis filio; habet voluntatē; potest amare, in hoc est similis Spiritui S. hoc posito, repeto verba S. August. quæ initio statim citavi: *Reddite Cæsari nummos, vos ipsos Deo, nummos regibus reddimus, Deo etiam nummos reddimus, cùm nos ipsos reddimus.* Reddimus memoriam, cùm de Deo frequenter cogitamus, reddimus nummum intellectûs, cùm agnoscimus, quantus sit Deus. Voluntatē reddimus, cùm Deum ex toto corde diligimus. Nummus Cæsaris est argenteam habens imaginem Cæsaris; Nummus Dei est memoria, quæ cogitat de Deo, nummus Dei est intellectus, qui agnoscit Deum, nummus Dei est voluntas & cor hominis, qui Deum diligit super omnia. Redde intellectum cum omnibus cogitationibus illum ordinans ad gloriam Dei; redde voluntatem in omnibus illam subjiciens voluntati Dei; redde memoriam memorem omnium beneficiorum.

§. 4. *Ideo cor hominis à nulla creatura satiari potest.*

Hæc de prima imagine Creationis. Alteram vocat imaginē *recreationis*, sive *renovationis*, hæc nō invenitur in omnibus hominibus, sed tantùm in justis, consistit enim in gratia & justificatione, quę in solis justis est, dū homo per gratiā, ut loquitur S. Paul. 2. Cor. 5. v. 17. fit *nova creatura*. Hęc imago animab. nostris impressa est in

§. 5. *De imagine recreationis, sive, renovationis.*

Digitized by Google

baptismate, cum hac superscriptione: *Christianus*, Christianus, id est, totus Christi: Christianus, id est, ab eo unctus & consecratus, ac sanctificatus; Christianus, id est, sanguine Christi emptus & redemptus. Hæc superscriptio nos docet, quid Christo debeamus, quidve ei reddendum sit, ut obligationi nostræ & nomini satisfaciamus. Monet præterea imago Christi & superscriptio Christiani, scilicet ut homo agnoscat suam dignitatem. S. Leo ser. de Nativ. *Agnosce ô Christiane, & memento cujus capitis sis membrum, quodque erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. Noli iterum te diaboli servituti subjicere, quia pretium tuum sanguis Christi est.* q. d. attendite imaginem vobis impressam, legite frequenter superscriptionem, & nomen vestrum, & memineritis vos esse de illis, de quibus S. Petrus ait 1. ep. c. 2. v. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*; hoc est, Christus vos elegit, ille vos sanctificavit, ille vos acquisivit. Reddite ergo vos totos illi, qui vos acquisivit, illi, qui vos redemit, reddite animas vestras illi, qui illas suo sanguine redemit.

§. 6. *Quanti æstimare debeamus hanc imaginem.*

Et advertamus benè, quod monuit Eusebius Emiss. hom. 1. de symbolo. *Ille* (de imagine impressa) *rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est; Qui tantum contulit, scit quid reposcat. Novit quanti ei constiterit homo suus* (pulchrè hoc) *non ergo viles nobis simus, qui Deo tam pretiosi fuimus. Nihil ille à nobis abjectum, nihil mediocre suscipit, vult cum generositate pretii consentire dignitatem redempti. Tale conversationis nostræ exspectat meritum, quod sanguinis sui valere possit commercium.*

§. 7. *Quomodo imago hæc in nobis cõservetur. Cavendum est peccatũ mortale.*

Ut has imagines conservemus, vitare debemus lethalia peccata, quæ imaginem Christi obfuscant, & maculant; per peccata simus moneta adulterina. D. Ignatius ep. 6. ad Magnesianos. *Duos characteres dico in hominibus inveniri, unum quidem veræ monetæ signaculum, alterum verò adulterinæ. Pius homo, vera moneta est, quæ à Deo formata vel expressa est. Impius verò falsa moneta est à diabolo formata.* S. Chrysost. hom. 4. in Matth. *Deturpatur scilicet imago Dei in homine, ipsius cacodæmonis imagine, juxta illud Domini, ex vobis unus diabolus est.* Et Orig. hom. 15. in Gen. *Quid tale, ut*

nos

Digitized by Google

nos mercaretur diabolus dedit? ergo, si videtur auscultate: adulterium pecunia diaboli est, diaboli enim in eo imago est, & superscriptio: commisisti adulterium? accepisti diaboli numisma. Itane? ergo.

O superbe, cujus in te est imago & superscriptio? ni fallor, video pavonem, sed pavo est imago Luciferi; Job. 41. ỳ. 25. *Ipse enim est Rex super omnes filios superbiæ*; Christus Rex super humiles. O avari, cujus imago & superscriptio in vobis est, ni fallor, video imagines talpæ & sanguisugæ, vel lupi. Talpa habitat in terra, fodit in terra, hoc vos facitis, lupi, sanguisugæ estis, non est in vobis imago pauperis Christi. O impudici! cujus imago & superscriptio est in vobis, puto esse imaginem porci, qui volutatur in luto. O fœdam imaginem in anima, quæ deberet esse speculum divinæ puritatis. O invidi geritis imagines viperæ vel latrantis canis. His omnibus in agone dicetur, redde imaginem diaboli diabolo. Ad similitudinem harum imaginum vos Deus non creavit, sed voluit, & vult vos conformes fieri per gratiam imagini Filii sui, & ideò misit in mundum, non tantùm ut redimeret, sed ut in se imaginem ostenderet, quam in nobis exprimere deb mus, scilicet per gratiam & sanctitatem; de qua dicitur 2. Petri 1. ỳ. 4. *Per Christum maxima & pretiosa nobis promissa donavit Deus, ut per ea efficiamini divinæ consortes naturæ*; (in hoc consistit altera imago recreationis, vel renovationis, de qua loquitur S. Thomas) & 1. Joan 3. ỳ. 1. *Videte ergo, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*, (in hoc consistit in nobis esse imaginem Dei, si filii Dei simus per charitatem.) §. 8. *Inductio per septem peccata mortalia.*

Ea est dignitas & excellentia imaginis, quæ in nobis est, ut nos faciat divinæ consortes naturæ, & filios Dei: Joan. 1. ỳ. 12. *quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Glossa interlinearis, *filios Dei fieri, ut sint fratres ejus & cohæredes per gratiam.* Hæc est excellentia tam pulchræ imaginis. Act. 17. ỳ. 28. ait sanctus Paulus: *Genus Dei sumus, genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, divinum esse simile.* Hæc est excellentia imaginis supernaturalis gratiæ, facit nos genus Dei. Ad Galat. 3. vers. 26. ait S. Paulus: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum indui-* §. 9. *Quanta sit excellentia hujus imaginis.*

Digitized by Google

induistis. 1.Joan 2.℣.6. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut Christus ambulavit, & ipse ambulare.* Rom.8.℣.12. *Debitores sumus, non carni & sanguini, ut secundum carnem vivamus, sed Deo & Christo, ut secundum Deum & Christum vivamus.* Vultis scire, cujus imago sit in vobis? videte, an Christum indueritis.

§. 10. *In quo praterea consistat tam nobilis imago.*

Ad Roman.5.℣.21. *Vt sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam aeternam per Iesum Christum Dominum nostrum.* Imago ergo Dei in nobis consistit in justitia. De S.Stephano ait S.Lucas Act.7. *Cùm esset plenus Spiritu Sancto intendens in cœlum,* Act.6 ℣.8 dixerat: *Stephanus plenus gratiâ,* sensus est, quia Stephanus plenus gratia est, ideò cœlum intendit; divina gratia est, quę nos mundum facit contemnere, cœlum autem amare. S.Petrus Dam.serm.de S.Stephano. *Signanter recollige positionem verborum: plenus est Spiritu Sancto* (gratiâ) *& sic intendit in cœlum, quia qui Spiritu divinitatis afflantur, conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiant & aeternis*; ex hoc affectu gratiæ advertite, in quo consistat imago supernaturalis Dei in homine. Imaginem Adami cœlestis circumferre debemus, non terreni.


§. 11. *De imagine perfecta similitudinis.*

Superest Imago tertia, quam S.Thom.cit. vocat imaginem *perfecta similitudinis.* S.August.dixit: *Homo habens imaginem Dei, & quidem Crucifixi.* De imagine hac gloriatus fuit S.Paulus ad Gal.6.v.17. *Ego stigmata Domini mei Iesu Christi in corpore meo porto, de catero nemo mihi molestus sit,* q.d relinquat me mundus, nec divitias offerat, ego servio pauperi Christo crucifixo, fac pulchram inductionem. De S.Franc.legimus in festo stigmatum: *Dum seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, & affectus compassiva teneritudine in eũ transformaretur, cui ex charitate nimia crucifigi complacuit, apparuit illi Seraphin alatus & crucifixus.* Percepit Vir S.ex hoc aspectu hinc incredibilem lætitiam, hinc tenerrimã compassionem. In his affectibus hic Seraphin, *nõ per martyriũ carnis, sed per incendiũ mentis, totum Francisc.in Christi Iesu crucifixi expressam similitudinẽ transformavit*; & dum disparuit Seraphin, duo fecit. *1.* mentem S.Franc. seraphico inflammavit ardore. 2.Carnẽ verò exterius insignavit, signis quinq; vulnerum, *tanquam si ad ignis liquefactivã virtutem praambulam sigillativa quadam esset impressio*

sub-

Digitized by Google

subsecuta. Statim namque in pedibus, manibus, pectore apparuerunt signa clavorum. Sic S. Franciscus descendit de monte secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis, pictam ab aliquo pictore vel sculptam, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. O si ego hodie essem talis Seraphin! (poterit fieri affectuosus Epilogus.)



CONCIO LII.

DOMINICA XXIV. SIVE ULTIMA POST SS. TRINITATEM.

Cum videritis abominationem desolationis,

Matth. 24. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EX suppositione, in sensu morali, per abominationem intelligi, abominationem & turpitudinem, sive malitiam cujusvis peccati lethalis; postquam prima Concionis pars de ejusdem egit pondere, gravitate, & enormitate, pars altera ostendit justum Deum tandem graviter punire impios, postquam mensuram scelerum suorum impleverunt, præsertim abduratione cordis, & impœnitentia, quæ est gravissimum supplicium.

§. 1. *Piissimus Ioseph agnovit pondus & enormitatem lethalis criminis, non ita impii.*

§. 2. *Mens S. Anselmi de hac gravitate.*

§. 3. *Peccatum ipsi Deo est grave.*

§. 4. *Et Christo D.*

§. 5. *Ob hoc pondus sæpius tremuit terra.*

§. 6. *Prosecutio.*

§. 7. *Præsertim moriente Christo in cruce.*

§. 8. *Et propter necem Abelis.*

Digitized by Google

§. 1. *Piissimus Ioseph agnovit pondus & enormitatē lethalis criminis, non ita impii.*

SYnopsis concionis est ejusdem propositio; itaque rem ipsam aggredior. Quam immane peccatum est, quam grave & ponderosum. Totus portare nequit Orbis. Filius DEI tanto succubuit oneri! Immensum hoc pondus agnovit Joseph, cum illecebris circumdatus, sed non captus; serpentinam vocem Harpyæ, & virulentum flatum incolumis evasit. Tentatus ad scelus, horrore culpæ sanctus juvenis correptus & ad immanitatem sceleris expavescens, rogum ardentis incendii, blandientesque ignis impudici flammas animosus transiliit. Vide horrorem, adverte pavorem! dum impudenti fœminæ respondet, *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Genes. 39. vers. 9. Hebræus legit. *Quomodo faciam malum grande?* ingenuum fatetur animum, in se ipso impossibilitatem agnoscit, ferendi tam grave onus, ut pulchre annotavit Oleaster in cap. 39. Genes. *Hoc malum peccatores, dum peccare volunt, habent, quod cum peccare cupiunt, peccata attenuant; justi vero omnes nervos ejus extendunt, & tam grave & magnum faciunt, ut vires eorum omnino excedat, & sic dimittant, nec se posse, aut scire facere fatentur.* Impius dum criminum magnitudinem cœcus non examinat, non respicit, nec eorum pondus ponderat, quasi levissimas paleas super scapulas defert, velut insipiens jumentum, onustum fœno; at vir timoratus, & justus vires suas etsi robustissimas, tantæ magnitudini imbelles, & tanto oneri ferendo

Digitized by Google

rendo impares judicat. Ad sufferendum squalorem, & laborem carceris, vincula & catenas, famem & sitim, ut gigas exultavit, humerisque suppoſuit Joseph, cum fratrum invidia, immansueta & barbara fera, invictus luctatur pugil, pugnat, vincit. At cum à gigantæa mole peccati (sive impudente adultera) ad luctum provocatur, certamen respuit, arma proiicit, se imbecillem, infirmum, debilemque ad pugnandum fatetur, nec possibilitatem, nec vires, ad tantum onus portandum suppetere. *Quomodo faciam malum grande!* O piam! sed honorosam pusillanimitatem! Sed vincentem, sed triumphantem! *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

Gravitatem istam peccati, elegantissimis verbis amplificat S. Anselmus lib. 1. cur DEUS homo? cap. 21. *Si necesse esset aut totum mundum, & quidquid DEUS non est, perire, & in nihilum redigi; etsi plures essent mundi, vel infinito numero multiplicarentur, aut te facere tam parvam rem contra voluntatem DEI, cum intueor, quod sit contra voluntatem Dei, gravissimum quiddam, & nullo damno comparabile intelligo.* Si librares pondere totam mundi machinam, montium gravedines, & quidquid creatum, & creabile, corporei Orbis est, levissimum invenires, si compares cum crimine, quod contra voluntatem Dei est. §. 2. *Mens S. Anselmi de hac gravitate.*

Attente vide & audi ipsum Deum, scelerum onere oppressum ac gemebundum, lamenta edentem & tristia suspiria. Amos c. 2. vers. 3. *Ecce ego stridebo contra vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.* Quæ verba Tigurina sic effert: *En ego onustus nimium premor, strideoque sub vobis, perinde ac plaustrum onustum manipulis premitur ac gemit.* Conqueritur Deus præ nimia ponderis peccatorum pressura, ac gemit. Divinus Atlas, qui manibus cœlum sustinet, & appendit tribus digitis molem terræ, peccatorum oneri succumbit, & præ immensa gravitate, & angustia prorumpit in gemitum, sed comparationem plaustri fœno onusti, eleganter explicat S. Cyril. Alexandr. in Amos. *Ero igitur inquam universorum Dominus, ut axis; volvuntur autem circum axes rotæ li-* §. 3. *Peccatum ipsi Deo est grave.*

gnis

Digitized by Google

gnis gravi & ingrato sono stridentibus, prope clamantibus, quæ illis imposita sunt oneribus. Clamabo vero quasi qui onus grave peccatorum ab impiis acervatorum amplius sustinere nequeam. O molestam! ponderosam & pene immensam scelerum gravitatem! qui cœli & terræ onus sustentat, peccatorum non sustinet pondus, eorum onere premitur. Populus gravis iniquitate, seu peccatis onustus (hanc positionem in literali sensu exposuimus) plaustrum ædificat, innitens volubilibus rotis temporalium rerum, quæ in momento, in ictu oculi transeunt, prætervolant, dum peccata peccatis accumulat, plaustrum complet fœno. Quid pulchritudines? quid voluptas? quid mundi gloria nisi fœnum? exsiccatum est fœnum & cecidit flos, meteria ignis æternum arsuri, ob gravissima scelera, ad quæ mundi bona viam sternunt. Hoc igitur plaustrum criminum undique circumfert peccator, & dum istum DEUS suffert, plaustrum super omnipotentes humeros velut imponit. O quot innumera pondera peccantium portat Deus! quid mirum, si nostris usibus sese accommodans gemat, prematur, incurvetur sub onere? O peccator! miserere DEI tui, ut tui misereatur DEUS, tolle onus de humeris DEI, ut onus tollat Deus de humeris tuis, dum enim à criminibus cessas, ipsum Deum velut allevias.

§. 4. *Et Christo Domino.*

Cum in Raphidim bellum iniret Jesus Nave cum Amalech, Moyses ascendit in montē oraturus Deum pro victoria & triumpho, plus pugnans oratione quam gladio, Exod. cap. 17. v. 11. *Cumque levasset Moyses manus, vincebat Israel, sin autem paululum remisisset, superabat Amalech, manus autem Moysis erant graves.* Unde Moysi manus tam graves? cur ejus brachia Hur & Aaron sustentant? cur sacri lapidis indigent fulcimento? nunquid eas pondus peccatorum aggravat? Magno ingenii acumine & verborum profunditate respondet S. Ambros. in Psalm. 43 *Nullum remedium futurum, nisi Iesus, depressa jam brachia Moysis, tanquam infirmitati legis attoleret, & sua misericordia sustineret, sed infirmum adhuc fuisset legis auxilium, nisi ipse Iesus venisset in terras, qui in se nostras susciperet infirmitates, quem solum peccata nostra gravare non possent, nec inclinare manus suas, qui se inclinavit*

navit usque ad mortem crucis. Itaque Moyses in elevatione & depressione brachiorum, legem suam teneram & delicatam repræsentat, quæ pondus prælii, quod inferebant Deo hominũ crimina, sustinere nequit: Gigas verò virtute & sanctitate Christus D. cujus imperio cœlum, terra, maria, elementaque omnia famulantur, scelera sui populi sustinere non potuit, eorum pondera etiam gigantæos humeros, & Athlanticas manus deorsum inclinari cogunt. *Manus autem Moysi erant graves.* Manus illæ, quæ ad miracula, facinora, triumphos, faciles erant, expeditæ, leves; manus autem contra Pharaonem & virgam levavit in portenta, nunc lapidææ & plumbeæ in profundum deferuntur. Veniat ergo verus Salvator Jesus, qui infirma legis brachia, & hominum peccata sustineat; sed quid est, quod addit S. Ambros. *Quem solum peccata nostra gravare non possent, nec inclinare manus suas*? hoc est; Filius, Dei onere delicti proprii incurvatus non fuit, qui naturâ impeccabilis est, sed quia alienas iniquitates portavit in corpore suo, super lignum, peccatorum pondere usque ad patibulum crucis inclinatus est, & ut etiam Deo, ponderosa nimis peccata demonstrentur, bajulans crucem, non semel in genua procumbit, labore & anxietate oneris oppressus, & prostratus usque ad terram corruit; extendens & levans manus suas in cruce, ad populum non credentem, sed contradicentem, sed blasphemantem, eas suffixit ligno, ut clavi eas retinerent, nec eas scelerum pondus ad terram inclinaret. Clamat ergo Isaias Christi nomine & officio: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, peccatis onusto.*

Dum discursum hunc finire vellem, incidi in discursum quẽdã nobilis Interpretis, de hac præsenti materia, quem judicavi dignum qui notetur. Titulus discusûs talis est: *Expavescit terra ad hominis flagitiũ, cujus pondus, ut à se excutiat, tremore jactatur*, quod ex S. literis hoc modo probat: *Dum impius Rex Ozias officio Sacerdotis impudenter voluit fungi, statim à Domino in fronte percussus fuit leprâ,* l. 2. Paral. c. 26. *Neq; hâc tantùm ignominiâ flagellata fuit Regis audacia, sed præ metu & horrore tantæ nequitiæ terra contremuit*; de quo Amos cap. 1 & clarius Zacharias cap. 14. ℣. 5. *Et fugietis, sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ Regis Iuda.* Ubi D. Cyrill. in

§. 5. Ob hoc pondus sæpius tremuit terra.

 com-

Digitized by Google

comment. *Postquam enim Ierosolymis in throno regni collocatus, ut è tribu Iuda progenitus, ministerium sacerdotale improbè ausus est capessere, leprâ fœdatus est, Deum hanc ob causam se iratum prodente; horribiliter Iudaeorum Regio, atque etiam ipsa Hierosolyma contremuit.* Ajunt etiam ipsam quoque Sion ita quassatam, ut in duas partes dirumperetur, & valles adjacentes jugis ejus replerentur. Addit S. Hieronym. ad c. 7. Isaiæ. *Ante duos annos terra motus, quem volunt eo tempore accidisse, quo ingressus Ozias in templum Dei, sibi sacerdotium vendicabat, & terra percussa est, & cineres altaris effusi sunt ad pondus tanti sceleris contremiscens.*

§. 6. *Prosecutio.* Aliàs quoque terra ostendit quidem signa timoris, cùm ob commissa scelera, iram Dei sustinere non valens, contremuit; de quo Psalm. 17. ℣. 8. *Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.* Motu magno concutit sæpe elementa Deus ad ostensionem iræ erga peccantes. Versio Tigurina ita legit: *Commovebatur & contremiscebat terra; fundamenta montium concutiebantur, & conquassabantur, quoniam ipse irascebatur.* Vatablus, *Fiebat terra motus magnus.* Huc pertinet ℣. 32. Ps. 103. *Qui respicit terram, & facit eam tremere.* Ubi Euthymius, *fecit eam tremere, terra motu* nimirum. Iracundè enim terram aspicit cùm libet, quæ illius aspectum ferre non valens contremiscit naturali, vel potiùs ineffabili quodam sensu, scilicet ad præsentiam irascentis Dei ob scelerum atrocitatem.

§. 7. *Præsertim moriente Christo in cruce.* Sensus iste elementorum manifestus apparuit in Servatoris nostri nece, nam inter alia divinitatis signa, S. Matth. c. 27. ℣. 51. recenset terræ motum. *Terra mota est.* Asserit Didymus. Hoc terræ motu totam terram conquassatam, & è centro suo fuisse convulsam. Consentit Abulensis. *Cùm Dominus Iesus Christus voluntariè se tradidit passioni, sed impiè à Iudæis apprehensus, & patibulo affixus est, maximo terra motu per orbem facto, saxa in montibus scissa, maximarumq; urbium partes plus solita concussione ceciderunt.* Quærit autem Isidorus Pelusiota cur, & respondet lib. 2. epist. 132. *Quo tempore terra quoque ipsa commovebatur, & concutiebatur, locum quo fugeret, quærens, ut ne scelus illud perspiceret, quod adversus Deum*

Digitized by Google

Deum suscipiebatur. Cùm scilicet Creator in cruce patitur, terrarum moles, sceleris pondere impellitur, & velut errabundo motu fugam capessit, ne aspiciat tantum Judæorum scelus.

Ingemuit quoque terra, cùm se pollutam sensit sacrilegio fratricidæ, unde clamasse perhibetur adversus Cain, cùm Abelem occidit, Gen. 4. ℣. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Expendit solerter S. Ambrosius, non clamare sanguinem de Abelis corpore, sed de terra, ut tellus infecta innocentis cruore, & tanto temerata scelere, ex offensa germanitate, vindictæ clamores profundat. Lib. 2. de Abel. c. 9. ait: *Non dixit, de fratris clamat corpore sed de terra clamat, & si frater parcit, terra non parcit, terra condemnat. Ipsa est in te & testis, & Iudex, quæ adhuc parricidii sanguine madet. Iudex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est, ut aperiat os suum, & exciperet sanguinem fratris tui de manu tua, & ferre non valens fratricidalis criminis pondus, clamore & motu persequitur.* Oleaster. *Ubi adverte, quod terra videtur homicidam execrari, & ex se ejicere, in qua homicidium perpetratum est, scilicet cùm respicit manum, quæ se armavit ad effundendum sanguinem fraternum, justa indignatione commovetur, ut à se removeat sceleratum hominem, tanquam immane pondus.*

§. 8. Et propter necem Abelis.

Perdifficilis locus reperitur Zachar. c. 14. ℣. 4. in quo Propheta ingentem terræ motum vaticinatur. *Et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valde, & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad Meridiem.* Sermo est, de celebri terræ motu, qui contigit tempore passionis; sed cur Jesu moriente terra dehiscit, rumpuntur silices, tot ora & hiatus terra ostendit! Tota nimirum à fundamentis commovetur terra, ad vindictam tanti sceleris, Judæosque auctores devorare vivos cupiens, tot rictus quærit; ita Theodoretus, cùm Dominum in crucem egerunt, tenebræ factæ sunt super universam terram, & terra mota appetebat fieri ejus tumulus ex tempore. Montes verò contra eos voragines edebant & valles, non ferentes tantum pondus.

§. 9. Prosecutio paragraphi septimi.

Elegantem animadversionem super hunc versum nobis reliquit S. Cyrill. Alexandr. l. 1. in Is. *Populus plenus iniquitate*, hoc est, in

§ 10. Tandem cum pecca-

torum mensura impleta est, punit Deus. *in cumulo & plenitudine suorum peccatorum hæserunt. Quod etiam Christus illis dixit,* Joan. 8. *In peccatis vestris moriemini. Etenim expleverunt, & isti mensuram patrum suorum. Ad aliquod enim tempus, & mensuram tulit Deus contemptum delinquentium, cùm autem ad plenitudinem peccati pertigerint, supplicium irrogat.* Quid illustrius? mensuram & pondus peccatorum impleri exspectat Deus, cùm autem superefluentem viderit, supplicia immittit, flagella inquam tremenda, & formidanda, in peccatis vestris moriemini.

§ 11. *Prosecutio.* Elegantissimè Isidorus Pelusiota super vers. 5. cap. 5. Zachariæ, qui agit de amphora iniquitatis. Sic ait l. 3. ep. 33. *Quoniam quæris, quidnam causa sit, cur Zacharias iniquitatem super mensuram sedentem viderit? respondeo per mensuram divinæ gratiæ eos, qui peccaverunt lenitatis, & patientiæ finis, pœnæq; principium significatur; nec enim absque mensura, nec semper vitiis indulgere permittuntur, verùm jam jamq; acerbissimis suppliciis mulctabuntur.* Observanda sunt illa verba: *Divinæ gratiæ.* Insinuat Pelusiota statum & certum criminum numerum, in quæ peccator Deo permittente liberè corruet, dum numerum adimplet; exspectat Deus, sustinet, allicit, terret, minatur; sed impleto numero, finem imponit peccator clementiæ, & pietati Dei, cui in miserendo & parcendo peccantibus non est numerus, eumque ut justus judex ad æterna supplicia damnat, qui non agnovit beneficia, quæ in eum contulit ut misericors pater. Impius & scelestus filius, expleat voluptates & voluntates suas, profundissimo vitiorum turpitudinumque omnium gurgite se se immergat, dabit Deus his quoque finem, peccabit ultimum, delinquet extremum, & januam misericordiæ, mensuram implendo claudit, portam verò ultionis & pœnarum aperiet.

§ 12. *Quod patuit in Sodoma.* Divinæ Justitiæ executores ministri destinantur Angeli, ad devastandas Sodomitarum urbes, concremandas ignibus, redigendas in cinerem. Quis compulit Deum, ut in Pentapolin ejacularetur fulmina, compluerer flammeos globos, & sulphureos ignes? impleta mensura peccatorum, aggravatum illorum pondus. Gen. cap. 18. vers. 20. fatetur Deus ipse se ad ultionem à tali men-

Digitized by Google

mensura provocatũ ad vindictam, dixit enim, *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* LXX. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ impletus est apud me, & peccata eorum magna valde.* Quam lectionem expendens S. Ambrosius lib. 1. de Ab. cap. 5. ait. *Magna Dei patientia, ut non statim peccatorem puniat, sed differat exspectans correctionem; nec commoveatur ad ulciscendum, nisi peccator mensuram excedat. Unde & D. Iesus in Evangelio ad Iudæos ait, implete mensuram patrum vestrorum.*

Pulchram & decoram nimis tribuit natura formam filio David Absaloni. *E capite fluebat aurea cæsaries, totos humeros circumvolitans, quæ ad radios solis, pulcherrimum emittebat splendorem.* Ideo ait l. 2. Reg. cap. 14. vers. 26. *Quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.* Scio aliquos Interpretes hic formare graves & acerbas invectivas, contra capillorum vanitatem, sed multiplicitatem & mensuram criminum in his capillis agnovit S. Paulinus ep. 4. dum ait. *Quo apertius exprimi potest pro operibus numerari capillos, cum in impii capite, non aliquam virtutem, sed tantum sarcinam capillorum Scriptura signavit. Impleta fuit in Absalone mensura vitiorum, & illius scelera redundarunt usque ad verticem, ideo de vertice orta fuit ruina Absalonis, capillorum seu scelerum numerus, restem longam contexuit, ut de quovis patibulo suspenderetur.* §. 13. *Et in Absalone.*

Talis fuit Balthasar filius Nabuchodonosoris, qui dum in prophano convivio ausu sacrilego ex templi vasis libat Baccho, inter lætissimam symphoniam vidit manum in pariete hæc verba describentem Dan. 5. vers. 25. *Mane, Thecel, Phares,* quorum Daniel hanc posuit significationem. *Mane, numeravit Deus regnũ tuum, & complevit illud. Thecel, appensus es in statera, & inventus es minus habens, &c.* Quid opus est ad puniendum impium Regem Babylonis, mensura, numerus, statera! ut intelligas Deum numerare scelera, mensurare, & appendere delicta. Articuli digitorum, & scribæ manus ad numerum, & summam redegit peccata Regis, & invenit implesse mensuram, in divinæ justitiæ statera, *Et in Balthasare Rege.*

opera Regis appensa, & inventum est, præponderare scelera; ideoque æquo jure irrogata fuit pœna, cum mensuram malorum adauxit culpa. Theodoretus in cit. cap. Danielis. *Docuit nos Propheta, nihil esse quod apud Deum non ponderetur, quin etiam misericordiam, ac divinam lenitatem, mensura quadam & pondere hominibus adhiberi. Quando itaque transgressus es,* inquit, *clementia fines, accipe divinam sententiam.* Cave peccator, ne dum mensuram peccatorum adimples, viscera misericordiæ constringas, & reprimas, ut sic tandem nimio peccatorum pondere aggravatus, deprimaris in profundum æternæ infelicitatis.

§. 15. Impleta scelerum mensura plerumque induratur peccator, ne resipiscat quamdiu vivit.

Effectum tanti ponderis eleganti simili declarat nobis Isaiæ Interpres, dum ait, *Occurritne aliquando menti tuæ inferorum barathrum? tartari species, horribilia spectra, silentes umbræ, furiarum tedæ, catenarum indissolubiles nexus? regio mortis & caliginis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat?* Tale tibi imaginare obdurati cordis habitaculum, in inveterato peccatore, in quo diabolus per repetita & aggravata scelera, firmam sibi statuit mansionem. Placetne spectare quidem oculis hunc carcerem, in quo infernalis Lucifer peccantis pedes posuit in nervo, cujus collum catenarum constrinxit nexibus. Totum hominem tractat quidem vilissimum mancipium damnatum triremibus. Quibus vinculis peculiarem circumstantiam adjungit S. Job, c. 12. vers. 14. *Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat,* quæ verba ita explanat S. Gregor. Mag. lib. 11. moral. c. 5. *Omnis homo per id, quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiæ suæ carcerem facit? qui cum judicante Deo, in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minime meretur. Nam sæpe nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, sed quia eorundem actuum pondere premuntur* (ecce lamentabilem effectum) *in malæ consuetudinis carcere inclusi à semetipsis exire non possunt.* Debitas suis sceleribus divinæ Justitiæ pœnas luit peccator, dum assiduitate peccandi, sibi ipsi vincula fabrefacit, super indurati pectoris incudem sibi ipsi carcerem ædificat, nefariorum scelerum vindicem, etenim æterna inferorum supplicia aliquatenus æmulatur, vivens in terris,

terris, dum sibi evadendi aditum vel exitum præcludit, & impossibilitatem non physicam, sed moralem elabendi è vinculis & carcere sibi causat, dum à diabolo inclusus est in loco, quem nullus aperiet, nisi id fiat magna aliqua & extraordinaria Dei misericordia.

§. 16. *Quomodo talis impius dicatur converti in infernum.*

Ob eandem causam Regius Psaltes induratum peccatorem vocat *Infernum*. Psalm. 9. v. 18. *Convertantur peccatores in infernum*, non ait, in inferno, qui modus loquendi saperet hæresin Origenis, sed ex mente Davidis peccator talis convertitur in infernum, sicut enim animus contritione & gratia in cœlum mutatur, ita assiduis sceleribus in infernũ cõvertitur, juxta S. Aug. hic. *Convertantur peccatores in infernum, id est, dentur in manus suas, cum eis parcitur, & illaqueentur delectatione mortifera.* Cum à Deo sub gravi pondere peccatorum relinquitur homo in manibus peccatorum suorum, scelera sceleribus nectens, talis peccator in infernum conversus est. Prô dolor! quot scelesti peccatores, temporalem infernum secum portant; faxit Deus ne convertantur in infernum, duraturum in sæcula sæculorum.

§. 17. *Radix obdurationis Sodomitarũ.*

Quod Sodomitis accidit. Impudentia & aggravata illorum scelera irritarunt Deum ad justam animadversionem, ut terrorem inferorum ante illorum oculos statueret. Itaque in crepitantibus flammis, & sulphureis clibanis ex æthere deplutis jussit Dominus gehennæ theatrum, & imaginem vivam è cœlo ostentari, Genes. cap. 19. vers. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.* Cur de cœlo ignis descendit, cur è terra non erupit? rationem reddit Salo. lib. de provid. *Cum enim ad supplicium malorum, gehennam in futurum arsuram manifestum sit, Sodomam & vicinas ejus Vrbes cælesti flamma consumpsit, in præsenti autem illud quod futurum est, Deus voluit declarare judicium, quando super ipsum populum gehennam misit è cælo. Adeo Deus exacerbatur inveterata malitia, ut etiam in hoc mundo gehennæ imaginem apparere faciat.* Quod expendit S. Chrysostom. *Vidimus enim, vidimus & in præsenti quoque vita gehennæ effigiem, quandoquidem multi futuri erant, qui iis fidem minime habituri essent, quæ post resurrectionem futura sunt, nunc*

 cum

cum iisdem audiant, esse ignem inextinguibilem, à rebus præsentibus illos Deus erudivit; tale igitur est Sodomæ incendium, & vastatio illa, & subdit. *Cogitabo quam grave illud sit peccatum* (quam ponderosum) *ut quod ipsam etiam gehennam ante tempus existere coegerit*, dum peccatores in hoc mundo convertuntur in infernum.

FINIS.



INDEX THEMATUM

In omnes totius Anni Dominicas.

ni

The-

Digitized by Google

FINIS.



AUCTARII NILI MYSTCI;

SIVE

CONCIONUM


IN

Omnia festa ab Adventu usque ad Pentecosten.

PARS III.

Digitized by Google

Digitized by Google



CONCIO LIV.

FESTO S. FRANCISCI XAVERII INDIARUM APOSTOLI.

Sint lumbi vestri præcincti,

Lucæ 12. v. 25.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SAnctus Franciscus Xaverius in prædicatione Evangelii per Orientem fuit alatus, igneus & oculatus Cherub.

§. 1. *S. Xaverius ab Ethnicis fuit habitus Deus.*

§. 2. *S. Xaverius, pennatus & alatus Cherub.*

§. 3. *Prosecutio.*

§. 4 *Xaverius sol.*

§. 5. *S. Xaverius Cherub, oculis respiciens portas Orientis.*

§. 6. *Quantus S. Xaverii Zelus, exemplo Moysis & S. Pauli.*

§. 7. *S. Xaverius Cherub, volans & stans.*

§. 8. *Quies S. Xaverii adorandum.*

§. 9. *Ignea Cherubinorum, & S. Xaverii facies.*

§. 10. *Cherubinorum oculi.*

§. 11. *Tales habuit S. Xaverius in exercitio operum misericordiæ, spiritualis & corporalis.*

§. 12. *Prosecutio.*

§. 13 *Cherub. cum romphæa ignea collocatus ante Paradisum.*

§. 14. *Fuit S. Xaverius.*

Digitized by Google

§. 1. S. Xaverius ab Ethnicis fuit habitus pro Deo.

De Apostolicis viris dixit S. Augustinus in Psalm. 143. *quod sint cœli qui enarrant gloriam Dei*, & subdit. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Cum enim isti cœli emitterent voces suas, per omnes terras, & facerent mirabilia, coruscante de illis, & intonante Domino miraculis, & præceptis, putati sunt dii descendisse de cœlo ad homines. Nam quidam ex gentibus hoc putantes, eis etiam sacrificeare voluerunt. Hoc idem Indiarum Apostolo S. Francisco Xaverio contigit. Cœlum fuit Xaverius micans splēdoribus gloriæ, stellatum virtutum sideribus, tonans miraculis, coruscans Apostolicis facinoribus & trophæis. Adeo ut gentiles existimarint, Deum quendam venisse in Indias, paratique fuerint illum, veluti divinum Numen venerari, nisi hoc cœlum se se inclinasset, hoc est, nisi S. Xaverius cum magna demissione ultro fassus esset se esse mortalem hominem, & ad gloriam Dei ad hoc se venisse in Indias, ut fidem inveheret in fines orbis terræ, & trophæa Crucis erigens, in aris Jesu, animarum spolia de faucibus dæmonis erepta, suspenderet. Deus non fuit. S. Xaverius sed magnus & mirabilis sanctus, cujus panegyrin, veluti pretiosam coronam, qua coronavit eum Dominus, aliquot lucidissimis gemmis, sive pulcherrimis elogiis, conabor facere illustriorem.

§. 2. S. Xaverius pennatus Cherub.

Et assero primo S. Xaverium in suis itineribus, per tot regna, tot provincias, tot maria, fuisse pennatum Cherubinum. Capite 1. Ezechiel illos Cherubinos quos vidit baculos vel vectores gloriosæ quadrigæ, in qua Dominus suam majestatem ostendit, cum variis circumstantiis describit, inter quas, spirituum horum pernicitatem comparat cum fulgure cap. 1. versu 14. *Et animalia ibant, & revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.* Ubi Sanct. Hieronymus. *Quomodo crebris micat ignibus æther, & in ictu oculi atque momento discurrunt fulgura, & revertuntur -- ita & hæc animalia cum inoffenso pergant pede, ad superiora festinant:* currunt scilicet & volitant, vibrantes amoris fulmina, jaculantes fulgura verborum, & miraculorum splendores. De pedibus illorum ait: *Pedes eorum*

pedes

Digitized by Google

pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli. Cum verò dixerit, eosdem Cherubinos habuisse faciem leonis, aquilæ, vituli & hominis, cur non habuerunt & pedes aquilæ, vel leonis, sed vituli? non possum satis laudare acumen S. Hieronymi, dum respondet: *Quod pedes animantium recti esse dicantur, & planta vituli, seu rotunda: - innuitur amputatis omnibus angulis, rotunditatem sequi, quæ omnium figurarum est pulcherrima, & maxime volubilis, expedita ad motus celeritatem*: ob quam causam fortassis LXX. citatum versum ita legunt: *Et pedes eorum pennati.* Theodoretus ait, *Pedes alis pleni.*

Cur non dicam Cherubicum Xaverium habuisse pennas & alas in pedibus; quidni dicam, ejus pedes fuisse rotundos & igneos globos paratissimos ad motum, cum ferè totum pervolavit orbem? quis impediet, vel improbabit, si de illo asseram quod S. Chrysostomus asseruit de S. Paulo hom 2. de ejus laudibus. *Nam & tanquam pennatus totum docendo pervolavit orbem & velut incorporeus, labores omnes, periculaque contempsit; & quasi jam cœlum possidens, cuncta prorsus terrena despexit, & tanqaam cum ipsis jam incorpereis degeret, ita jugi mentis intentione vigilavit.* Subjungit: *Michaeli gens commissa est Iudæorum; Paulo verò, terra ac maria, ac universi orbis habitatio, ipsumque desertum, &c.* Si nos S. Xaverii commercia, excursiones, labores, itinera, & pericula pro animarum salute suscepta velimus considerare, fatebimur, lucidissimas stellulas in diademate S. Xaverii, posse esse hæc verba, quæ de S. Paulo, aureo ore protulit S. Chrysost. §. 3. Prosecutio.

Pergit aureus & eloquentissimus Orator: *Quia seipsum consecravit DEO, etiam orbem universum studuit afferre; qui terram videlicet ac mare, Græciam, simulque barbariem omnemque prorsus quanta est sub cœlo, Regionem, quasi volitans* (vel alatus Cherub) *circumivit; non simplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens; sed peccatorum spinas pariterque evellens, & verbum seminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens; quin imò ipsos homines, quasi ex dæmonibus in Angelos provehens.* Si pro vocula, *Græciam*, ponas *Indiam*, imò *Africam, Asiam, Europam*, Oris aurei verba, Indiarum Apostolo S. Xaverio, §. 4. S. Xaverius sol.

facile poteris adaptare. Ut & illa, sol enim quidam fuit S. Xaverius, qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminavit; quique universas circumeundo gentes, cursum omninò solis imitatus est, ac mundi regiones omnes, quasi libero à corpore animo pervolavit & hoc ei àmara undique vulnera obviarent. Hoc: cum barbari minarentur lapides & sagittas. Hoc: cũ feroces populi intentarent lanceas & vincula. Hoc: etsi gelati trãseundi essent Japoniæ mõtes. Hoc: per vias, instratas spinis & saxis Hoc: inter pericula, terra marique. (est locus pro pulchra descriptione) Hæc omnia non potuerunt S. Xaverii cursum, quo minus ad ultimos orbis pervolaret terminos, impedire, ut si posset, in idololatriæ regno erigeret vexilla Crucis: adhoc ut animas lucraretur. In hoc cursu S. Xaverius nullam invenit provinciam, nullam insulam, nullum imperium, in quo suo vexillo Crucis, non inscriberet, *Plus ultrà*. Pennatus & alis plenus Cherub, fuit Sanctus Xaverius.

§. 5. *S. Xaverius Cherub oculis respiciens portas Orientis.*

De Cherubinorum magnifica structura, quos Salomon constituit in oraculo templi, ait lib. 2. Paralip. c. 3. v. 13. *Ipsi stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.* Jam ante insinuavi pedes illos rectos, fuisse simul alatos. Sed cur beatissimi Cherubini avertunt oculos à Sancto Sanctorum? cur vultus non convertunt ad Oraculum & arcam testamenti? sed iis à tergo relictis oculos coniiciunt foras extra templum? admirabilis in hoc elucet sapientia Salomonis, qui nos voluit docere Cherubinos & S. Angelos, hac statione, hoc intuitu, præbere formam, ardentis animarum zeli, qui in Angelis præfulget; vehementissimo enim charitatis oculo homines invitentur de supernis erecta statura expansis alis amoris ad animarũ lucrum ut advolnet, ut opitulentur periclitantibus, ut omnes excitent ad cœlestem conversationem, & deducant ad æternæ vitæ consortium. Venerabil. Beda. *Sic de animarum sanctarum in cœlis beatitudine congaudent, ut eos quoq; quos adhuc in terris peregrinari conspiciunt, electis opem ferre non desinant, donec & illos ad cœlestem patriam introducant.* Non auderem ego, nisi jam alii doctissimi viri sacras in Ecclesia religiones compararent cum augustissimis templis. Si tale templum est

minima

minima societas JESU, nemo me repræhendet si dicam, Cœlestem Salomonem ejus edyta, ornasse duobus pulcherrimis Cherubinis, quorum alter est S. Ignatius, alter S. Xaverius, alatos hujus pedes jam descripsi; sed amabilissimam suam faciem, gratiosissimos suos oculos, cur avertit ab Europa? cur à dilectissima patria Hispania, cur ab aula serenissimi Lusitaniæ Regis? ut video, illos conjicit potiùs in Africam, in Indiam, in Japoniam, in ipsas Chinas? quo Cœlestis hic Cherub ex Europâ suos conjecit oculos, eò pennatis pedibus evolavit, suâ statione, suo intuitu præbet formam ardentis cœli animarum: Vehementissimæ charitatis oculo hic Cherub respicit totum Orientem, & vastissimas Japoniæ Chinæque regiones, ut ibi quoque afflictis ferat opem, ut illuminet sedentes in tenebris, ut ex inferni faucibus eripiat animas, ut si possit, omnes homines lucretur Christo. O cœlestem Cherubinum!

§. 6. *Quantus S. Xaverii zelus, exemplo Moysis, & S. Pauli.*

Hic est ille animarum zelus, in quo Judaici populi doctor Moyses & Gentium doctor S. Paulus adeò excelluerunt, ut alter anathema, alter de libro viventium deleri desideravit pro anima rum bono. Certè Paulinum pectus, ab amoris jaculo adeò fuit saucium, ut ad Rom. c. 11. v. 3. dixerit, *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Cerne quoque de Mosaico pectore erumpentes divinæ charitatis flammas; cum non legit in cœlesti catalogo nomina filiorum Israel exarata, nomen suum de libro vitæ cupit expungi, Exod. c. 32. v. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Quæ verba Seraphicus Doctor S. Bonaventura mirificè exornat, de processu religionis c. 4. *Non quod Apostolus à Christo vellet separari, vel Moyses deleri, sed quia affectum, quem ad proximorum salutem habebant, evidentius exprimere non valebant, quasi non reputantes sibi esse plenum gaudium introduci ad epulas cœlestes, illis, quos diligebant, & pro quibus mori optabant, foris fame cruciatis.* Hunc Apostolicum zelum in suis itineribus ostendit alatus Cherub S. Xaxerius. Venit ex Lusitania, appellit Mozambicum, ex Mozambico, postquam per hyemem ibi in valetudinario degens vitam duxisset laboriosissimam, venit Goam in Indiã. Celeberrima hæc urbs primũ

fuit

fuit theatrum, in quo S. Xaverius plurimos Indos convertit ad Christum. Ingenti labori ingens respondor fructus. Non tamen ideo reputavit sibi plenum esse gaudium, cum audiret Comorienses nihil scire de Christo, tristabatur, affligebatur, illis, quos diligebat, non esse prædicatum Evangelium: Substitit apud illos S. Xaverius; prædicando Christum, baptizando gentiles, instruendo Neophytos, &c. Non tamen reputavit sibi plenum esse gaudium, cum intelligeret, &c. (hoc modo ex vita S. Xaverii potest fieri elegans excursio.) Desiderium S. Xaverii erat, omnes Orientis incolas inscribere libro vitæ: quia non poterat, tristabatur cum Moyse & S. Paulo.

§. 7. S. Xaverius Cherub, volans et stans

Redeo ad Cherubinos, cum Ezechiel vidit Cherubica animalia super thronum sublimem, globumque crystallinum, veluti in triumphali curru circumferre mundi Redemptorem, de illis ait: c. 1. v. 12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent.* Et v. 25. *Cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.* Si stant, quomodo volant? si volant, quomodo stant? Respondeo meum Cherubinum S. Xaverium, re ipsa ostendisse quomodo hoc fieri potuerit. Ex Italia, ex urbe Roma jubente summo Pontifice & S. Ignatio alatis pedibus volavit in Lusitaniam, ex Lusitania in Indiam ad Goanos; à Goanis ad Comorienses, ut ante insinuavi; à Comoriensibus venit in Oram Piscariam, hic stetit noster Cherub ad tempus; non ut margaritas piscaretur, sed animas; post aliquot mensium stationem, volavit in regnum Travancoridis. Hic stetit, donec illud totum subjecit Christo. Post modicam stationem noster Cherub volavit in Insulam Ceilanam, ex hac Insula in Amboinũ, ex Amboino in Molucum, ex Moluco in Mauricam, postquam celeri volatu reversus noster Cherub, revisisset Amboinos, Comorinos, Ceilanos; ubique post fructuosam sed brevem stationem, iterum reversus in priores regiones, Malacam usque pervenit. Hic stetit, hic mansit ad tempus cum ingenti fructu, hic demisit nonnihil alas; sed mox instar aquilæ, dilatatis alis per vastissima marium spatia, volavit in Japoniam. Post fructuosam stationem & moram in

Japo-

Digitized by Google

ponia; Cherub noster pervolasset maria in Chinam usque, nisi ıssum fuisset evolare in cœlum.

Alia & similis de istis Cherubinis oritur difficultas ex verbis zechielis, quibus ait v.14. *Et animalia ibant, & revertebantur.* Hoc t, non tantum veluti volucres, pennarum remigio, currum glo e vectarunt in altum, sed simul velo cissimo cursu, veluti scintil ntes equi reversa fuerunt ad terram. Et quomodo hoc fieri po ſt. Modum excogitavit ſubtiliſſimus S. Hier. dum ait. *Non tam vertuntur, quam contrahunt ſe*(vel abſcondunt ſe)*extendenda rur s, & prabitura lumen quod parumper abſconderant.* O Cœleſtem herubinum S. Franc. Xaverium. Ita igneis alis pervolavit Indiã, N. ut tamen lucem & radios quos ſpargebat, hoc eſt, ſe ipſum o tempore, abſconderet, contraheret, ut nonnihil complicaret neas alas ad aliquam quietem, ut mox velociori curſu, curſum um continuaret. Hoc eſt, S. Xaverius in vita activa, quam duce at, non fuit oblitus orationis & ſanctæ ſolitudinis. De Iſaac dici r Gen. 24. v. 63. *Egreſſus eſt ad meditandum in agro inclinata jam e.* Vatablus ſic legit. *Egreſſus fuerat Iſaac ad orandum in agro.* LXX. *exerceret ſe.* Alii, *Vt ambularet inter virgulta*, totus ſcilicet raptus Deum, & ardentiſſime orans. Hæc fuit vita S. Xaverii. Poſt gra iſſimas per diẽ actiones pro bono animarum, ab hominum turba onſpectuque abſtractus locum ſolitarium quærebat in ſilvis, & cris exercitationibus accendebat jam ardentem animam adhuc agis in talibus ſeceſſibus. Ut totum Orientem inflammaret ad Dei amorem, ſæpe ambulabat inter virgulta, cœli ſiderumque ontemplatione defixus, precarios globulos pervolvebat, ple umque tanto ardore, ut avocato animo ad divina, & immerſo profundum deliciarum, ex deificato pectore dulciſſima eructa et ſuſpiria. Oriente aurora cum paucis horis in nuda humo ſu er ſaxum indulſiſſet ſomno, iterum explicabat alas charitatis, ad olandum quocunq; pro Dei gloria & ſalute animarũ avocaretur.

§. 8. Quies S. Xaverii ad orandum.

Aſpexiſtis hactenus pennatos pedes, & firmam ſtationem cœ eſtis Cherubini S. Xaverii, coniicite nunc veſtros oculos in ejus aciem. Ezec. ait c.1.v.13. *Et ſimilitudo animalium, aſpectus eorum uaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum.*

§. 9. Ign. a Cherubinorum & S. Xaverii facies.

Hoc est, mysticus noster Cherub, S. Xaverius, igneam habuit faciem, igneos oculos, multo magis cor igneum, accensum flammis charitatis erga Deum & homines. Ex hoc corde, ex hoc camino eruperunt ardentes illi carbones sive scintillæ inflammatorũ affectuum; erga Deum, v. g. *O Deus! ego amo te, nec amo te ut salves me, aut quia non amantes te, æterno punis igne, &c.* (poni huc possunt præcipui affectus ex illa oratione) Pro proximo vero, præsertim pro peccatoribus, ardentissime orabat. *Æterne rerum omnium effector Deus, &c.* Vel, *Te ego Iesu Christe, Deus cordis mei, per acerbissimos tuæ mortis cruciatus, oro & obtestor, ut intuearis ipse tuas cicatrices & vulnera, quæ æterno Patri assidue pro nobis ostentas; eaque velis esse salubria miseris illis, ut resipiscant.* Vel, *O Jesu Christe, obsecro te per quinque illa Vulnera, quæ tibi in Cruce, nostri amor inflixit, famulis tuis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Ignita S. Xaverii facies prodit inflammatum illum in Jesum Christum, benignissimum Dominum salvatoremque suum, amorem, quem suavissima dulcissimi nobis Jesu pronuntiatione itenditem magis inflammabat. Ignea hujus Cherubini facies, arguit illũ in Xaverii pectore amorem, quo mediante, vel in mediis hominum congressibus jucundissimos miscebat sermones cum Deo. Nimirum charitate in Deum tanta flagravit, quantam existere oportuit in eo, qui humanis rebus penitus contemptis, assiduæ rerum cœlestium contemplationi deditus erat.

§. 10. *Cherubinorũ oculi.* Aliquam Cherubicorum oculorum superius feci mentionem, sed in illis veluti speculo, video aliud pulcherrimum S. Xaverii elogium repræsentari. Cherubinos, ut sæpius dixit, vidit Ezechiel, veluti satellites, qui Deum de suis hostibus triumphantem in sublimi curru circumtulerunt. Pedes fuerunt pennati, nunc volantes, nunc stantes, facies fuit ignea, duo oculi directi versus portam templi, sed quid hoc est mysterii, quod de illis Cherubinis dicat Propheta v. 8. *Et totum corpus oculis plenum, in circuitu ipsarum* & c. 10. v. 12. *Et omne corpus & colla & manus & pennæ, & circuli plena erant oculis.* Oculis? si dixisset gemmis, vel pretiosis lapidibus vel stellis, hoc bene! sed quale ornamentum à tot oculis? S. Hier. de utroque loco ait, *Totum corpus, & dorsa erant plena lucis in circuitu, ut nullum membrorum aspiceres, quod oculos luminis*

ninis non habere, qualemque describunt fabulæ Poetarum Argum fuisse intoculũ, sive multorum oculorum. Ut Spiritus S. nobis ostenderet, unc habitum ocellaræ tunicæ, sive oculatos Cherubinos, repræsentare personæ Dei, quia admirabili providentia suos protegit e gubernat, totus eò intentus, ut suis electis sit benè. Insinuat S. Matth. cap. 9 v. 29. piam fœminam, quæ sanguinis fluxum patiebatur accessisse retrò, ut tangeret fimbriam Christi D. sed si retrò ccessit, si à facie Domini se voluit abscondere, quomodo vidit illam Christus D.? Eleganter respondet S. Chrysologus Serm. 34. *Retrò accessit mulier -- & ibi faciem quam declinabat invenit. Erat in Christo corpus multiplex, sed erat Deitas simplex; Erat totus oculus, ui post se supplicem videbat.* Clarius, Christus D. totus fuit oculus amoris & misericordiæ, miserorum incolumitati semper invigilans; ad cujus nutum Cherubini Principes ejus providentiæ, vivæ imagines in circuitu ornantur oculis, & instruant viros Apostolicos, ut Cherubinorum instar, animarum saluti, multis oculis provideant.

Miror si non cogitatis; Ergo S. Xaverius oculatus fuit Cherub; quia erga proximũ, imo erga barbaros, gentiles, idololatras, erga Orientem jacentem in tenebris, quia erga miseros, totus fuit oculus amoris & misericordiæ. In angulo navis jacuit infirmus, quem non statim fuit intuitus hic oculus? Immensa Dei charitas haud disparem in Xaverii animo charitatem hominum accenderat, quæ nec cessare unquam illum, nec defatigari patiebatur. Nisi pro bono proximi subinde complicaret alas, & staret cum fructu. Hæc charitas, hic oculus amoris & misericordiæ, illum ubique ægris, vinctis & miseris quasi servum addixit, contagiosisque morbis inter ipsa funera obiecit intrepidum. Hæc charitas, hic oculus misericordiæ, ad barbaras efferatasque gentes, vel cum aperto capitis discrimine instituendas impulit, atque apud eas, quamdiu opus fuit, retinuit omnium rerum inopia laborantem. Hæc! contẽptis exæstuantis Oceani fluctibus, piratarum latrociniis, incommodis infinitæ navigationis ad ultimas usq; gentes perduxit, ut Japones quoq; Evangelii penitus ignaros aggregaret Ecclesiæ. Et tamen cum tot jam terras, tot maria emensus, omnibus prope

§. II. Tales oculos habuit S. Xaverius in exercitio operum misericordiæ, spiritualis & corporalis.

maritimis regionibus Orientis, Evangelio lustratis, ad ultimum mundi terminum pervenisset, eadem hominum charitas illum impulit, ut oculatus Cherub, amoris oculum conjiceret plus ultra, ut Sinarum claustra severissimis legibus & custodiis firmata tentaret, vel cum aperto mortis periculo, adeo inexhausta animarum aviditas, nihil invium, nihil metuendum videri sinebat. Incredibile dictu est, quantopere vigilantissimi S. Xaverii oculi, in mortaliũ salutẽ, & Evãgelii doctrinã propagandũ fuerint intenti.

§. 12. *Prosecutio.* De S. Xaverii oculis erga miseros, quoad opera corporalia misericordiæ quid dicam? In quo Noscomio, quod S. Xaverius fuit ingressus, jacuit æger, quem oculus Xaverianæ charitatis, non illicò conspexit? In quo carcere, in quibus vinculis detentus fuit captivus, à quo Xaverius averterit oculos amoris? in cujus navis angulo delituit languidus, qui amicis radiis à S. Xaverii oculis evibratis non fuerit recreatus? Quis fuit famelicus, quis sitibundus, quis nudus, quem Xaverii charitas non cibaverit, nõ potaverit, non induerit vestimentis? quis tristis vel afflictus, cui Xaverius non fuerit consolator. Miserorum lectos & grabatos circumire, mœstos blandè consolari, perditos cœlestis vitæ spe recreare, confirmare moribundos, omnes ad patientiam, ad honestatem sanctitatemque vitæ acriter impellere, ad latera insanabilium dies noctesque hærere; valetudinarium everrere, purgare sordes, abjectissima quæque ministeria exequi, mortuos denique ipsos de more ablutos ritè sepelire; talia opera misericordiæ S. Xaverius tam insolitâ alacritate atque lætitia, tantâ curâ & solicitudine peragebat, ut totus videretur oculus. Xaverii cor, plenum oculis, Xaverii lingua, plena oculis, Xaverii pedes & manus, pleni oculis. Verbo, Sanctus Franciscus Xaverius in operibus misericordiæ, spiritualis & corporalis, oculatus, alatus, & igneus fuit Cherub. Tam igneus & animosus, ut sui victor, manantem ex vulneribus saniem semel atque iterum exsugere non horruerit,


§ 13. *Cherub cũ romphæa ignea collo-* In una adhuc imagine, vobis ostendam, qualis Cherub fuerit S. Franciscus Xaverius, & finiam. Gen. c. 3. v 24. dicitur: quod postquam Adamus ejectus fuit ex paradiso, Dominus ante

ejus

ejus portam collocaverit Cherubim cum flammeo gladio. Semper hactenus ejus fui opinionis; contigisse hoc ad hominum terrorem; sed legi cum jucunditate Interpretem, qui ait, non fuisse illam romphæam, gladium iræ vel furoris, sed amoris; non evibrari ab illa radios vindictæ, sed scintillas veniæ, non minitari vulnera & neces, sed portendere amorem & consolationem erga miseros. Cherub ille non fuit inimicus, sed amicus: tremulæ flammæ indicia fuerunt amoris & desiderii, quo flagrant Cherubini, ut paradisum rursum ingrediamur. Gustum, quo hæc legi, auxit S. Chrysost. t. 3. serm. de Asc. *Quando homines puniuntur, Angeli tristantur. Et Cherubini, licet paradisum custodirent, tamen nostris suppliciis tristabantur; & sicut conservus bonus, cum à Domino custodiendum conservum susceperit, satisfacit quidem Dominicæ jussioni, sed tamen pœna conservi nimio dolore conteritur, & servitutis necessitate constrictus, animi non respuit charitatem: Sic & Cherubim meruerunt quidem custodire paradisum, sed dolebant honorem custodiæ.* *catus ante Paradisum.*

§. 14. *Fuit S. Xaverius.*

In forma talis Cherubini cogitate vos videre S. Xaverium stantem ante portam Orientis. Flammeus gladius est accensus ejus zelus & ardens desiderium omnia ejus regna subjiciendi Christo D. Accurrite Indi! non terreat vos hic gladius, non minatur interitum; offert salutem. Accurrite accolæ Oræ piscariæ; non adest Xaverius tanquam inimicus, sed amicus. Accurrite Malacenses, accurrite Japones; igneus gladius S. Xaverii terribilis non est, jaculatur flammas amoris; ideò tristatur Xaverius, hic dolor conterit cor ejus, quod non omnes Orientis populos, præsertim Chinam, luce Evangelica possit illustrare. Dolet S. Xaverius, tot animabus repleri infernum, quas omnes cuperet paradiso inferre. Hic dolor, non posse intrare Chinas, S. Xaverium potius interemit quam febris. Mors S. Xaverii me facit mutum. Tacebo itaque; sed ad pedes S. Francisci mox me abjiciam & ardentibus precibus hoc orabo, ut efficacissimâ suâ intercessione nobis obtineat introitum in Paradisum, ut ibi cum S. Xaverio æternum simus felices.



CONCIO LV.

FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

De qua natus est IESVS, qui vocatur CHRISTVS, Matth. 1. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

MAria, Paradisus, Cedrus, Abies, Juniperus, Fraxinus, Ros, Mel, manna in quibus omnibus, veluti speculis cernimus umbras, & symbola Immaculatæ ejus Conceptionis.

§. 1. *Maria comparatur Paradiso, sed cum variis differentiis, quæ favent Immaculatæ Virginis Conceptioni.*

§. 2. *Diluvium nullum intulit damnum Paradiso: multò minus peccatum Originale nocuit Mariæ.*

§. 3. *Terra Paradisi non fuit maledicta: multò minus MARIA.*

§. 4. *Maria Paradisus, plantatus in Oriente.*

§. 5. *Vndique conclusus.*

§. 6. *Maria Cedrus! ergo immunis à peccato Originali.*

§. 7. *B. Virgo in conceptione abies, juniperus, fraxinus ex monte Libani.*

§. 8. *Prosecutio.*

§. 9. *Descensus roris, probat Immaculatam Virginis Conceptionem.*

§. 10. *Maria instar roris descendit de cælo, ergo cælestis & immaculata.*

§. 11. *Descensus mannæ fuit nobilis figura Immaculatæ Conceptionis.*

§. 12. *Alia mannæ circumstantia.*

§. 13. *Maria, quomodo stilla vel gutta roris in Conceptione.*

§. 14. *Epilogus.*

Tri-

Digitized by Google

TRiumphat eloquentia SS. Patrum & Interpretum, cum Beatissimam DEI genitricem MARIAM, ob varias elegantes analogias comparant, loco voluptatis sive terrestri Paradiso. Docuit illos hanc comparationem cœlestis sponsus Cant. 4. v. 12. ubi ait: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus.* Illi vero præcipue Patres mihi placent, qui istis analogiis, & similitudinibus immiscent varias differentias, & disconvenientias, propter quas, Paradisus mysticus, sive Maria, terrestrem longè superat & excellit; præsertim cum illæ fortia suggerant argumenta, pro tuenda Immaculata Virginis Conceptione. Condidit DEUS paradisum, pulcherrimis floribus ornatum, talis Paradisus fuit MARIA; sed illum ingressus infernalis serpens, pulcherrimum florem innocentiæ in Adamo, virulento halitu infecit; Mariam hunc paradisum, hunc florem, hoc lilium, hanc rosam, licet plantaretur inter spinas, inficere non potuit. Condidit DEUS paradisum, purissimo aere undique illustratum, sed à peste peccati originalis fuit corruptus; absit, ut dicamus paradisum mysticum, ab hac peste, unquam fuisse corruptum. D. Basilius ait: *Illic plantavit DEUS paradisum, ubi nulla esset vis ventorum, nulla tempestatum intemperies, nulla grando, nulla fulmina, nulla procellæ ac turbines. Sed mox peccatum, in quod lapsus fuit Adamus, fuit ventus, tempestas, grando, fulmen, procella & turbo, qui illum ejecit è paradiso.* Aliter loquendum est, de paradiso Mariano. Plantavit enim Dominus hunc hortum, in prima plantatione, dum in utero Annæ prima ponerentur fundamenta, in primo momento Conceptionis, in tam sublimi gratiarum vertice, & charitatis fastigio, ut nullæ unquam permutationes humanæ infelicitatis, aut perturbationes vitiorum excelsum illud viridarium potuerint attingere. Primi peccati nimbus & tempestas omnes obruat; Originale delictum velut grandine & fulmine omnes filios Adæ jaculetur, eosque feriat & exurat, tentationem venti & procellæ involvant omnes filios Adæ; & Mariæ paradisus, qui sublimitatem suam usque ad DEI solium erexit, ab his ærumnis & periculis fuit immunis: non pro-

§. 1. *Maria comparatur paradiso, sed cum variis differentiis, quæ favent Immaculatæ Virginis Conceptioni.*

cel-

cella, non turbo, non fulmen primi peccati istum excelsum & paradisiacum montem tetigit, sed in eo veris gratiæ, æterna jucunditas, in perpetuum durant, aura Spiritus Sancti flat lenissima semper, nec fulgur peccati in eo cecidit, nec vitiorum irruit incursus. Hic paradisus nullas unquam peccati admisit tenebras, nulla fuit obscuratus caligine, sed virtutum & gratiarum fulgoribus semper fuit illustratus.

§. 2. *Diluvium nullum intulit damnum Paradiso: multò minus peccatum originale nocuit Mariæ.*

Curiosam, piam tamen quæstionem de Paradiso proponit doctissimus Abulensis quæst. 15. in c. 7. Genesis, an aquarum diluvio omnis terra fuerit demersa, & consequenter Paradisus. Et respondet. *De solo monte Paradisi terrestris est ratio dubitandi, quia ibi jam erat Enoch ne extingueretur. Proinde locus Paradisi non debuit lædi tanquam habitatio sanctorum: ideo non debuit illuc intrare deluvium, licet ascenderet ad majorem altitudinem, maneret tamen aqua circumfusa, in modum muri.* Quod confirmat quæst. 9. in in cap. 2. Gen. loquens de Paradiso & diluvio. *Non est illapsa in eum aqua, quia stetit circumfusa, ut murus utrimque, sicut fuit aqua maris rubri, transeuntibus Judæis.* Ita singulari prodigio, & vi altiori de cœlo, tantæ aquæ fluctus fuerunt cohibiti, ne effluerent in paradisum, ut esset umbra & imago Paradisi Mariani; licet enim omnes Adami posteri originalis culpæ diluvio obvolvantur, & in illo pereant. Maria tamen, habitatio sancti sanctorum, ab omni sceleris colluvie mansit intacta.

§. 3. *Terra paradisi non fuit maledicta, multo minus Maria.*

Similis proponitur quæstio de terra Paradisi, an illa soluta fuerit à legibus primæ maledictionis; an subjacuerit communi orbis terræ execrationi, prolatæ à Deo ad Adamum Gen. 3. vers. 17. *Maledicta terra in opere tuo.* Moyses Syrus respondet. *Nequaquam terra paradisi subjecta fuit execrationi atque damnationi: hæc enim in eam modo terram pronuntiatæ sunt, quæ extra paradisum est, post violatam ab Adamo legem, ita ut paradisus ab ipsis maneret immunis, liberque.* Et quare asseremus Deum paradiso Mariano unquam fuisse malè precatum? vel diris eam peccati originalis devovisse? In reliquam terram, id est, totam Adami posteritatem maledictio illa prolata fuit; non in terram benedictam horti Mariani. Paradisus Mariæ ab istis execrationibus divinæ vindictæ mansit immunis.

Pul-

Digitized by Google

Pulcherrimum admirabilis decoris flosculum benedicto Mariano Paradiso injicit Angelicus Doctor S. Thomas, dum enim de ejus structura, initio atque fundamento disserit 1.p.q. 102. ait: *Est autem paradisus locus in Orientis partibus constitutus, cujus vocabulum à græco in latinum vertitur hortus. Convenienter autem in parte Orientali dicitur situs, quia credendum est, quod in nobilissimo loco totius terræ sit constitutus; cum autem Oriens sit dextera cæli, ut patet per Philosophum in 2. de cælo. Dextera autem est nobilior, quam sinistra, conveniens fuit, ut in Orientali parte paradisus terrenus institueretur à Deo.* Fundatur hic discursus. in vers. 8. cap. 2. Gen. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* LXX. legunt. *Plantaverat Deus paradisum in Eden, ad Orientem.* S. Hieronym. & Aquila legunt, *ab exordio.* Symmachus, *à prima*, scilicet, constitutione, Theodotio, *in primis*, scilicet, fundamentis. Quæ omnia structuræ, & primæ plantationi Paradisi Mariani, sive ejus Conceptioni, præluserunt. Nam Maria, ab exordio temporis, à prima particula temporis, à primo momento, quo fuit concepta, posita fuit in Oriente, gratiæ cœlesti lumine ornata, & circumfusa. Stent Patriarchæ omnes à sinistra, stent omnes Apostoli, &c. hoc est, concedo omnes Adami posteros concipi & nasci in Occidente, in tenebris peccati Originalis, Mariæ, Matri Dei debetur hæc prærogativa, ut ab Oriente, ut in prima Conceptione, in prima particula temporis, quo vivere cœpit, stet in loco nobilissimo ad dexteram Filii. §. 4. *Maria Paradisus plantatus in Oriente.*

Ideo non sine mysterio sponsus sponsam, vel Christus D. dilectam suam Matrem, vocavit hortum conclusum. Alanus Ser. 1. de laud. Vir. *Conclusus undique, nullis diabolicis patuit accessibus.* Hailgrinus Card. in Cantica. *Hunc hortum ita clausit Deus, ut nulli maligno pateat ingressus. Conclusit eum tota SS. Trinitas, Potentia Patris munivit Virginem contra diaboli violentiam, sapientia Filii contra hostis fraudulentiam, Bonitas Spiritus S. contra ejusdem malitiam.* D. Bruno l. de laud. Eccl. c. 1. de paradiso. *Hortus conclusus est Maria? Recedant igitur latrones, recedat & diabolus princeps latronum, qui semper circuit, quærens quem devoret. Sed hortus conclusus fuit* §. 5. *Maria, hortus conclusus.*

Maria, fons fuit signatus, nec poma, nec aquam surripere potuit.

§. 6. *Maria Cedrus, ergo immunis à peccato Originali.*

Aliquot Paradisi hujus arbores offerunt folia & flores, pro illustri Corona, ut illi aureis literis inscribatur, *Virgini Immaculatæ Conceptæ.* Ecce cedrus arborum altissima, pronum inclinat verticem, ut inde flores decerpamus! Ob abscondita mysteria sub cortice hujus arboris, Ecclesiasticus in persona Mariæ de se ait cap. 24. vers. 17. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Jam audite encomia SS. Patrum. Hugo Cardin. *Cedro se comparat primo Virgo Maria, quia cedrus Libani materia fuit templi; & B. Virgo Corporis Christi, quod est secundum templum. Item Cedrus sine vermibus est, quia imputribilis est, B. Virgo sine verme fomitis fuit. Item Cedrus semper viret; ita Beata Virgo semper vincit per gratiæ viriditatem. Item Cedrus odore suo fugat serpentes, & Beata Virgo dæmones. Cedrus magnas & altas habet radices, similiter Virgo, ex quibus orta est Abraham, Jesse, David. Cedrus odorifera est, & odor humilitatis B. Virginis totam respersit Ecclesiam, imo usque ad cælum veniens, deduxit in terras Filium Dei. Cedrus alta est super omnes arbores, & B. Virgo super omnes mulieres.* Audiendus quoque est Jacobus Christonopolitanus Ep. in Cant. *Cedrus est arbor altissima, quæ maxime crescit in Libano, & est arbor valde odorifera, & omnis veneni fugativa. Et ideo in monte Libano, & ubicunq; crescit illa arbor, nullus potest vivere serpens, nec vipera, nec animal venenosum; per quod lignum figurabatur anima Cedrina Virginis Mariæ; hanc enim animam Filius Dei creavit, & in creando, & gratificando in illam carnem jam primo sanctificatam, & mundatam à fomite Evæ, infudit, & ideo antiquus serpens, non potuit illam mordere, nec suo originali veneno inficere.* Audiendus Picus Carthusianus l. 1. in Cant. c. 15. *Est autem Cedrus arbor altissima, odorifera multum, venenosorum propulsatrix efficacissima. Quid itaque ligna Cedrina* (quorum mentionem facit sponsus Cant. 1. versu 17.) *nisi animas utriusque* (Christi & Deiparæ) *natura immortales insinuat, quæ longe suavius ob concreatam gratiam odorantes, venenosum omne, nedum originale maturius excluserunt.* In quibus omnibus Cedrus Libani deprædicat Mariæ puritatem, & immunitatem ab omni peccato.

Emi-

Eminet in Libano cum Cedro Abies, de quo ligno Oſeas cap. 14. verſu 9. dum de populo Iſraelis agit, ait ex ore Domini. *Dirigam ego eum, ut abietem virentem.* L X X. legunt, *ut juniperum.* Additque S. Hieronymus, *De juniperis juxta* LXX. *Interpretes, Salomon januas templi feciſſe memoratur.* Nam ubi vulgatus textus lib. 3. Reg cap. 6. verſ. 34. legit. *Duo oſtia de abiegenis alterinſecus, & utriuſque oſtium duplex erat, & ſe invicem tenens aperiebatur & ſculpſit Cherubim & palmos.* Ibi LXX. legunt, *fecit januas ex lignis juniperinis.* Secundum alios *ex fraxino.* Unde aliquorum opinio fuit, portas quoque arcæ fuiſſe conſtructas ex lignis fraxinis. Quot myſteria pro immaculata Virginis Conceptione? Quid ſunt duo oſtia templi, niſi JESUS & Maria; fulgidæ cœli portæ, per quas ad atria Cœlitum patet aditus, ſicut enim Adam & Eva paradiſi januas ſuis poſteris obſtruxerunt, ita JESUS & Maria ſuis meritis reſerarunt; ſed utriuſque caro & ſpiritus, (à principio, à prima hora, à primo exordio, quod de Chriſto D. fides docet) fuerunt abietes, juniperi & fraxini, montis Libani, quia in his arboribus immaculatæ puritatis forma reſplendet. De abiete refert Plinius lib. 16. cap. *Rami non flectuntur in terram, ſed in cœlum erecti ſunt, atque ex lateribus utrimque prodeuntes ſurculos emittunt Crucis figura.* Ut Virginem denotent nunquam inflexam in terrena peccati contagia, ſed ſemper ſtetiſſe erectam, perfruentem jucundo aſpectu cœli. Sed omnis virtus, ſtatura, pulchritudo, & gratia promanavit à Cruce Redemptoris. Per juniperum quoque denotatur, Virginem extitiſſe ſerpenti peccati Originalis inacceſſam. Nam juxta Plinium lib. 24. cap. 8. *Iuniperus altera major, altera minor. Vtraque accenſa ſerpentes fugat.* Quomodo ergo Animæ B. Virginis, quam dicimus in primo vitæ momento, quo puriſſimæ Carni in utero S. Annæ conjuncta fuit, à Spiritus S. flamma divini amoris fuiſſe accenſam, infernalis ſerpens nocere potuit? Fugavit illum hic cœleſtis ignis.

§. 7. B. Virgo in Conceptione Abies, Juniperus & fraxinus ex monte Libani.

Sed majus adhuc myſterium latet in fraxino, de qua idem Plinius lib. 16. c. 13. *Contra ſerpentes tanta illi ineſt vis, ut ne* *§. 8. Proſecutio.*

matutinas quidem occidentisque umbras, quam sunt longissima, serpens arboris ejus attingat; adeo ipsam procul fugit. Experti prodimus, si frondi ea claudatur ignis & serpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugere serpentes. Jam advertite quare cœleste hoc ostium, hoc est, Virginis Conceptio, ita dirigente Spiritu Sancto, fuerit compositum ex fraxino, ut sciamus, inter Virginem constitutam sub umbra fraxini sanctissimæ Crucis, & inter serpentem, jam à principio, tantam fuisse inimicitiam, tantum odium ut primo conceptionis momento, ab illa fugerit. Tantam Maria, vel à primo vitalis auræ halitu, venenato isti serpenti formidinem injecit, ut vel solam ejus umbram fugerit. Detur electio serpenti, aut Deiparæ fraxinum, aut ignem tangere malit, intactâ relictâ divinissimâ fraxino, igni infernali comburi. Supersunt rami palmarum, & Cherubini, quos Salomon sculpsit in ostio templi. Rami palmarum præluserunt victoriæ, quam Beata Virgo obtinuit, dum caput serpentis contrivit, igneus Cherub fuit, qui flammeâ romphæâ serpentem arcuit ostio divinissimi hujus templi.

§. 9. *Descensus Roris probat Immaculatam Virginis Conceptionem.*

Horti, montes, arbores & flores gaudent cœlesti rore, hinc pinguedo & fertilitas. Super montem Libanum, DEUS per os Oseæ, cap. 14. v. 6. hanc protulit benedictionem; *Ero - illi - quasi ros, & - germinabit sicut lilium.* Non dubito, quin Lilium saltem ore prolatum statim in vobis excitet jucundissimas cogitationes de immaculata Virginis Conceptione; verùm flores, qui ejus sunt symbolum, ad aliam differo panegyrin; modò ex stillis roris cupio nectere elegans monile, & appendam pectori Immaculatæ Virginis. Cujus uterus fuit mons aspersus rore, cum JESUM concepit melle & ambrosiâ suaviorem, qui velut favus mellis, ab apicula, hoc est, à Spiritu sancto in cera Virgine fuit formatus. Albertus M. *Favus est cera Virginea, ex qua mel distillat; Et significat dulcedinem Deitatis in puritate carnis.* Item. *In agro humanæ naturæ apparuit dulcedo divinæ naturæ.* S. Ambr. *B. Virgo rore cœlesti, id est, gratiâ Spiritus S. pasta, Virgo permansit, & paradisi dulcedinem generavit.* Vatablus ait: *Hac re* (id est rore) *signi-*

gnificatur omnis suavitas. Sicut enim Maria est omnium gratiarum congregatio & oceanus, ita gaudiorum, suavitatum, saporum, dulcedinumque est abyssus. Quod de se prædicat Ecclesiastici 24. v. 27. *Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel.* addit Dion. Carth. *omni creaturâ corporali, ac spirituali suavior; utpote melior, amabilior, amorosior, benignior, jucundior.* Quid sequitur? hoc! Si Maria tota est dulcedo, suavitas, nectarea, mellea, procul ab ea extitit peccati amaritudo, & exitialis pomi acerbitas, quo degustato, parentum & filiorum dentes obstupuerunt.

Exprimamus amplius rorem Libani. Ros est Maria, instar roris matutino & cœlesti lumine progenita, tota cœlestis, & velut è sacro DEI domicilio, imò sacratissimo DEI pectore (ut ita loquar) emissa, & Virgo de cœlo delapsa, prorsus immaculata & immunis à delicto Originali. Rore aspersum montem appellemus Mariam, quia est subtilis, & splendida, & suavis Virgo, quæ velut cœlitùs veniens, cunctis populis, cibum dulciorem melle defluxit. Et cogitare potestis illam venisse de cœlo, illam, veluti rorem defluxisse ex pectore Sanctissimæ Trinitatis, sordidam, infectam, maculatam turpissimâ maculâ peccati Originalis? moriar ego potiùs quam ut talia cogitem de divino hoc rore, qui JESUM nobis distillavit. Quidquid de cœlo venit, totum est cœleste, & alienum ab omni labe peccati.

§. 10. Manna instar roris descendit de cœlo, ergo cœlestis & immaculata.

Cùm Manna nihil fuerit nisi melleus & suavissimus succus roris, S. Ambrosius dixit: *Quin potiùs ipsam Mariam Manna dixerim.* Miratus fui inprimis hanc appellationem, quæ mox summopere mihi placuit, cum adverti, quam elegans suggerat argumentum pro immaculata Virginis Conceptione in utero Annæ peracta. Caput 16. Exodi v. 13. ait: *Mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset super faciem terræ, apparuit in solitudine.* Accipe arcana prorsus Abulensis verba, succo & dulcedine plena, ad immaculatæ Mariæ præconium, quæst. 6. sic scribit: *Dicendum ergo, quod ad descensum manna erant duo, scilicet pruina & manna, & considerandum quod antequam aliquid descenderet, Deus mittebat ventũ, qui purgabat superficiem terræ ita*

§. 11. Descensus Mannæ fuit nobilis figura immaculatæ Conceptionis.

ita ut nullæ ſordes manerent, quæ manna deſcendens maculare poſſent. Deinde deſcendebat pruina, poſtea manna. Et iſta duo patent Numer. cap. 11. cùm dicitur, cumque deſcenderet ros, deſcendebat pariter, & manna, id eſt, ſuper rorem deſcendebat manna. Terrenus & cœleſtis apparatus in mannæ genitura intemeratæ generationis præludia in Deipara extiterunt; quando velut manna aut ros melleus matutinus in Annæ uterum venit, ſubtilis de cœlo gratiæ flatus adveniens omnem abſterſit ſpurciciem, & ſordes, terramque perpurgavit, ut cœlum, manna, ſuper purgatam terram gigneret, & feliciſſimus conceptus primo momento eſſet liber à ſordibus peccati Originalis, & ut anima Mariæ creata, velut cœleſtis effluxus, matutinus & candidus liquor, incontaminatæ Carni uniretur. Vel, terram nuncupa ſanctiſſimum Annæ uterum, ſed terram promisſionis fluentem Virgineo melle, quam flatus auræ tenuis, id eſt, Spiritus S. ita purgavit, ut nihil de protoplaſti contagio ſubſequentem genituram inficeret. DEUS mittebat ventum, qui purgabat ſuperficiem terræ, ita ut nullæ ſordes manerent, quæ manna deſcendens commaculare poſſent. Subtiliter S. Damaſcenus. *Quoniam futurum erat, ut DEI genetrix & Virgo ex Anna oriretur. Natura gratia fœtum antevertere minimè auſa eſt; verùm tantiſper exſpectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* In omnibus aliis Adæ poſteris, Natura per peccatum corrupta, nullum timet, omnes inficit; ſolam DEI genitricem inter puros homines reverita eſt; eique ratione eximiæ futuræ dignitatis honorem detulit, & exſpectavit, donec gratia & corpus & animam Virginis in primo momento Conceptionis ſanctificaſſet. Hîc natura primas detulit gratiæ, & in Virgineum ſacratisſimumque fœtum permiſit intrare; hinc eſt, quod ingreſſum deinde non invenerit culpa in Virginem, quam totam præoccupaverat gratia. Ingreſſa deinde eſt Natura, ſed polita, ſed compta, ſed ornata ſtillicidiis cœleſtis roris, ut Seraphinis formoſior conderetur Virgo, & Mater.

§. 12. *Alia ejuſdē mannæ circumſtantia.* Non poſſum omittere unam adhuc circumſtantiam de deſcenſu cœleſtis roris & mannæ; ex Toſtato quæſt. 6. in c. 6. Exod. *Non cadebat in caſtris inter tentoria, quia loca caſtrorum erant im-*

mun-


munda, propter multas faces hominum, & jumentorum. Et statim: *Loca separata à castris, in quibus cadebat manna, erant ab omni contagione sincera, & herbosa, vel saltem terra non soluta in pulverem; cum jumentorum pecorumque ungulæ, & humani pedes eam non attrivissent.* Hæc omnia, ut ostenderetur Mariæ immunitas à peccato Originali, & quod purissimus ejus spiritus, unitus est corpori, in quo, veluti terra, nec leo, nec serpens, nec alia mala bestia invenissent semitam, nec aliquod originalis criminis impressum, aut inventum vestigium.

Non diffiteor, aliquem de tanto & tam extraordinario Virginis privilegio, admirabundum posse quærere cum Jobo cap. 38. v. 28. *Quis genuit stillas roris?* Hoc est, unde tam admirabilis Virginis Conceptio? sed respondeo. Duas stillas vel guttulas reperio in S. Script. JESUM & Mariam. De prima ait sponsa c. 1. v. 13. *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Græcus textus habet: *Alligamentum guttæ.* Maria vero, quoad etymon nominis, idem est, quod *stilla maris.* Quis ergo has duas guttas, sive JESUM & Mariam generavit? admirabilis utriusque conceptio explicatur per generationem roris, de quo ait Arist. l. 1. Meteor. c. 10. *Roris formatio, magis in temperie cœli, locisque clementioribus est, & efficitur, cum apertum & placidum est cælum, neque ventorum est exagitatio. Ros ubique gignitur, Austrinis temporibus non Aquiloniis.* Aptissimum effatum, pro Immaculatæ Virginis Conceptione. Fuit enim sanctissima Puella in utero Annæ formata, cœlorum suavissimâ temperie, clementioribus gratiæ auris, & blando serenæ tranquillitatis influxu; nec maculæ originalis nubilum, nec criminis alicujus tempestas, aut hostilis flatus, Mariæ serenitatem in suo conceptu perturbavit, procul fuit abactus Aquilonis sive peccati flatus, qui Angelos de Empyreo cœlo deturbavit, & homines è paradiso ejecit. sed dum DEUS novum Mariæ orbem, & tantam Genitricis suæ molem, condere Creator intendit, Aquilonem procul pepulit, Austrum allexit, ut leniter aspiraret, fieretque sanctissimus partus.

§. 13. *Maria, quomodo stilla vel gutta roris in Côceptione.*

In Epilogo invita flores ex Paradiso, Arbores ex monte Libano, omnes guttas roris, &c. ut aggratulentur Mariæ, de Immaculata Conceptione. CON-

§. 14. *Epilogus.*



CONCIO LVI.

FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Dominus meus & Deus meus:

Joannis 20. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVanta patientia & longanimitate Deus sustineat, & toleret impios: donec quasi cogatur ad punitionem, punitionem illatam ipse sentit. Gaudet, dum tandem post longas moras triumphat de peccatore, quod fit, dum impius convertitur à viis suis, & totus immutatus, revertitur ad Dominum suum. Plurima in hoc discursu possunt applicari S. Thomæ.

§. 1. *Deus justus & misericors.*

§. 2. *Componitur quædam lis, inter Divinam Justitiam, Omnipotentiam, & Misericordiam.*

§. 3. *Cur Jesus Matthæi 21. maledixerit ficui.*

§. 4. *Amor Christi D. non punientis statim peccatorem explicatur simili.*

§. 5. *Longanimitas Dei facit Omnipotentiam magis splendescere.*

§. 6. *Elegans testimonium Tertulliani*

§. 7. *Deus magis est pronus ad misericordiam, quam ad vindictam.*

§. 8. *DEUS punit invitus. Cogitur quasi à peccatore.*

§. 9. *Dolet cum punire cogitur.*

§. 10. *Quare Deus differt subinde admonitionem.*

§ 11. *Tandem patientia Dei vasa ira*

Digitized by Google

ira & ignominia, transformat in vasa misericordiæ.

§. 12. *S. Pauli conversio fuit facinus divinæ longanimitatis.*

§. 13. *Deus longanimis, sapientissimus Agricola.*

§. 14. *Tolerat Deus peccatores, ut illos immutet.*

§. 15. *Peccatorem, durum sicut crystallum, liquefacit bonitas Dei.*

UT in hoc discursu ostendam, quanta Dei sit Patientia in exspectandis peccatoribus (qualis in aliquot dierum pertinacia fuit S. Thom. dum Resurrectionẽ sui magistri noluit credere) quanta, inquam, sit Dei Patientia, utar inprimis verbis Euthymii Monachi, cum ait. *Movent quidam dubitationem; si justus est Deus, & condignas tribuit pœnas, quomodo potest dici misericors? ad quod dicendum est: justum quidem Deum esse, veluti qui condignas cuique tribuit pœnas, sed misericordem esse etiam, quia non statim castigat, sed sustinet; & pœnitentiæ ac conversioni tempus tribuit, nec dæmonem sinit omnia perficere, quæ ille optat, & quia omni denique ex latere, nostram misericordiam sitit* Quæ majora pietatis, & patientiæ indicia, quam peccanti, non statim irrogare pœnam, sed diu sustinere improbitates ut inveniant pœnitentiæ januam, & iniqui dæmonis ligatas continere manus, insanum ejusdem impetum & furorem coercere, ne statim, quod vellet, inferat exitium, & quis coercet? sola immensa Dei clementia etiam irritata variis injuriis, & frequenter horrendis mortalium sceleribus, sustinet tamen; & à manu atque ira inflammati tortoris nos reddit incolumes. §. 1. *Deus justus & misericors.*

Dubitationem quam paulo ante proposui ex Euthymio, si justus est DEUS, & punit, quomodo dici potest misericors? reperio etiam apud S. Chrysostomum super versum 12. Psalmi 7. *Deus judex justus, fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies?* Alii legunt, *quia longanimus, & iram non afferens, vel referens per singulos dies.* Alii legunt, *minans, fremens, - sed - non puniens*, scilicet statim. Ubi cit. S. Chrysostomus sic discurrit. *Si est justus, volet omnino punire impios, si* §. 2. *Componitur quadam lis inter Divinã justitiã, Omnipotentiam Misericordiam.*

fortis, omnino poterit. Et ubi est clementia, si ex justo judicabit. In eo, quod non statim pœnas infligat. Et subdit: *Ne quis stultus existimet, quod propter imbecillitatem non exequitur, ostendit causam dilationis, quod magna habeat spatia, & magnam mensuram Patientiæ.* Non est defectus justitiæ, vel potestatis, quod non statim puniat, sed est superabundantia pietatis, & longanimitatis; numera si placet innumerabilem numerum peccantium, numera si potes, milliones horribilium scelerum, quibus toto terrarum orbe quotidie Divina Majestas offenditur? non ideo imitatur Divina Bonitas, ut propterea justitiæ & potestati statim in manus largiatur gladium vindictæ, majora sunt spatia Divinæ Patientiæ.

§. 3. *Cur Iesus Matth. 21. maledixerit ficui.* Matth. 21. vers. 18. Christus D. salvator noster, esuriens, mane revertens in civitatem, *vidit arborem fici, secus viam, & venit ad illam, & nihil invenit in ea nisi folia tantum & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. Cur ficum ariditate plectit?* quærit S. Athanasius, & respondet, quæst. 22. in parab. *Quid peccavit ficus, quod Christus eam arefecit? quonam id proposito fecit? & quomodo? Quoniam Dominus passurus jam erat, ne existimarent ejus discipuli, eum omnipotentem non esse, sed infirmum, ideoque pateretur, in hac inanimata re suam declaravit potentiam, ut ostenderet, quod omnes adversarios suos ariditate percutere posset. Sed quemadmodum dixit ipse, quia non veni ad condemnandum mundum, sed potius ad servandum, suam quidem potentiam, in inanimata ficu declarat, suum autem erga homines amorem, immensa patientia erga homines exercet.* Quam pulchra omnipotentiæ, & misericordiæ in ariditate ficulneæ conciliatio! Omnia potens virtus consulit misericordiæ: dum frondes & viridantia ficulneæ folia, subito convertit in paleas & aristas destinatas flammis; ostendit, se pari ratione aridos peccatores quovis momento posse præcipitare in gehennales flammas, dum non facit, immensam patientiam ergo homines exercet.

§. 4. *Amor Chri-* Infinitus hic Christi Dom. amantissimi Patris erga peccatorem

torem amor hoc declaratur simili. Sicut parens, dilectissimi filii aliquod scelus juste puniturus, ira quidem offervescit, graves ei intentans minas; furorem tamen, non in filium, sed proximam aliquam statuam, vel fenestram, vel mensam effundit, ut sic verbera præcaveat à filio, sic se in hac ficulneæ parabola habet Christus D. Verba minantia tanquam urentem ventum immisit in arborem, ut momento aresceret; omissis peccatoribus, quos veluti infructuosas & aridas plantas, in nunquam interituras flammas potuisset proiicere. Si fortassis nihilominus, tempore passionis, visus est alicui destitutus viribus & potentia, improperium sustinere maluit, nec voluit eos punire, imo in Cruce pendens à Patre veniam pro illis postulavit, ut inter humiliatæ & obscuratæ Omnipotentiæ tenebras, Patientia fulgeret, Clementia splendesceret, Misericordia triumpharet. *Ali D. non punientis peccatorem explicatur simili.*

§. 5. *Longanimitas Dei auget ejusdem Omnipotentiam.*

Neque in hoc quidquam Omnipotentiæ derogatur, splendescit inde potius. Patientem Christum Dom. obiter ob oculos vobis ponite. Blasphemiis impetitur, sputis inficitur, flagellis cæditur, spinis pungitur, clavis affigitur; & tamen inter tanta scelera, probra, contumelias, blasphemantium linguas, & tamen Omnipotentiam suam, ad iram & vindictam incitatam continuit, in hoc Omnipotentiæ suæ vires vel maxime declaravit; dum à sceleratissimorum Judæorum vindicta se continuit.

§. 6. *Elegans testimonium Tertull.*

Eleganter de invicta hac Dei patientia floridissimus Tertullianus cap. 2. lib. de patien. *Deum ipsum ostendens exemplum patientiæ, qui florem lucis hujus super justos & injustos æqualiter spargit: qui temporum officia, & elementorum servitia, dignis simul & indignis patitur occurrere; sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium & manuum suarum adorantes - tolerans - luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem, ut sua, sibi, patientia detrahat; plures enim idcirco non credunt, quia sæculo iratum tam diu nesciunt. Nihilominus* (Plutarchus) *Deum Optimum ac Maximum vindictam suspendere cernimus, debitumque sceleribus exspectare tempus.*

Digitized by Google

§. 7. *DEUS magis est pronus ad misericordiā quam vindictam.* DEI alacritatem, ad exhibenda peccatori beneficia, & tarditatem ad infligenda supplicia, eleganter observavit Oleaster in c. 8. Gen. dicens: *Ostendit Dominus, quod pronior sit ad miserendum, quam ad flagellandum, & quod vix ferre possit continuationem ad punitionem. Hoc enim illi peculiare est, ut ad momentum affligat, & ad multos annorum centenarios consoletur.* Id quod de eo pulchrè Isaias asserit cap. 61. *Prædicate annum placabilem Domino, & diem ultionis DEO nostro. Vbi vides ultionem die claudi, placationem verò ad annum usque durare*; Ut beneficia conferat, dilatat tempora, & ad annorum ambitus extendit: ut puniat, tempora coarctat, ad dies, horas, & momenta, flagella reducit. S. Ambrosius: *Cum irascitur, differt, cum miseretur, properat, ut absolvat.* Et D. Chrysost. *Cernimus DEUM tardum ad pœnam, velocem ad salutem.* Quid dulcius?

§. 8. *DEUS punit invitus. Debet quasi cogi à peccatore.* Sed væ peccatori, si DEUS tandem post longas moras, post immensa spatia Patientiæ cogatur ad punitionem; quod DEUS insinuat Gen. cap. 18. cœlestibus flammis sceleratos Sodomitas puniturus, ait enim v. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est.* Ubi Salvianus Massil Ep *Verè clamor, & grandis clamor est, quando pietas DEI, peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur. Ostendit Dominus, quam invitus puniat, etiam gravissimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum, ad se ascenderit. Hoc est dicere: Misericordia quidem mea mihi suadet, ut parcam* (ideò tam diu sustinens, tolerans, & exspectans exspectavi) *sed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam.* Ea tandem est peccatorum vis & malitia, ut vincant invincibilem DEI clementiam, & reluctantem cogant ad flagellum, vimque divinis manibus inferant, ut verberibus & flammis vitia castiget.

§. 9. *Dolet, cum punire cogitur.* Sed supereminet in ipsa punitione divina Misericordia, quæ ipsa quoque ostendit se sentire punitionem peccatoribus illatam. Ita ait Gen. cap. 6. v. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo hominem quem creavi.* Quod dixit (Abulensis q. 11. in cap. 6.) *quasi compatiens doleret de malo, quod eis illaturus erat*, instar optimi parentis, qui dum in filium cogitur sævire, intus dolet, & lamentatur. Mens S. Augustini fuit, Christum D. in Cruce,

plus

Digitized by Google

plus fuisse cruciatum, ruinâ synagogæ, quam prævidebat, quam propriis tormentis. *Miseriam quippe illorum miserans, etiam pendens in Cruce, Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Aptissimè S. Chrysostomus t. 2. hom. hom. 46. super v. 37. cap. 23. S. Matthæi: *Ierusalem! Ierusalem, quæ occidis Prophetas; Ecce ipse eos miserabili lamentatione plangit, dicens, Ierusalem, Ierusalem: nam DEUS invitus compellitur, cum magno dolore peccatores damnare. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur, perdere aliquem, qui cupit omnes salvare.*

Sed redeo ad primam materiam, & proponam causas ob quas optimus DEUS tam diu sustinet & tolerat peccatores. Non memini, me unquam legisse, quod nobilis S. Scripturæ Interpres refert, Davidē fere per anni circulum vixisse reum adulterii & homicidii, quo toto tempore, & pœnitentia Regis, & DEI vindicta procrastinata fuit, donec tandem à DEO ad Davidem Nathan Propheta ablegatus fuit, qui improbitatem Regi revocârit in memoriam. Sed, *Quare* (quærit S. Chrysost. hom. 5. de pœnit.) *protinus peccantem non correxit? Quoniam vidit in ipso peccati vigore obcæcatam peccantium animam, & obturatæ sunt aures in peccati fundo mersorum. Differt ergo, furibundæ passioni auxilium addens, tantumque post temporis correptio procedit.* Et cum ingenti fructu. §. 10. *Quare DEUS differat subinde admonitionē.*

Frequenter enim fit, ut postquam bonus DEUS flagellum diu prorogavit, postquam diu peccatorem sustinuit, tandem miser aliquo radio efficacis gratiæ illustratus è profundo emergat, oculos aperiat, agatque pœnitentiam; cum admiranda quadam mutatione & metamorphosi. Quam elegantissimis verbis deprædicat S. Paulus ad Rom. c. 9. v. 22. *Quod si DEUS volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam; sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitū, ut ostenderet divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Quibus verbis S. Paulus miraculosas enumerat mutationes; eadem enim omnipotentia & potentia Dei, quæ diu renuētes peccatores exspectat, tādē gratiâ excitatos cōvertit, & vasa iræ fuliginosa, vasa ignominiæ, damnationis trāsformat in vasa misericordiæ, gratiæ & gloriæ. O bonū & po- §. 11. *Tandē Patientia DEI vasa iræ trāsformat in vasa misericordiæ.*

Digitized by Google

potentem figulum! S. Ambrosius hoc loco: *Patientia & longanimitas DEI, ipsa est, quæ sicut malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam. Omnes enim sustinet, sciens exitum singulorum. Hoc est autem manifestare potentiam suam in multa patientia, quia diu dissimulat, quæ cum possit statim vindicare, diu sustinet, ut perfidi non possint conqueri damnati.* Hæc sunt opera admirabilis DEI sapientiæ! Ob hoc mysterium idem S. Paulus exclamavit: *O altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ DEI!* Peccatores alios, diu reluctantes, tandem tanquam ollas succensas, igne inextinguibili, fumantes confusione, & exhalantes fletum, tanquam vasa inutilia, & immunda, in inferorum culina reponit. Alios, etiam diu induratos, tandem pietate, misericordiâ & patientiâ DEI emollitos, peccata deflentes, finali gratiâ decoratos, immutat in vasa aurea, gemmis ornata & omni lapide pretioso, in abaco magni Regis collocat, & in mensa DEI reponit.

§. 12. *S. Pauli cõversio fuit facinus divinæ longanimitatis.*

Vas erat S. Paulus, plenum blasphemiis, spirans minarum & cædis in discipulos Domini, donec cum patientia Domini in vas electionis transformavit, ut JESU nomen portaret coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. Quam Pauli transmutationem S. Chrysostomus t. 5. hom. 5. de pat. ascribit DEI longanimitati. *Si velox ad pœnam fuisset DEUS, Paulum Ecclesia non possedisset; propterea distulit blasphemantem, ut DEI longanimitas ostenderet pœnitentem; Lupum in pastorem transtulit DEI longanimitas, Publicanum fecit Evangelistam. DEI longanimitas, omnium nostrum miserata, omnes convertit, reduxit omnes.* In quibus omnibus, *mutatio dexteræ excelsi* (ps. 76.) elucet. *Si videris* (pergit S. Chrysost.) *olim ebrium, nunc jejunare, si olim blasphemum, nunc Theologum, si eum qui quandoque turpibus cantilenis os inquinaverit, divinis nunc hymnis animum purgare; mirare DEI longanimitatem. Bonus ad omnes DEUS! in peccantes tamen præcipuè ostendit, benignitatem, & longanimitatem.* (fac elegantem digressionem ad S. Thomam, præcipua hactenus dicta illi applicando.)

§. 13. *DEUS longanimis, sapientissimus Agricola.*

Hanc DEI longanimitatem eleganti simili explicat Plutarchus libro de sera Numinis vindicta. *Quemadmodum agriculturæ inexpertus, regionem, quam densis cernit obsitam virgultis, plantisque*

tisque sylvestribus incultam, cœnoque plurimo quoquoversum inviam flocci pendit: rei verò rusticæ gnarus, hæc omnia fertilitatis indicia esse cognoscit, terræque ubertatem hinc discernit. Ita, & absurda, prava, ac importuna, magnæ aliquando producunt naturæ, quæ nos confestim præcidi, penitusque eradicari oportere arbitramur. At optimus ille Judex, utile ac generosum ex his discernens, ætatem horamque rationis, & virtutis cooperationem, quæ natura fructum debitum & opportunum ferat, ac reddat, benignè præstolatur, & exspectat

Ob eandem causam Matth. 13. cap. v. 30. ad servos, volentes eradicare zizania, paucula dixit verba, manantia de clementia: *Sinite utraque crescere ad messem*. S. Chrysologus ser. 98. *Hinc est, quod auctor utraque referebat ad messem, id est, usque ad judicium divinæ patientiæ suæ, & nostræ pœnitentiæ tempus, ut qui se de malo commutarit ad bonum, Dominicum deputetur in triticum cœlestibus horreis aggregandus.* Et D. Cypr. l. de patientia. *Cùm crebris, imò continuis exacerbetur offensis DEUS, indignationam suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter exspectat. Cumq; habeat in potestate vindictam, mavult Dominus tenere patientiam, sustinens scilicet clementer, & differens, ut si fieri potest, multùm protracta malitia aliquando mutetur.* Ecce causam ob quam Optimus DEUS tantâ patientiâ & longanimitate tolerat impios. (Fiat iterum digressio ad S. Thomam, cui ferè omnia dicta eleganter possunt applicari.)

§. 14. *Tolerat DEUS peccatores, ut illos immutet*


Et quis neget, DEI patientiam, in mutatione, vel conversione alicujus peccatoris esse planè mirabilem. Dum S. Augustinus more suo rimatur mysteria psalmi 147. perveniens ad versum 17. *Mittit crystallum suam, sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus, quis sustinebit? Emittet verbum suum & liquefaciet ea*; Super hæc inquam verba S. August. examinat crystalli naturam, & proprietates, & ait: *Quid est crystallum? multum obduruit, multùm congelavit. Non jam sicut nix facile solvi potest. Nix multorum annorum tempore durata, & serie sæculorum, crystallum dicitur.* Hæc deinde applicat obdurato peccatori, v. g. S. Paulo, dum esset Saulus & ait: *Ecce crystallus erat Apostolus Paulus, durus, obnitens veritati* (nunquid eadem de S. Thoma affirmari possunt?) *cla-*

§. 15. *Peccatorem durum, sicut crystallum, liquefacit DEI bonitas.*

mans

Digitized by Google

mans adversus Evangelium (adversus Christi Domini Resurrectionem) *tanquam indurans adversus solem. Ecce venit illud crystallum Saulus, post cædem & lapidationem Stephani, duritia quadam stupidus in Christum, petiit literas à sacerdotibus, ut undique exterminet Christianos, anhelans cædes, durus est iste & gelidus contra ignem Dei.* (Talis erat S. Thomas) *sed quanquam esset durus, tanquam gelidus; ecce ille, qui emittet verbum suum, & tabefaciet ea, clamavit de cælo fervidus, Saule, Saule! quid me persequeris? Una illa voce tanta illa duritia crystalli resoluta est.* Virtuti Jesu, & igni divinæ illius charitatis nulla durities lapidis resistere potest. Sol justitiæ de cœlo fervidus obviat crystallo, exsufflat radiis, missilia amoris immittit, & ad conspectum tantæ pulchritudinis & amoris cor Sauli liquatur, crystallum liquefit & lachrymarũ rivuli ex oculis defluunt. Multo minus miror hodie, quod cor increduli Thomæ, sicut cera, à facie ignis, à gloriosa facie Jesu resurgentis, à conspectu SS. Vulnerum, fuerit liquefactum? quid mirum, quod S. Thomas momento ab amore divino totus fuerit accensus? momento ejus cor fuit crystallinum speculum regerens solem Jesum, ejusque decorem. Tanquam ex speculo nitidissimo reflectuntur radii solis divini, quibus fuit accensus, & alios deinde accendit. Radii Christi resurgentis, ipsum reddiderunt igneum, amoris Dei fulgura & fulmina jaculantem. Quæ omnia nunquam contigissent nisi bonus Deus Thomam incredulum cum magna patientia, tolerasset, donec, &c. (poterit fieri pulchra multorum repetitio.)



CON-

Digitized by Google

CONCIO LVII.

FESTO NATIVITATIS CHRISTI DOMINI.

Gloria in altissimis Deo,
Lucæ c. 2. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXplicantur aliquæ Nativitatis hujus Circumstantiæ, v. g. Cur natus in Bethleem, in stabulo vel spelunca, cur involutus pannis? cur reclinatus in præsepio, inter bovem & asinum.

§. 1. *Præcipua Nativitatis Christi circumstantia.*

§. 2. *Cur Messias nasci voluit in Bethleem.*

§. 3. *Puer natus in Bethleem, accendit magnum ignem amoris.*

§. 4 *Nascitur in stabulo pauperrimus: simul ditissimus Infans.*

§. 5. *Cur nasci voluerit in spelunca vel antro.*

§. 6. *Cur pannis voluerit involvi.*

§. 7. *Iesulus, phiala aurea, plena unguentis vitæ.*

§. 8. *Panni Infantiæ Christi, quãta virtutis.*

§. 9. *David desiderans adventum Messiæ, tanquam Medici.*

§. 10. *Alloquium S. Ambrosii ad Christum Medicum.*

§. 11. *Et S. Augustini.*

§. 12. *Iesulus involutus pannis, fuit ligatus Agniculus a ad altare.*

§. 13. *Ligatus est, ne à nobis possit fugere.*

Digitized by Google

§. 14. *JESUS in cunis: Rex ligatus.*
§. 15. *Cur fuerit reclinatus in præsepio.*
§. 16. *Inter bovem & asinum.*

§. 1. *Præcipuæ Nativitatis Christi circumstantiæ.*

COgito paulo fusius explicare præcipuas circumstantias, quas refert S. Lucas Evangelista cap. 2. dum Nativitatem Christi D. describit, his fere verbis. *Cum à Cæsare Augusto exiisset edictum, ut describeretur universus orbis; ascendit Joseph, cum dilecta conjuge Maria, in Iudæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem; sed quia locus non fuit in diversorio, ingressi sunt quandam speluncam vel stabulum, in quo, quia impleti erant dies, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio inter bovem & asinum. Et pastores erant in eadem regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis, super gregem suum. Et ecce Angelus Domini, &c.* Omnia sunt plena mysteriis. Et inprimis, cur Filius DEI nasci voluit in Bethleem.

§. 2. *Cur Messias nasci voluit in Bethleem.*

De venturo Messia ait Propheta Abac. 3. v. 3. *Deus ab Austro veniet, & Sanctus ejus de monte Pharan.* ubi Venerabilis Beda dicit, hæc intelligenda esse, de Verbi Incarnati Nativitate, quæ quidem contigit in medio noctis, in tenebris, & brumali tempore, in magno frigore, sed in Bethleem, quam scimus positam esse in meridie, (ait Beda) quam causavit novus sol, sive natus Puer sole lucidior; ob quam causam idem Habacuc dixit, *splendor ejus ut lux erit*: Hoc est, Divinus puer nasci quidem voluit in tenebris, in frigore, sed in Bethleem, id est, in meridie amoris, illuminabitque tenebras, & frigora convertet in flammas.

§. 3. *Puer natus in Bethleem accendit magnum ignem amoris.*

Ita in Bethleem renovatum est ingens miraculum, quod contigit lib. 2. Mach. cap. 1. à v. 19. Ignis acceptus de altari, & absconditus in sicco puteo, dum populus duceretur in captivitatem Babylonicam, mutatus fuit in crassam aquam, diuque ita latuit, donec post reditum, inflammante Domino reaccensus est. Dum enim sacerdos Nehemias, ligna sacrificii, & victimas illa aqua aspersisset, *ubi tempus mane affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Dicunt SS. Patres mystice hoc fieri, cum in corde pœnitentis animę, post

post aquam sive lachrymas contriti cordis, accenditur in eo fervens dilectio Dei. Ego dico, hoc contigisse nocte præterita, contigisse in Bethleem. Quale hactenus in toto terrarum orbe fuit frigus in hominibus, in amore erga Deum? quales ignorantiæ tenebræ? qualis caligo? Sed hac nocte in Bethleem, in meridie amoris, inter amabiles ventos & Zephyros spirantes ab Austro amoris, affulsit novus sol, qui tot sæculis delituit. *Et accensus est ignis magnus.* Igneus & lucidissimus Puer, præ frigore tremit, & tamen in cordibus nostris accendit fervorem dilectionis. Quisquis incalescere & incrudescere desiderat, quærat flammas in Bethleē. Friget quidem divinus hic sol, ut divinissimo corpusculo in primo exortu sit male; sed simul est totus igneus & flammeus, dum ita amat, & facit, ut nos quoque amemus.

§. 4. *Nascitur in stabulo pauperrimus simul ditissimus Infans.*

Sed si Bethleem illi placuit, cur pro loco Nativitatis non elegit magnificas ædes in urbe; sed stabulum vel potius speluncam in suburbio? quare, dirigente ita Numine, factum est, ut non esset locus in aliquo diversorio? summam hanc Christi paupertatem ita describit Euthymius in Psal. 68. super versum 30. *Ego sum pauper. Summus Rex Regum Christus de pauperrima Matre natus, non in domo aliqua, sed in spelunca, positusque non in lecto sed in irrationalium animalium præsepio- & ab aliis alimenta ei præstabantur. Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius hominis, dum nascitur, non habuit ubi caput reclinaret,* donec B. Virgo in præsepio disposuit fœnum & paleas, in quibus placide quiesceret, & cubaret pauperrimus Infans; D. Hier. *Ecce in hoc parvo terræ foramine, cælorum conditor natus est, hic visus à pastoribus.* D. Justinus Martyr. *In specum quendam vico proximum concessit, atque ibi cum essent, enixa est Maria Christum, & in præsepi posuit.* Verum ostio speluncæ in qua pauperrimus Jesulus, sed simul thesaurus divinitatis delitescit elegantem inscripsit inscriptionem, ad Rom. c. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum!* græcus textus ait: *O profundum divitiarum, vel thesauri;* vel, ô abyssus! ô profundum abyssi & abyssalem profunditatem divitiarū, quæ in pauperrimo hoc Puerulo sunt absconditæ. Quibus verbis simul exprimere voluit Apostolus, *magnitudinem misericordiæ Dei, quæ nos divites facit in omnibus donis gratiæ & gloriæ,*

Digitized by Google

ad Eph. cap. 4. ſenſus ergo eſt: O profundam miſericordiam hujus Pueruli, qua omnium miſertus eſt! O profundam ſapientiam! quæ talem Nativitatem elegit. Si enim DEUS miſiſſet Meſſiam cum pompa, divitem, ſplendidum & magnificum, quaſi alterum & glorioſum Salomonem, Judæi eum recepiſſent. Pauperem rejecerunt, ſed pauperem agnoverunt gentes. Sed cur DEUS miſit Meſſiam pauperem, cur voluit naſci in ſpelunca? quem ſciebat à Judæis ſub hac forma repudiandum? Cur DEUS ita ſtatuit, elegit & fecit? non aliud reſpondere poſſum, quam quod Paulus reſpondit, *O altitudo divitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ DEI.* Aliud reſpondere non poſſum quàm hoc: JESULUS natus eſt pauperrimus in antro, ut nos faciat divites, in donis gratiæ & gloriæ. Quæſo vos, pauperrimum Infantulum non repudiate; intrate potiùs ſtabulum & antrũ, ut inveniatis theſaurum cœli & terræ; hic! in antro! in ſtabulo! Pater cœleſtis illum voluit abſcondere.

§. 5. *Cur naſci voluerit in ſpelunca vel antro.*

Filius DEI natus in ſpelunca & antro! & quid ibi vel tali loco quæſivit? ut reſpondeam, referam priùs verba S. Joannis cap. 11. v. 38. ubi de Chriſto D. ſuſcitaturo Lazarum ait: *Ieſus venit ad monumentum, erat autem ſpelunca.* Ubi S. Chryſoſt. ſerm. 65. *Dixiſſe ſuffecerat, veniſſe ad monumentum, quid eſt quod tantopere ſpeluncam commemorat Evangeliſta? ſpelunca planè, ubi hominem, diaboli latrocinium collocavit; ſpelunca! ubi virum fraus condidit mulieris; ſpelunca, ubi DEI plaſma, mortis rapacitas includebat.* Pari omninò ratione diſcurrere poſſumus de Chriſti D. Nativitate, Dixiſſe ſuffecerat, Chriſtum D. natum in Bethleem, in ſtabulo, quid eſt, quod ſancti Patres aſſerant, illud ſtabulum fuiſſe ſpeluncam? ſpelunca planè! in qua humanum genus à diabolo in miſerabili captivitate tenebatur concluſum. Naſcitur ibidem JESUS, ut captivos liberet (Applica hoc modo reliqua) ſi fortè aliquorum Auditorum meorum corda ſint tales ſpeluncæ, in quibus latent ſerpentes graviſſimorum ſcelerum, ubi habitat infernalis draco, opto ex animo, ut hodie per gratiam naſcatur in illis JESULUS, coganturque cedere & fugere iſta monſtra. *Neque enim jubar divini luminis ferre poſſunt*, inquit Theodoretus.

Na-

Digitized by Google

Natum Puerum Deipara Mater involvit pannis. De quibus S. Augustinus dixit ser. 17. de temp. *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Ex his pannis conjicere possumus, advenisse de cœlis medicum, qui solus vulnera animæ curare potest. Venit ad nos, hac nocte, qualis olim venit sponsus ad sponsam, nocte intempestâ, opportunè importunè pulsans ad januam & dicens, *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* q. d. ait Psellus: *Si aperueris mihi, dabo tibi munus magnum, rorem capitis mei, & cincinnorum guttas. Ros enim meus est hominum medicina.* Huc, huc! animæ piæ, videte, aspicite bene parvulum Salomonem, in diademate quo coronavit eum mater sua, videtis augustissimum caput plenum rore, cernitis aureos cincinnos madidos, guttis noctium? & quis est ille ros? quænam illæ guttæ? guttæ illæ sunt crystallinæ lachrymæ, quæ decidunt ex speciosissimis oculis. Ros ille est medicina hominum. Ros JESULI est divinissimus ejus sanguis, qui in toto corpusculo bullit, ut olim effundatur in Cruce. Ros hic est medicina hominum. Accurrite ægri, infirmi, languidi, vulnerati; JESULUS offert unguentum pretiosum, & pannos, ut nostris imponat emplastra vulneribus. §. 6. *Cur pannis voluerit involvi.*

Quod Isaias prædixit capite 61. vers. 1. *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me* (protulit hæc Isaias in persona Messiæ) *ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde*: quæ verba ita exponit S. Bernardus serm. 16. in Cant. *Venit ungere contritiones nostras, ac linire dolores. Sciebat enim se ad infirmos descendere; & quoniam multa erant infirmitates, multa quoque providus medicus medicamina curavit afferre. Vides quot phialas plenas odoramentis, cælestis medicus præparavit, ad sanandа vulnera illius miseri, qui incidit in latrones. Spiritus enim vitæ erat in phialis, ex his profectò infudit oleum meis Vulneribus.* Videtur S. Bernard. per tam pretiosam phialam, vel aureum aut crystallinũ vas intelligere divinissimũ corpusculũ Parvuli de Bethleem. In illo enim est spiritus vitæ, in illo oleũ misericordiæ, in illo unguēta pretiosa, sed ut ex animæ vulneribus priùs abstergat saniē §. 7. *IESVLVS phiala plena unguentis vitæ.*

& putredinem, ad manus habere voluit panniculos, quibus est involutus. Adoremus hos pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.

§. 8. *Panni Infantia Christi, quanta virtutis.* Mulier illa in Evangelio, per duodecim annos (inquit S. Ambrosius in Ps. 43.) affluentem sanguinem corporalium voluptatum sistere non potuit, nisi posteaquam confugit ad Christum. Intellexit enim quod nemo perfectus medicus, nisi qui de cœlo descendisset. Sanari illa non potuit, donec tetigit fimbriam JESU, de qua fluebat unguentum vitæ, & medicamentum salutis. Ut eadem vis & virtus inesset panniculis, quibus cœlestis medicus alligare vult vulnera nostra, ipse prius à Matre illis involvi voluit; ut si cum devotione, cum fide, &c. illos tangere velimus, illicò sanemur!

§. 9. *David desiderans adventũ Messiæ tanquã Medici.* S. Ambrosius putat, Regium Psaltem in psalmo 118. paucis illis verbis, *Tempus faciendi Domine*, expressisse ardens desiderium, quo desideravit adventum Messiæ tanquam Medici, ait enim: *Medicus tunc amplius desideratur, cum gravis incubuerit ægritudo languenti: ergo cùm videret in spiritu Propheta, prævaricationes populi, luxuriam, delicias, dolos, quasi pro nobis interveniat, currit ad Christum, quem solum tantis sciebat subvenire posse peccatis. Tempus faciendi Domine, ut-pro nobis nascaris-ut pro nobis crucem ascendas, mortem subeas.* Solus enim JESUS vulnerum nostrorum medicus est; in manibus ejus, licet involutæ sint pannis, licet olim affigendæ sint Cruci, sanitas existit.

§. 10. *Alloquium S. Ambrosii ad Christũ Medicum.* Unde S. Ambrosius l. 5. Comm. in c. 6. S. Lucæ, Christum Salvatorem suum, suavissimis verbis ita alloquitur: *Solum te sequor Domine JESU, qui sanas vulnera mea. Quis enim me separabit à charitate DEI, quæ in te est? tribulatio? angustia? an fames? Ligatus sum fidei clavis quibusdam, & bonis compedibus charitatis innexus sum: omne mandatum tuum sicut cauterium impressum tenebo; & si urit cauterium, tamen putrefacta caro exurit, ne ad vivum serpat contagio; & si mordet medicamentum, tamen vitium ulceris tollit. Aufer igitur Domine JESU potenti machærâ tuâ, meorum putredines peccatorum, dum me habes ligatum charitatis vinculis, seca, quodcunque vitiosum est. Veni citò incidens occultas, & latentes variasque*

Digitized by Google

atque passiones: aperito vulnus, ne noxius serpat humor. Emunda omne, quod fœtitum est peregrino lavacro. Audite me terreni homines, qui in peccatis vestris cogitationes ebrias geritis. Et ego talibus passionibus eram saucius; Inveni medicum, qui in cœlo habitat, & in terris spargit medicamenta. Hic solus potest sanare vulnera mea: hic auferre cordis dolorem, & animæ pallorem. (Simile alloquium potest formari ad JESULUM Infantem, pannis involutum, tanquam ad cœlestem Medicum)

Ad quem S. Augustinus ait in Ps. 58. *Quid eram nisi subvenires? quam desperatus eram, nisi curares? ubi jacebam nisi subvenires?* (Cogitate S. Augustinum de se ipso, vel totâ naturâ humana ita loqui) *Certè ingenti vulnere periclitabar. Sed illud vulnus meum medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti medico nihil est insanabile, non renuntiat alicui.* Magna est hominis infirmitas, sed major Domini potestas. *Magni sunt* (inquies cum S. Augustino *languores mei! sed major est medicus. Omnipotenti medico, nullus languor insanabilis occurrit. Tantùm tu curari te sine. Quid times hunc medicum* (ait S. Ephrem serm. 1. de pœnit.) *Non est durus, neque verò immitis, atque immisericors. Non utitur ferro, nec medicamento austero, solo verbo sanat.* Ecce mollissimos offert panniculos. Bene tamen monet S. Augustinus super v. 3. ps. 102. *Qui sanat omnes languores, sanabit & te, sed opus est, ut sanari velis. Sanat omninò ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius, quam ut tanquam in manu tua vitam, sic habeas in voluntate sanitatem tuam.* Hæc occasione fasciarum & panniculorum, quibus Deipara Mater involvit suum Infantem,

§. 11. *Et S. Augustinus.*

Inter præsepii fascias aliud mysterium advertit P. Lorinus, super versum 27. psalmi 117. *Constituite diem solennem in condensis, usque ad cornu altaris.* S Hieronymus ita legit: *Frequentate solennitatem in frondosis.* Chaldæus Paraphrastes ita vertit: *Ligate puerum ad sacrificium solennitatis catenis.* Lorinus: *Vincite Agnum, aut oblationem funibus.* Et subjungit: *quia agnus cum tripudio ac lætitia afferrebatur vinctus funibus, frondeque coronatus.* Insinuat Lorinus fuisse olim moris, ut formosissimus puer elegan-

§. 12. *Iesulus involutus pānis, fuit Agnus ligatus ad altare.*

ganter comptus aureis catenulis ligatus ad aram, ostenderetur, quasi gladio jugulandus ad sacrificium, sed parcebat illi sacerdos, ne dii viderentur sitire humanum sanguinem, mactabatur vero illius loco delicatus agnus, vinculis ante colligatus. Ecce hodie verum Agnum, qui tollit peccata mundi, immolandum olim in ara Crucis; sed voluit eundem positum in altari præsepii beatissima mater prius ligare panniculis amoris, vide mysterium, agnosce Sacramentum, quare Parvulus de Bethleem, veluti candidissimus agniculus jaceat ligatus vinculis, summi amoris. Et quis alius fortissimum hunc Samsonem ligare potuisset? quis Deum immensum, qui cœlos & orbem implet, in præsepio coarctavit, & angustiis clausit? quis sponso fugaci, velocissimo, qui ambulat super pennas ventorum, injecit compedes, & vincula? quis mirabilium operum operatrices manus involvit fasciis? nisi fortis & dulcis amor? si placet, Auditores, addite adhuc alios funiculos, non sine causa, & ecce ultro aureas & tornatiles offert manus, ut à nobis ligentur.

§. 13. *Ligatus est, ne à nobis possit fugere* Diodorus Siculus lib. 17. Bibl. Hist. cap. 41. refert, cum Tyrii ab Alexandro Magno oppugnarentur, & obfirmato animo sustinerent obsidionem, & in medio deditionis discrimine versarentur; quidam miles ob visum sibi in somno obtigisse affirmabat, quo urbe se excessurum Apollo denuntiasset. Sed Apolloni jam ad fugam expedito occurrerunt Tyrii, & prudenti consilio, catenis aureis simulacrum Apollinis in basi devinxere, impedituri, ut persuasum habebant, Dei ex urbe migrationem. Aliud nobis spectaculum in præsepio exhibet Parvulus de Bethleem: gaudet se à Matre vinciri panniculis! ecce ut offert manus & brachia, ut pedes, ut totum corpusculum, ut sciamus illum paratissimum esse, ut nobiscum maneat. Eja Animæ, aliis adhuc constringite funiculis! funiculis dilectionis, &c.

§. 14. *Iesus in cunis Rex ligatus* Ideo gloriabundi cum sponsa ad Parvulum de Bethleem dicere possumus Cantic. 7. vers. 5. *Caput tuum ut Carmelus, & coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* Quæ verba

verba LXX. ita exponunt. *Plexus capitis tui sicut purpura*; videtur sponsa loqui de glorioso ornatu capitis sponsi sui, cum, non regalia diademata, sed spinea, & Dominici sanguinis insignia illum coronarunt. Sed præcipuum est, quod LXX. citata verba legant; *Rex ligatus in excursibus, vel transcursibus*. Dicamus hodie; in præsepio, inter paleas, jacet Rex Regum, ligatus pannis, & funiculis amoris. Cum hoc ligato Rege, cupio æternum esse colligatus.

Sed cur nam hoc instituit? quærit S. Chrysost. tom. 5 or. 4. ut reclinaretur in præsepio? *quia præsepe brutorum mensa est. Cælestem illum cibum in brutorum mensa apposuit, ut quorum animi, sensusque bruti essent, ad præsepe tanquam mensam suam accedentes, non amplius gramen, quo bruta animalia pascuntur, inveniant, sed eum qui pronuntiavit, Ego sum panis, qui de cælo descendi.* Ob eandem causam videtur mensam Eucharisticam comparasse cum præsepi, hom. de S. Philogono. *Si cum fide acceperimus, proculdubio videbimus illum in præsepi jacentem, siquidem hæc mensa vicem explet præsepis; nam & hic ponitur Corpus Dominicum, non quidem fasciis involutum, sed undique Spiritu S. convestitum.* Ob eandem causam videtur dixisse S. Augustinus Serm. 1. in Nativ. Dom. *Lacta Mater cibum nostrum, lacta panem de cælo venientem, & in præsepi positum, velut piorum cibaria jumentorum.* Elegantissime Hesychius or. 2. de laud. Deiparæ. *Libens reconditur in præsepi, &c. Vt qui currunt ad paleas, frumentum nanciscantur; ut bestiarum more festinent, arbitrantes se inventuros in præsepi manipulos hordei, & panem verum manducaturos alimentum vitæ, cænam lucis, escam lætitiæ.* Dolebat Deus hominem inhiare pecudum nutrimento, se ipsum in præsepio constituit, ut inveniant alimoniam cœlestem, secernantque granum à paleis, quantumque discrimen intersit, inter fœnum voluptatis hujus sæculi, quod momento exarescit, & inter delicias panis cœlestis, qui nos ad æternitatem nutrit. (Occasione hujus discursus invito Auditores ad devotam Communionem, his feriis natalitiis peragendam.)


§. 15. *Cur fuerit reclinatus in præsepio.*

Cur denique latera præsepii cingunt stolidæ bestiæ, bruta

§. 16. *Inter*

Digitized by Google

bovem & asinum. animantia, bos & asinus? Respondet Hesychius citatus, *Libenter reconditur inter bestias ut qui sunt pecuini, accurrant, & reperiant rationem in præsepio constitutam, ut ex eo recipiant dignitatem rationalem.* Cap. 39. v. 9. pius Job hanc proposuit quæstionem: *Nunquid volet Rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum*, h. e. nemo facile mansuetum faciet, tam ferox & indomitum animal. Sed soli Deo Parvulo in præsepio recumbenti, servatur indomiti Rhinocerotis victoria & triumphus, ex mente S. Hieronymi in hæc verba Job. *Hic igitur Rhinoceros seu unicornis, populi gentiles imaginem præfigurat, cujus etiam superbia significatur in cornu. Hic monoceros, qui per sapientiam mundialem, tumore superbiæ erat in sublime erectus, subjicietur, ut per fidem, in sanctitate, & justitia serviens, obedientiæ colla submittat, & mansuetus effectus atque humilis, ad Dominicum præsepe recurrat, ac verbis Dei, hominisque assumpti sacris cibariis saturetur.* Quod fit, cum his feriis natalitiis magnus aliquis peccator convertitur, seriam agit pœnitentiam, contrito & humiliato corde accedit ad stabulum & præsepe parvuli de Bethleem, hoc est, ad sacram sinaxin, & eam digna, qua par est, reverentia suscipit, &c.



CON-

Digitized by Google

CONCIO LVIII.

FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Ecce mitto ad vos Prophetas,
Matth. 23. v. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN S. Stephano, veluti fulgidissimo speculo, videmus quam gloriosum sit parcere hostibus, & diligere inimicos. Occasione hujus dilectionis, miscentur multa de Parvulo in Bethleem.

§. 1. *Inter Angelorum officia, erga Iesulum, & plausus, S. Stephanus illi offert corallas, & triumphales palmas.*

§. 2. *Eximium facinus Davidis, cum in spelunca Engaddi, pepercit infensissimo hosti.*

§. 3. *Quod aureis verbis deprædicat S. Chrysostomus.*

§. 4. *Et applicatur S. Stephano, oranti pro suis inimicis: ut idem faciamus in gratiam Iesuli.*

§. 5. *Qui hosti parcit, dignus est regno.*

§. 6. *Ideo S. Stephano, oranti pro hostibus, ostensum fuit regnum cælorum.*

§. 7. *Encomia linguæ, quæ ita orat, exemplo S. Stephani.*

§. 8. *David cur vocetur Columba muta.*

§. 9. *Quod elogium applicatur S. Stephano & nobis.*

§. 10. *Quid denotent pruna, quibus Seraph tetigit labia Isaiæ.*

§. 11. *Quomodo convertantur in carbunculos.*

§. 12. *Ex quibus S. Stephanus lucidissimam sibi præparavit coronam.*

Digitized by Google

§. 1. Inter Angelorum officia erga IESULUM, & applausus: S. Stephanus illi offert corollas & triumphales palmas.

O Sancti Angeli! O beatissimi Spiritus, qui de felicissimis vestris sedibus, descendistis in terram, & quidem in stabulum Bethlemiticum, ut Creatori & DEO vestro, nato in terris, serviatis; hoc vobis hodie permitto, ut eum profundissime adoretis; ut jugiter illi accinatis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; imò componite præsepium, disponite fœnum & paleas, ut Parvulus DEUS quiescat suaviter; agitate cunas, laudate eum in sono tubæ, laudate eum in Psalterio & cithara; laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo, laudate eum in cymbalis jubilationis. Sed non peto à vobis hodie, ut de cœlesti Paradyso afferatis rosas & lilia; ut lectulus Parvuli fiat floridus; non cupio, ut apportetis coronas & lauros, ut natus Infans illis coronetur Non opto à vobis triumphales palmas pro aureis ejus manibus: cum abunde id præstet S Stephanus ProtoMartyr. Percurrite epistolam hodiernæ Missæ, sumptam ex cap. 7. Actor. Apost. Adversarii S. Stephani, Principes populi, & Pharisæi dissecabantur cordibus suis, & stridebant in eum dentibus, imò impetum unanimiter in eum facientes, ejecerunt extra civitatem, & lapidârunt. *Stephanus* vero, *cum esset plenus spiritu S. intendens in cælum vidit gloriam DEI, & JESUM stantem à dexteris DEI, ad quem ait; positis genibus, voce magna: Domine ne statuas illis hoc peccatum: Et cum dixisset, obdormivit in Domino.* Quot voculæ, quot suspiria, quot lapides, sanguine Stephani purpuratæ, tot coronæ, tot lauri, tot triumphales palmæ, quas S. Stephanus offert nato JESULO. Si similibus corollis desideremus Parvulum de Bethleem oblectare: (quis non volet?) exemplo S. Stephani debemus diligere inimicos; quàm hoc sit gloriosum, DEO gratum, & nobis utile, fusius exponet præsens concio.

La-

Latebat David in antro Engaddi, nobili stipatus satellitio, vigilique militum excubia, cum Saul infensissimus Davidis hostis, quærens eum ad necem, necessitate compulsus, solus speluncam illam ingreditur, traditusque fuit in manus David, sicut fera irretita laqueis venatoris, & dilaceranda. Promiserat hoc Davidi Dominus lib. 1. Reg. cap. 25. v. 5. *Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis*: O regiam clementiam Davidis! O animum generosum & excelsum! data à Deo copia vindicandi, illa uti noluit, qui levissimo ictu sagitta vel pugione suum hostem trajicere, vel transfodere potuisset, noluit facere, imo factus fuit defensor Saulis, cum militum suorum manum, furore vindictæ percitam, ad arma convolantem, in Regem irruentem compescuit eloquio, & gladio, & hostem impunitum abire permisit. §. 2. *Eximium facinus Davidis, cū in spelunca Engaddi pepercit infensissimo hosti.*

Sæpe alias in meis concionibus eximium hoc facinus Davidis memini me proposuisse. Sed non memini me hactenus legisse verba ex aureo ore Sanct. Chrysostomi prolata, quibus hanc Davidis victoriam, mirum, quantum extollit. Sic ait Tom. 1. homil. *Quod magnificentius trophæum? quis gloriosior triumphus? - - Egressus sane fuit David ex illa spelunca - dexteram illam* (quæ hosti pepercit) *totius orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gestans. Ex antro illo egressus fuit David duplici diademate cinctus; neque enim verticem tantum regia cingit corona; sed manum pretorea singulare condecorat sertum; manum, inquam, vindictæ, nesciam, quæ furorem percussurra & necis cohibuit.* Subdit cit. S. Chrysostom *Quemadmodum enim sape numero fit, ut Imperatores eorum, qui egregie se se in pugilum certamine gesserunt, ante caput coronent dexteram, ita & Deus manum illam coronavit, quæ gladium purum potuerit educere, ensemque Deo nullo sanguine contaminasum ostendere.* Itaque David ex specu, velut ex templo vel theatro honoris, egressus fuit, gestans manum, elegantissima ornatam corona Deus illam coronavit. §. 3. *Quod aureis verbis de prædicat S. Chrys.*

Digitized by Google

1154. Si gloriosum Davidem jucundis oculis aspexistis, nunc illos conjicite in gloriosissimum heroem & athletam, S. Stephanum. Lapidatur! pro lapidantibus orat S. Stephanus; Quod magnificentius trophæum? Inter saxorum imbrem, oculos & manus effert in cœlum, ad Dominum JESUM, ut suis hostibus parcat. Manum elevat, velut fortissimum gladium, incontaminatum ab omni sanguine vindictæ: quæ gloriosior victoria? Ideo victoris caput & manus pulcerrimis condecoratæ sunt coronis; ideò gestant triumphales palmas. Hoc rogo, ut gloriose pugil, ut has coronas, hos lauros, has palmas offeras Parvulo de Bethleem; qui his insignibus summopere oblectatur. Vos verò Auditores obtestor, ut S. Stephani exemplo, ignoscatis vestris hostibus & inimicis; hoc opto, ut vestræ cogitationes, cor vestrum, ut oculi, ut lingua, ut manus vestræ sint incontaminatæ ab omni sanguine vindictæ; his manibus de palma immortalis gloriæ decerpetis ramos, quos JESULO jacenti in cunis, cum mira ejus oblectatione poteritis offerre.

Et applicatur S. Stephano, orāti pro suis inimicis, ut idem faciamus in gratiam IEsuli.

§. 5. Observatione dignissimum est, quod memorat versus 21. cit. cap. 24. in quo, postquam David egressus è spelunca pressit Saulis vestigia, eidemque ostendit præcisam laciniam vestis, veluti vexillum suæ victoriæ, & clementiæ suæ trophæum, Saul illi dixit: *Et nunc scio, quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.* Nunquid jam ante Saul hoc timuit, cum post victoriam à Goliatho reportatam, puellæ agitantes choreas, felicissima præcinuerunt omina, regiæ dignitatis? nunquid illi innotuerat; Davidem jam à Propheta Nathan fuisse unctum in Regem? nunquid hoc præsagire potuit ex tot aliis victoriis & triumphis Davidis contra varios hostes? Cur modò non dubitat illum regnaturum? Optimo judicio Saul ita rem decrevit; cogitavit enim, Homo qui remittit offensam, & hostem in manus traditum inultum abire permittit, dignus est imperio. Manus quæ ad conspectum inimici, gladium non distrinxit, neque ultionem expetiit, digna prorsus est, quæ gestet sceptrum, nunc scio, quod certissimè regnaturus es.

Qui hosti parcit dignus est regno.

Si-

Digitized by Google

Similiplanè modo de S. Stephano discurrere possumus. Homo, qui dum lapidatur, dum occiditur; pro occisoribus suis tam ardenter potuit orare; homo, qui inter saxorum imbres nihil cogitavit de vindicta; homo, qui in ultionem ignes de cœlo potuisset advocare, de nubibus fulmina & tonitrua; quæ merebantur, & non fecit; sed veniam & misericordiam imploravit, nunc dignus fuit, ut adhuc viventi in terris aperiretur & ostenderetur regnum cœlorum. Nunc, cum in ultimo agone, tam sollicitus est, ut suis inimicis sit benè, dignus est cui JESUS stans à dexteris Patris, æternæ gloriæ offerat coronam. Videor mihi videre, in stabulo Bethlemitico, quâ reverentiâ S. Stephanus eandem augustissimo JESULI vertici imponat. Similem desideratis imponere? Ignoscite inimicis. Est qui aculeatis verbis honorem tuum proscindat; & oras cum S. Stephano, ut Deus hoc illi non statuat peccatum? nunc scio certè, quod dignissimus cui Jesulus peccata dimittat. (hoc modo poterit fieri affectuosa inductio.)

§. 6. Ideo S. Stephano oranti pro hostibus, ostensũ fuit regnum cœlorum.

Cum S. Stephanus in supremo agone vidit cœlos apertos, & Jesum stantem à dexteris Patris; non dubito illum simul conspexisse, pulcherrimos Angelos, non sine mysterio. S. Chrysostomus iterum inducit Regium Psalten orantem pro suis inimicis, cujus orationis exordium sumitur ex Ps. 4. in quo ad DEUM exclamat, *Exaudi orationem meam*, scilicet in tribulatione, quam patiebatur, demisissimè orans, ne illis mali quidquam inferretur à quibus ad necem quærebatur. Ait S. Chrysostomus, has Davidis preces fuisse DEO gratissimas, & promeruisse Cœlitum plausus: & subdit: *Hæc est digna cœlis oratio, hæc est lingua Angelorum, quando pro iis qui faciunt injuriam, & probris persequuntur, venit supplicans.* Hoc est loqui linguis Angelorum. Et tu tuo inimico imprecaris fulmina? hoc est loqui lingua diabolorum, hæc lingua digna est infernalibus flammis. Et ais, ut terra adversarium dehiscat, ut peste pereat, &c.? diabolica lingua sic orat, non Angelica. Jam sæpius feci mentionem, quâ linguâ usus fuerit S. Stephanus, cum oravit pro inimicis; meruit illâ videre apertos cœlos, & applaudentes Angelos. Hujus mentis fuit

§. 7. Encomia linguæ, quæ orat pro inimicis, exemplo S. Stephani.

S. Chry-

Digitized by Google

S. Chrysostomus. *Tunc astant Angeli, magno audientes cum silentio,* (scilicet orationem pro inimicis) *& postquam cessaverit, ei applaudentes, laudantes, admirantes.* Cultus & veneratio præcipua erga Parvulum de Bethleem, his feriis natalitiis, consistit in pia & devota oratione, qua illum vel laudamus, vel benedicimus, vel agimus gratias, &c si orationem fundere velitis illi acceptissimam, si illum laudare cum circumstantibus Angelis; loquimini eorundem lingua, orate pro inimicis. Hæc est oratio, digna, quæ oblectet Jesulum jacentem in cunis. Perfectionem excellentissimam illius orationis, & modum, & tempus, nos docuit Sanctus Stephanus.

§. 8. *David cur vocetur columba muta.*

Quasi nolentem, S. Chrysostomus, reducit ad Davidem, quem eximio extollit encomio, ex titulo Psalmi 55 qui talis est. *David in tituli inscriptionem.* S. Hieronymus sic legit. *Victori pro columba muta.* Sed cur David nuncupatur talis columba? glossa respondet. *Columba! quia fuit sine felle amaritudinis; quia Saul persequentem ad mortem, bis salvavit à morte.* Ita apud Ægyptios eadem avis fuit symbolum hominis patientis & reticentis. Pierius lib. 22. *Hominem nequaquam iracundum cum ostendere volebant, columbam pingebant.* Talis homo fuit David! talis Columba sed cur muta? Respondet Vatablus; *quod in silentio Dei voluntati omnia commiserit; nihil suis adversariis respondens.* Non infremuit, non edidit rugitus iracundiæ, nullum verbum vindictæ ex ore ejus resultavit; sed linguam coercuit, & labia suæ seris profundæ taciturnitatis obstruxit. O insignem victoriam! O gloriosum triumphum! ob quam causam, eundem titulum prædicti Psalmi, Titulus David. Vel Victor, David, vel David muta Columba. Vatablus ex hebræo ita vertit. *Insigne aureolum Davidis,* sive insignis corona, vel nobile trophæum, quod David suo silentio, & columbina clementia ab hostibus reportavit.

§. 9. *Quod elogium applicatur S. Stephano, & nobis.*

Nisi fallor, in laureo serto, quo coronatus est vertex S. Stephani! & triumphali palmæ, quam manibus gestat, videor mihi videre insidentem Columbam, ex cujus rostro dependens Olivæ surculus, has offert legendas voculas, aureo colore descriptas

Digitized by Google

ptas, *Dilectio inimicorum.* Certe talis columba fuit S. Stephanus (ante dicta facile illi poterunt applicari) Utinam & nos hodie ita ornati possemus ingredi stabulum Bethlemiticum ad Jesulum (iterum est locus pro eleganti repetitione.) In quibusdam imaginibus depingi solet Jesulus, ante quem flectens S. Joannes Baptista, vel aliquis genius illi offert aviculam, qua Jesulus videtur mire oblectari. Oblectabitur magis in nostris cordibus, si simus mutæ columbæ, si diligamus inimicos.

Subtilissimorum Interpretum ingenia fatigavit celeberrima visio, in qua Isaiæ apparuit Rex gloriæ, regio diademate, & splendida purpura ornatus, Seraphinorumque satellitio circumdatus, ex quibus Propheta vidit unum celeri volatu appropinquare ad aram, ex qua, apprehensa forcipibus pruna, labia signavit Prophetæ cap. 6. vers. 6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Hunc calculum ignitum Seraph obtulit Isaiæ veluti osculandum. Scio Doctoris Maximi ep. 142. ad Damasum fuisse arbitratum, in forcipe, calculo, carbone vel accensa pruna fuisse adumbratam passionem & mortem, quam Isaias deinde sustinuit, cum sub Manasse Rege fuit interfectus; quasi Seraph diceret Vati, Veritatis, quam prædicabis, odium, multorum odia in te concitabit, conciliabit tibi cruciamenta & vincula, persequentur te hostes, præsertim sacrilegus Rex, nec quiescet donec sanguinem fundas, donec lignea serra te medium secet. Hoc tamen observa, ô Isaia, nos Seraphinos, hoc opulentum, cœleste & divinum donum de cœlo ad te deferre, ut persecutiones hostium, licet ardeant ut prunæ, suaviter osculeris, tanquam quid cœleste, & pignus futuræ gloriæ.

§. 10. *Quid denotent prunæ, quibus Seraph tetigit labia Isaiæ.*

Circumstantiam consideratione dignissimam addit subtilissimus Pater Ludovicus de Alcasar, quod cum ab Hebræis, pro calculo ponitur pruna, LXX. posuerint *Carbunculum. In manu ejus carbunculus*: & ita aperit mysterium. In prunis indicari sanctorum virorum persecutiones, quæ licet pri-

§. 11. *Quomodo convertantur in carbunculos*

mo aspectu terreant, videanturque urere tanquam ignitæ scintillæ, & pungere; si tamen bene inspiciantur, advertemus esse lapides pretiosos & inæstimabiles margaritias, summa felicitate plenas. *Licet externa facies*, inquit, *erat laborum ac persecutionum; oportere illas à se amari, atque æstimari.* Et postea. *Quæ videbantur esse prunæ, carbunculos & gemmas apparuisse, & magnam ibi felicitatem ac divitias reperisse.* Ita ignes, quibus adversarii nobis minitantur, vertuntur in bustum divini amoris: ita illorum lapides commutentur in lapides pretiosos, & gemmeos carbunculos, hostis insectatio, in gloriã, & summam felicitatem. Quid mirum si Isaias flexis genibus tãtum donum suscipiat, & exosculetur, subjungit Alcasar, Isaiam vero osculantem prunas, illas accepisse vires ut nullum hostem timuerit.

§.12. *Ex quibus S. Stephanus lucidissimam sibi præparavit coronam.*

Redeo ad te, O gloriosissime pugil, O S. Stephane: non jam miror, Auditores, splendidissimam coronam, qua Christus D. illũ coronavit in cœlis, lapides suo sanguine tinctos fuit exosculatus: omnes voculæ & omnia verba, quibus oravit pro persequentibus se, conversa sunt in carbunculos, & lucidissimas cœli gemmas: illi carbunculi conversi fuerunt in aureas claves, quibus aperuit regnum cœlorum. Ardentia inimicorum verba, & contumeliæ, quę urebant ut carbones accensi, commutati sunt in rosas, & triumphales palmas. Ex similibus calculis, lapillis, carbunculis, gemmis, margaritis, & prunis; nectite coronam, (hoc est, cum S. Stephano diligite inimicos, floridissimum hoc sertum deponite ad pedes Jesuli: O quantum illo oblectabitur!

§.13. *Ingressus ad utilissimum documentum.*

Sed quid agendũ est, cum illæ prunæ subinde nimium urant? cũ hostium petulantia nimium est petulans? cum nullã omittunt occasionem, qua non noceant, & affligant? præsertim si subinde non desit occasio, qua ultionem de illis sumere possimus, & nos vindicare? hic eximii honoris theatrum, & scena nobis aperitur, agamus Personam Patriarchæ Joseph, Ægypti Præsidis, & Deus nos reddet gloriosos. Mox clarius mentem meam intelligetis.

§.14. *De augusta facie Ioseph*


Cap. 42. v. 8. memorat sacer textus, quod Joseph venientes ad se fratres suos (historia est nota) statim illos ex vultu agnoverit. *Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis.* Inquirit

Philo

Digitized by Google

Philo Hebræus cur germani fratris vultum ipsi non agnoverint, *alloquentis suos fratres* & respondet in libro de Joseph, *Deus vultum ejus mutavit in augustiorem speciem, ut augusta in illo niteret majestas, gravitas regia, & Angelica speciositas refulgeret.* Sed altera oritur major difficultas; cur hoc contigerit in illo alloquio fratrum? & idem Philo respondet, *Animo Josephi, quando illos conspexit, statim occurrit fratrum illata injuria, illorum convitia & maledicta, & dura captivitatis tyrannis, ab illorum erga se odio conflata.* Aspiciebat consiliarios & auctores suæ servitutis, intuebatur manus, à quibus sua tunica fuerat spoliatus, à quibus ligatus, à quibus missus in cisternam, quis dubitat Josepho occurrisse cogitationes de vindicta? quis negabit in accenso corde ebuliisse affectus iræ; cum videret à cœlo sibi in manus traditos suos hostes, tot malorum causam, sed regia animi celsitudine omnes illos affectus cohibuit, & omnem offensam uno momento ex animo illis remisit. Philo. *Non elatus potestate, de vindictæ occasione cogitavit, sed imperavit suis affectibus, premens atque recondens eos in animo suo. Regium quid existimans, non præbere se injuriarum vindicem.* Et quid miramur, si Deus indidit formam humana specie majorem, & augustiorem. Quisquis hosti parcit, & inimico bene facit, peculiari splendore & decore decorabitur.

Lapidatur S. Stephanus! oculis adversarios suos cernit, nihilominus, non tantum omnes affectus iræ & vindictæ coercuit, sed secundum exemplar, quod in monte Calvariæ illi fuerat monstratū, ruit in genua, & cum lachrymis orat pro illis veniam; non miror quod apertis cœlis, Christus Jesus tam nobilis pugnæ spectator, & remunerator se illi ostenderit in immensa gloria. Desideratis animæ piæ, ut his feriis gratiosis & benevolis oculis vos aspiciat Parvulus de Bethleem? diligite inimicos! merces erit immensa gloria. *§. 15. Digressio ad S. Stephanū cum Epiloga*



CONCIO LIX.

FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

Vidit illum discipulum, quem diligebat IESVS,
Joan. 21.v.21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PEctus JESU, fuit fons sapientiæ, fons lucis, fons amoris; ex quo S. Joannes in illo recumbens, hausit sublimissimam sapientiam, clarissimam lucem, & ferventissimum amorem. Miscentur multa de Parvulo in Bethleem.

§. 1. *Convivium deorum ex Platone, & proprietates veri amoris, sive Parvuli de Bethleem.*

§. 2. *S. Ioannes cælestis Porus, ebrius à nectare sanguinis IESV.*

§. 3. *Pectus IESV illi fuit fons, ex quo hausit altissimam Sapientiam.*

§. 4. *Pectus IESV, est petra, ex qua fluit mel & oleum sapientiæ; quod S. Ioannes fuit expertus.*

§. 5. *Encomia divinæ sapientiæ applicantur Parvulo de Bethleem.*

§. 6. *Crater, sive fons sapientiæ, in pectore IESV.*

§. 7. *Fons, ex quo Rebecca hausit aquas, fuit figura fontis sapientiæ.*

§. 8. *Ex pectore IESV, veluti fonte lucis, S. Ioannes hausit admirabilem lucem, mirabilium operum operatricem.*

§. 9. *Et admirabilem quandam claritatem, causam intimæ unionis cum Christo.*

§. 10.

§. 10. *S. Ioannes circumfusus claritate IESV.*

§. 11. *De amore S. Ioannis, quem hausit ex pectore IESV, veluti fonte amoris.*

§. 12. *Occasione tertii Verbi, à Christo in Cruce prolati, oritur lis & pia contentio, an S. Petrus, an S. Ioannes plus dilexerit IESVM.*

§. 13. *Epilogus proponit piissimos affectus erga Iesulum.*

ADmirabile convivium reperio apud Platonem l. de symposio, sive Amore, quod citatus auctor ita describit: *Parato convivio cæteri dii ad convivium venerunt; & Porus quoque, idest, Copia DEVS; Metidus, id est, consilii filius. Postquam cœnati essent, Penia, id est, paupertas mendicatura, cùm videlicet ob festas dapes, ciborum reliquia futuræ essent, eò venit, & pro foribus erat. Porus autem nectare ebrius* (nondum enim exstabat vinum) *in Iovis hortum ingressus est, & somno gravatus dormiebat. Cumque Amor extiterit hujus convivii Symporiastes, proponit Plato amoris proprietates & insignia. Amor! pauper est, durus & squalidus, & nudis pedibus, sine domicilio, sine stratu & tegmine ullo, pro foribus & in viis sub dio dormiens, cum penuria assiduo habitans, virilis, audax, magnâ animi contentione vehemens, liberalis, sagax venator, facundus, incantator peritus.* Non amo in meis concionibus fabulas, hæc tamen displicere non potest; quis enim Amorem sive Parvulum de Bethleem, Platone elegantius depingere poterit? nunquid pauper est, in squalido jacens præsepio, & nudis pedibus, sine domicilio, sub dio habitans, præ frigore tremens, sed intus magnâ dilectionis contentione vehemens; virilis, audax, pugnaturus contra potentissimos hostes; erga amicos suavis, amabilis, liberalis, sagacissimus animarum nostrarum venator. Talis Filius DEI nasci voluit in terris; viva & elegantissima Imago Amoris.

§. 1. *Convivium Deorum ex Platone, & proprietates veri Amoris, sive Parvuli de Bethlem.*

Quem in fine vitæ evidentissimè demonstravit, cum in ultima cœna cum suis Apostolis sanctissimam Eucharistiam, in qua non splendidas dapes, non nectar & ambrosiam, sed divinissimum suum Corpus & Sanguinem, nobis manducandum & bibendum proposuit; Cœlestis Porus, in quo copia erat gratiarum, nectare illo ebrius, in hortum Jovis ingressus est, &

§. 2. *S. Ioannes cœlestis Porus, ebrius à nectare sanguinis IESV.*

& somno gravatus dormivit, hoc est, S. Joannes Evangelista supra pectus JESU recubuit, & ebrius amore, & contemplationum nectare soporatus super JESU pectus suavissimè dormivit; quas ille gratias ex hoc divino pectore, veluti fonte hauserit, hac concione fusius exponam. Non omittam, sæpius facere mentionem Amoris, sive suavissimi Parvuli de Bethleem.

§. 3. *Pectus JESU illi fuit fons, ex quo hausit altissimam sapientiam.*

Ex divinissimo pectore JESU, veluti fonte S. Joannes Evangelista hausit inprimis altissimam sapientiam, cujus scaturigines latentes in JESU Salvatore nostro, cerno adumbratas in fonte paradisi, de quo versus 6. cap. 2. Genesis ait: *Sed fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ.* Et v. 10. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Quid autem* (inquit S. Bruno t. 3. de laud. Eccl. c. 1.) *quatuor flumina, de uno fonte manantia, nisi quatuor Evangelistas de uno Christi pectore, fidei doctrinam suscipientes intelligamus.* O beatum præ reliquis S. Joannam Evangelistam, cui permissum fuit in suavi somno supra ipsum hoc pectus, sive fontem quiescere. *His autem fluminibus totus mundus irrigatur; horum doctrinæ abundantiâ tota Ecclesia fæcundatur. Unde Psalmista ait, fluminis impetus lætificat civitatem DEI.* Et subjungit. *Fertur autem, quod illa flumina, superius nominata, tantam saporis dulcedinem habebant, ut omnium potionum superent suavitatem. Et hanc quidem suavitatem, non prius amittant, quam in ea irruentibus fluviis vitietur.* Scaturigo ergo divinæ sapientiæ ascendit & egreditur è medio Paradisi, hoc est, è pectore & corde JESU Salvatoris. Loquere ô sancte Joannes, quantam gustaveris suavitatem, quando fonti tam vicinus, jacens super pectus & cor JESU, hausisti latices altissimæ sapientiæ; ex ipsa scaturigine, in qua dulcedo omnium dulcedinum, & suavitas omnium suavitatum est abscondita. Si has aquas sititis, Animæ piæ, accurrite ad cisternam in Bethleem; è præsepio ascendit, è stabulo egreditur ille fons divinæ sapientiæ, è suavissimo pectore, & dulcissimo corde JESULI.

§. 4. *Pectus JE-*

Audite Philonem super versum 13. cap. 32. Deuteronomii. *Ut* (populus scilicet in deserto) *sugeret mel de petra, oleumque de*

saxo

ſaxo duriſſimo. Videor mihi jam guſtare dulcisſimum mel & ſuaviſſimum oleum, quod S. Joannes ſuxit è pectore & corde JESU. Philo ſic ait: *Petra ſolida & infrangibilis, indicat ſapientiam DEI, nutricem, bajulam, educationemque deſiderantium vitam incorruptibilem; hæc enim tanquam mater eorum, quæ mundo continentur, ex ſe ipſa cibos præbet ſuis fœtibus. Labitur autem divinæ ſapientiæ fons, nunc leniore fluxu placidioreque, nunc vehementiore, majorique impetu; quando igitur ſenſim deſcendit, dulceſcit mellis in morem, quando verò confertim, celeriterque labitur, fit tanquam oleum illuſtrandæ animæ: hanc petram Propheta vocat alibi manna per ſynonimiam antiquiſſimum illud DEI verbum. Vnde fiunt duæ placentulæ conditæ; melle altera, altera oleo; id eſt, educationes duæ valde ſimiles, & ſtudio dignæ; initio dulcedinem inſtillantes contemplationum: mox & lucem fulgidiſſimam accendentes, in his qui non faſtidioſe deguſtant.* Percurrite ſi placet Evangelium S. Joannis, & conſiderate, an non ſit talis fluvius qualem Philo deſcripſit: cum legeris tot melleas ſententias, de ſuaviſſimis myſteriis vitæ JESU Salvatoris noſtri, cum percurretis ſublimiſſima axiomata de altiſſimis Sacramentis, de ſanctisſima Trinitate, de Verbi Incarnatione, de ſanctisſimæ Euchariſtiæ inſtitutione, de ejus morte, de glorioſa reſurrectione; cum advertetis, quâ ſuavitate, quâ verborum dulcedine, quo pondere referat amoroſum ſermonem, quo poſt cœnam Chriſtus D. ſuis diſcipulis valedixit; ſi dubitetis, quænam fuerit petra, ex qua ſuxit tale mel, quisnam fuerit fons, ex quo hauſit iſtos latices, cogitate fuiſſe pectus & cor JESU, in quo recubuit. Si & vos ſititis, Animæ piæ, has aquas, eja currite, &c. (ut ſupra.)

SV eſt petra ex qua fluit mel & oleũ ſapientia, quod S. Ioannes fuit expertus.

§. 5. *Encomia divinæ ſapientiæ applicantur Parvulo de Bethleem.*

Si perpendere velitis encomia & elogia, quibus Philo commendat ſapientiam, dum eam nuncupat *Matrem, Nutricem, Bajulam, inconcuſſam petram, menſam opiparis dapibus refertam*, deniq; *fontem dulcedinis & illuſtrationis*; fundit enim rivos olei, dum mentem illuminat, & ignorantiæ repellit caliginem; fundit rivos mellis, dum præ ambroſia & nectare ſuxit ſapientiæ acquiſitio. Si inquam hæc encomia vobis placeant, ſimul cogitate illa omnia convenire, & eſſentialiter & ſubſtantialiter, Parvulo

de

de Bethleem, qui est Verbum & sapientia Patris. •Si vobis placeat sapientia, placeat quoque JESULUS; si illam ametis, hunc quoque amate: ex cujus pectore scaturit fons sapientiæ.

§. 6. *Crater sive fons sapiẽtia in pectore Iesu.*

Ad hunc fontem nos invitavit Salomon Proverb. cap. 9. vers. 3. *Ubi enim sapientia apparavit regiam mensam, emisit ancillas suas, ut vocarent ad arcem.* LXX. ita legunt: *Ut vocarent ad craterem*, quem offert, dum se ipsum collocat veluti fontem, qui divitias sapientiæ derivet in homines, cum illo fructu, de quo Isidorus Pelusiota ait lib 2. ep. 3. ad Timotheum: *Sermomonem, craterem, hoc est, divinas scripturas Dei sapientia miscuit, craterem inquam non melle, aut lacte, aut vino, sed sapientia-refertum divinisqua gratiis redimitum; qui eos, à quibus adhibetur, ad virtutem, ac pietatem hortatur, id nimirum efficiens, ut res terrenas negligant, atque in cœlestes sese insinuent.* Iterum moneo, per craterem ipsum fontem sapientiæ intelligi. est enim crater in fontibus pelvis, aut labrum, aut salientis aquæ receptaculum. Unde Plinius Junior lib. 5. epist. ad Apollin. ait de deliciis Tusculani: *Hic juxta fonticulus, in hoc crater, circa siphunculi plures, qui miscecant jucundissimum murmur.* Talem fontem nobis imaginemur pectus & cor Jesu, redimitum non rosis aut liliis, sed divinis gratiis, ex quo S. Joannes Evangelista hausit aquas tam sublimis sapientiæ: quibus potatus, res omnes terrenas neglexit, atque in cœlestes se insinuavit. Utinam Divina sapientia, sive Parvulus de Bethleem, his feriis Natalitiis idem operetur in nobis.

§. 7. *Fons ex quo Rebecca hausit aquas, fuit figura fontis sapientia.*

Genesis 24. vers. 16. egressa est Rebecca Virgo pulcherrima ad puteum aquarum, secum deferens amphoram, ut repleret aqua, potumque præberet Isaaco. *Descenderat autem ad fontem, & impleverat hydriam.* Antequam dicam Rebeccam fuisse figuram sancti Joannis Evangelistæ, audite prius verba S. Ambrosii lib. de Isaaco cap. 1. qui per Rebeccam intellexit Ecclesiam, per puteum, scaturiginem fontis æterni, de cujus ubertate expleat sitim: tum ita ait: *Bonus igitur Isaac verus* (ego

addo

addo, Isaac cœlestis, Christus Jesus salvator noster(*utpote plenus gratia & fons latitia, ad quem fontem veniebat Rebecca, ut impleret hydriam. - Descendit itaque ad sapientia fontem, vel Ecclesia, vel anima*(jam mihi permitte S. Ambr. ut hodie dicam, vel S. Joannes Evang.) *ut totum vas impleret suum, & hauriret pura sapientia disciplinas. Ad hunc quoque fontem currebat sitiens anima Prophetarum, sicut & David dicit, sitivit anima mea ad Deum vivum. Vt sitim suam ubertate divina cognitionis impleret.* Quam putamus fuisse sitim S. Joannis Evangelistæ, quæ desideria bibendi? quem gustum? dum permissum illi fuit os, & linguam, & mentem applicare ad ipsum fontem, ad pectus & cor dulcissimi Jesu. Si sitimus, ad easdem anhelemus aquas, quæramus hodie hunc fontem, in stabulo, in præsepio, in Bethleem!

2. Ex pectore JESU, veluti fonte, S. Joannes Evangelista, præter aquas sapientiæ, hausit admirabilem quandam lucem, de qua Dionysius Areopagita ait lib. de D. nom. cap. 4. *Lux spiritualis* (dicamus, Lux, de qua S. Joannes, lux quæ venit in hunc mundum, ut illuminet tenebras, dicamus, JESUS salvator noster) *est bonum, quod lucem omnem superat, quod quasi radius fontis, lucisque - jugiter - manans effusio, mentem omnem - ex suo, ut ita dicam, plenitudine illustret, omnesque mentis facultates renovet, omnes complexu suo contineat, & colligat.* Loquitur S. Dionysius de luce Deitatis, quæ est in JESU, & de mira ejus efficientia. Hæc lux immigrare facit corda de terrenis, ad id, quod vere est per essentiam; est enim nexus & vinculum voluntatum, quo nos cum DEO, & JESU salvatore nostro conjungit. Sanctum Joannem Evangelistam ita scimus fuisse conjunctum, ut sacer textus asserat, illum fuisse discipulum, quem diligebat JESUS, & vicissim qui diligebat JESUM, amore ardentissimo, cujus lucidissimos & ferventissimos radios hausit ex fonte lucis, dum recubuit super pectus Jesu.

§ 8. *Ex pectore Jesu veluti fonte lucis, S. Joannes hausit admirabilem lucem, mirabilium effectuum operatricē.*

De simili favore sibi exhibito gratulatur sibi S. Joannes, dum cap 21 Apocal. v. 10. ait. *Sustulit me in spiritu, in montem magnum*

§ 9. *Et admirabilem quandam*

Digitized by Google

magnum & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei: & lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi Iaspidis, sicut crystallum. Libenter vobis permitto, Animæ piæ, ut hodie per civitatem sanctam, intelligatis civitatem Bethleem. O sanctam urbem, in qua natus est sanctus sanctorum. In stabulo! in præsepio! in paleis! in sinu & brachiis pulcherrimæ Matris, jacet claritas DEI, & lumen, sive JESULUS, similis lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. Clare S. Andreas Arch. Cæsar. in Apocal. cap. 66. *Lumen Ecclesiæ est Christus. Hic autem per jaspidem, instar crystalli lucentem, delineatur, tanquam perpetuo virens, cunctisque viventibus vitam largiens, & incredibili munditia præstans.* Talis jaspis est Jesulus. Permitto, inquam, vobis ut his de pulchritudine JESULI, ejusque admirabili luce, cogitationibus vos recreetis; sed ego altius adhuc ex citato loco inquiro mysterium; nimirum, quod lumen sit diffusivum sui, & præsertim sibi appropinquantibus clarissimas illuminationes subministret, quod fusius exprimit Angelicus Doctor referens verba Hugonis Victorini. *Quemadmodum ferrum dum in ignem mittitur, ab igne coloratur, & ipsius speciem sumit, ita S. Mater Ecclesia claritatem habebit in patria, æternæ Divinitatis luminosis radiis illustrata,* Tobiæ 13. *luce splendida fulgebis.* Hugo de S. Vict. *Æstimet, qui potest, quanta quamq; jucunda, concors ac indissolubilis erit, creatura humana, Creatorisq; unita conjunctio. Vbi claritas quã Creator habet per plenitudinem, creatura dabitur, per plenitudinis participationẽ.* Scio hæc dicta de lumine gloriæ in cœlis. Sed dico simile quid contigisse in terris, dum in ultima cœna Christus JESUS permisit S. Joannem recumbere super pectus suum: benedictum hoc pectus fuit ignis sive clibanus accensus, in quo S. Joannes veluti ferrum, ita fuit coloratus, ut sumpserit amoris JESU speciem. Recubuit in pectore: hoc est, æternæ Divinitatis radiis fuit illustratus. Luce splendida fulget S. Joannes. Æstimet, qui potest, quanta, quamque jucunda, concors & indissolubilis fuerit S. Joannis & JESU conjunctio.

claritatem, causam intima Vnionis cum Christo.

Quam

Digitized by Google

Quam claritatem hic habuit per plenitudinem, S. Joanni fuit data per plenitudinis participationem. Ex divino splendore, quem sanctus Joannes hausit ex Christi Dom. pectore, veluti fonte lucis, nil aliud provenire potuit, nisi animorum conciliatio, inter JESUM illuminantem, & sanctum Joannem illuminatum, sive indissolubilis, & suavissimus nexus, sive unio intima, cujus artifex fuit claritas JESU. Gratulamini sancto Joanni Auditores; sed simul advertite causam, quam habemus ut diligamus Parvulum de Bethleem, hujus quoque suavissimum cor, ignis est, &c. poterit fieri affectuosa dictorum repetitio, & applicatio ad nos & Jesulum, si similem desideremus unionem.

De Angelica militia nuntiante gaudium Nativitatis JESU, ait S. Lucas cap. 2. vers. 9. *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos* (scilicet pastores) *& claritas DEI circumfulsit illos.* Albertus Magnus: *Hæc claritas DEI circumfulsit illos, undique ambiens eos. Sicut quoddam lucis tentorium - circumfusa undique lux, & quasi claudens eos.* Ita mihi imaginor sanctum Joannem Evangelistam, cum cogito illum recubuisse in pectore Jesu. Claritas Dei circumfulsit illum, undique ambivit eum, undique clausit. Pectus Jesu fuit illi tentorium lucis, ex quo prodiit lucidissimus. §. 10. *S. Joannes circumfusus claritate Jesu.*

3. Ex pectore Jesu S. Joannes Evangelista, veluti ex fonte amoris, hausit tenerrimum amorem erga JESUM. Latissimam & affectuosam ingredior materiam, sed constringam breviter, proponendo contentionem, vel comparationem inter duos amãtes, D. Petrum & S. Joannem, quisnam alteri in amore erga Christum D. præferendus. Reperio illam apud SS. Patres. Discipulus, inquiunt aliqui, dilectus Domini, Joannes, antecellit amore Petrum, & familiaritatis gratia: cui Jesus indulsit recumbere in pectore suo, cui Jesus moriens, testamento amoris, Joannem maternæ custodiæ reliquit heredem, Joannis 19. v. 17. *Deinde dicit discipulo: ecce Mater tua! & ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Quo munere Angelicæ custodiæ, Cherub ille Joannes, dum paradisum cœlestem tuetur, non gladio ignis, sed reverentia, §. 11. *De amore S. Joannis, quem hausit ex pectore Jesu.*

Digitized by Google

curâ & affectu dilectionis, evectus est ad dignitatis, & eximii amoris altissimum culmen. Guarricus Abbas ser. 4. de Ass. Mariæ. *Inter ultima verba testamenti, curam Matris, cujus debitorem se agnoscebat, charissimo transcribit hæredi.* Cœli & terræ gazam, Deiparam, opulentum amoris pignus, soli Joanni delegavit. Favent hæc sancto Joanni.


§. 12. *Occasione tertii verbi à Christo in Cruce prolati, oritur lis & contentio, an S. Petrus an Joannes plus dilexerit JESUM.*

Sed aliud quoque pignus opulentissimum, & certissimum signum amoris Petro JESUS testamento suo reliquit, scilicet totam Ecclesiam. Ideò idem Guarricus: *Sic quippe inter Petrum, qui plus diligebat; & Ioannem, qui plus diligebatur, hæreditatem suam Christus divisit, ut Petrus sortiretur Ecclesiam, Ioannes Mariam.* Quæ sors fuerit felicior, S. Petri an S. Joannis, non disputo. Modo in honorem S. Joannis assero, à Christo D. in signum peculiaris & mutui amoris, dilectissimam Matrem fuisse commendatam S. Joanni; totius Ecclesiæ margaritam pretiosissimam & Reginam. Sed ut S. Joannem laudem, & S. Petro nihil derogem, utpote ferventissimo Christi D. amatori, litem dirimam cum D. Augustino, qui ait tr. 124 in S. Joan. *Quantum autem ipse sapio, meliorem* (scilicet arbitror) *qui plus diligit Christum; feliciorem verò, quem plus diligit Christus.* Hoc est, quod in S. Joannis laudem volui probare, S. Joanni à Christo D. magna familiaritatis indicia fuisse exhibita, magnasque gratias, altissimam sapientiam, clarissimam lucem, & ferventissimam charitatem, illum hausisse ex pectore JESU, veluti fonte sapientiæ, fonte lucis & amoris; dignumque habitum, cui à Christo dilectissima Mater commendaretur.

§. 13. *Epilogus proponit piissimos affectus erga Jesulum.*

Si tantarum gratiarum desideramus fieri participes, imitemur illam Virginem, quæ dixit aliquando conscientiæ suæ directori. *Quovis die elicio, 1. actum internum profundissimæ adorationis erga Jesum Christum, quem cognosco esse verum DEUM & hominem. 2. Oculis fidei, profundissimâ submissione respicio illum veluti meum salvatorem, redemptorem & causam omnis boni; me in abyssum nihili mei demitto. 3. Offero me totum sanctissimæ ejus voluntati. Denique ferventissimè rogo necessariam gratiam, ut illum ex fundo cordis diligam. Ex his actibus,* dixit, *percipio magnam utilitatem.* Hos actus puto elicuisse S. Joan. dum in pectore Christi recubuit. Eliciamus & nos. (potest fieri affectuosus Epilog.)

Digitized by Google



CONCIO LX.

FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Vocatum est nomen ejus IESVS,

Lucæ 2. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRo diviniſſimo xenio, offert JESULUM in Circumciſione, fundentem divinum ſanguinem.

§. 1. *Offert omnibus pro xenio IESVSVM, rubentem ſanguine, cum apprecatione novi anni.*

§. 2. *Verba illa Iſaiæ, ſi peccata veſtra fuerint ut coccinum, continent acrem invectivam.*

§. 3. *Alio tamen ſenſu magnam conſolationem.*

§. 4. *IESVLVS rubens ſanguine, eſt arbuſcula cocci.*

§. 5. *Vermiculus cocci.*

§. 6. *Eſt circumciſus IESVLVS.*

§. 7. *Ieſulus ſanguine rubens pretioſum conchylium.*

§. 8. *Ieſulus circumciſus botrus Cypri.*

§. 9. *Purpureus faſciculus myrrhæ.*

§. 10. *Vexillum pugnæ & amoris.*

§. 11. *Ieſulus rubens ſanguine, eſt IESVS, ſive Salvator mundi.*

§. 12. *Prodigioſa dilectio ſtruthionis erga ſuos pullos.*

§. 13. *Sanguis Chriſti delet chirographum peccati.*

§. 14. *Ieſulus initum cum Patre pactum, de redimendo genere humano, ſubſcribit ſanguine.*

§. 15. *Simili ſubſcriptione roborat gratias, quas offert.*

§. 16. *Affectus Matris erga circumciſum Filiolum.*

§. 17. *Proſecutio, cum Epilogo.*

Digitized by Google

§ 1. *Offert omnibus pro xenio Iesulum rubentem sanguine, cum apprecatione felicis anni.*

UT novus hic annus millesimus, sexcentesimus, septuagesimus secundus, sanctissimo Domino nostro Papæ Clementi; toti S. R. Ecclesiæ, Augustissimo & Invictissimo Imperatori nostro Leopoldo; toti S. R. imperio; cumprimis Reverendissimo & Illustrissimo Episcopo Bambergensi, Domino nostro Clementissimo; Reverendissimo Imperialis hujus Ecclesiæ Capitulo, Dominis nostris gratiosis; toti Clero, & omnibus Religiosis Ordinibus, utrique Magistratui Ecclesiastico & Politico; omnibus Conjugatis, Viduis, Adolescentibus, Virginibus, divitibus, pauperibus, præsertim hoc anno, quem ordimur, morituris, ut inquam, novus hic annus sit felicissimus & fortunatissimus, quoad corpus & animam, precor & opto ex intimis visceribus cordis, & dilectionis. In pignus & arrham sincerissimæ apprecationis omnibus offero, Parvulum de Betthleem, octavo post Nativitatem die in Circumcisione, suo rubentem sanguine offero, pro spirituali xenio. Quàm pretiosum hoc sit donum, quantæ lætitiæ causa, & consolationis; patebit ex præsenti Concione, quam ordior, in augustissimo nomine, quod circumciso & sanguine rubenti Infantulo, fuit impositum, hoc est, in Nomine JESU, in quo omne genu flectitur Cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur, quia Dominus noster JESUS CHRISTUS est in gloria DEI Patris, cui sit honor & gloria in sæcula.

§. 2. *Verba illa Isaiæ: si peccata vestra fuerint ut coccinum: continent aerem invectivam.*

Ingentis gaudii causam hodie habent peccatores, quibus Isaias ait, cap. 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Tertullianus legit: *Si fuerint tanquam roseum;* S. Cyrillus: *tanquam purpura.* Alii: *tanquam Vermiculus.* LXX. *tanquam Phœnix.* Alii: *Si fuerint sanguinea.* Alii: *Regia.* Hactenus semper ejus fui mentis, Isaiam voluisse dicere, si scelera vestra millies gravissimorum scelerum turpissimo sanguine fuerint tincta, si atrocitate criminum imbuta, flagitiorum repetitione, peccatorum gravitate & ignominia, quæ omnia sanguineum colorem summoperè augent, ut sanguis sanguinem tangat, ut vindictam clamet de cœlo, ut sint scelera, cruenta, tetra, hor-

horrenda; tamen si pœnitentiam agitis, poterit DEUS suâ omnipotentiâ illa mundare. Hic sensus Isaiæ continet acrem invectivam & objurgationem erga sceleratos Judæos & perfidum populum, à quo scelus illud horrendum, & detestandum commissum est, quod filium DEI affixerint Cruci, cujus sanguine sceleratæ illæ manus, in hodiernum diem adhuc rubent.

Non amo ego hodierno festo acres invectivas, placet mihi proinde interpretatio Leonis de Castro; ut omnes hodie habeamus causam peculiaris consolationis, qui prædicta Isaiæ verba, ex Tertulliano ita vertit: *Si peccata vestra ablueritis sanguine Christi, dealbabuntur sicut nix.* Ut sit sensus: *Si fuerint peccata vestra sicut rubrum* (sicut rosa; sicut coccus, sicut purpura) *id est, si rubent sanguine Christi abluta, juxta illud, qui laverunt stolas suas in sanguine Agni, sicut nix dealbabuntur.* Idemque sensus latet in sequentibus: *si fuerint rubra quasi vermiculus.* Est enim JESUS vermiculus tinctorius, qui animarum stolas suo sanguine rubere facit. Unde Lorinus in ps. 21. v. 7. scribit. *Convenit præterea Christo vermiculi proprietas ejus, quo pretiosæ vestes rubescunt.* Verùm pretiosissimum hunc colorem, hanc purpuram, has rosas ubi inveniemus? Ostendam, ni fallor, piis & affectuosis discursibus. §. 3. *Alio tamen sensu magnâ consolationem.*

Coccus est arbuscula (ita describitur in Hist. plant. l. 1. c. 8.) parva, surculosa, cortice ex rubro candicante, aculeis rigente, foliis parvis, ac in ambitu sæpissimè pungentibus; inter quæ granum quoddam innascitur rotundum, parvum, foris è cinereo rubens, intus verò sanguineo cruore lucido plenum. Ecce pulcherrimam imaginem JESULI rubentis sanguine in Circumcisione. Arbuscula enim est vitæ, quam DEUS plantavit in stabulo Bethlemitico, in areola præsepii, veluti in terrestri paradiso. Arbuscula candida & rubicunda. Vultis videre pulcherrimos ramos? aspicite genas, oculos, labia, manus; quid illis elegantius? an folia aculeis horrida & pungentia? ecce fœnum & paleas, à quibus pungitur delicatissimus pusio. Fructum hujus arboris, vel parvum granum cocci, cogitate esse divinum ejus corpusculum, iterum exteriùs candidum, rubicundum, cinereum, utpote §. 4. *JESULUS rubens sanguine, est arbuscula cocci.*

mor-

mortale, intus verò ſanguineo cruore lucido & calido, & igneo plenum. Hunc olim in Cruce totum effundet pro redemptione generis humani; hodie in Circumciſione ſtillat guttulas; quibus ſi peccata veſtra rubeant, ſuper nivem ſunt dealbata.

§. 5. *Vermiculus cocci.* De Cocci vermiculo varia referunt Auctores. Plinius ait lib. 24. c. 4. *Coccum ilicis* (ſive fructus arbuſculæ, cujus ante feci mentionem) *in Aſia naſcens, celerrimè in vermiculos ſe mutat, &c.* Hiſtoria plant. ſic ſcribit: Quantum ad hos vermiculos attinet, ſcire licet, Cocci omnis, ni tempeſtivè legatur, aut tempeſtive collecti, ni ferventisſimo ſoli exponatur, aut in calentem furnum immittatur, aut vino albo irroretur, ſuccum in vermiculos commutari. Conradus Gaſnerus ait: Vermiculum hunc naſci ex quadam herba qui purpuram facit incomparabilem; cæteras ſplendore quodam, & hilaritate ſuperans, & floridiorem, quàm ſit purpura coccinea. Alias circumſtantias addit Cardanus, ex quibus una ſingulariter mihi ſervit, pro hodierno feſto. Hyparchus amnis per Indiam fluit, ad cujus fontes flos purpureus naſcitur, quo purpura floridior quoque quàm græcanica tingitur; ibidem animacula canthari magnitudine, viſuntur, rubra cinnabaris colore, vermis inſtar mollia. His tritis, Indi purpureo colore, veſtes, tunicas, & quæcunque voluerint inficiunt: quæ Perſicis etiam tincturis præferuntur. De alio vermiculo ait Plinius, quod florem purpuræ, in mediis geſtet faucibus in candida vena, ex qua aperta pretioſus fluit liquor, nigrantis roſæ colore ſublucens.

§. 6. *Eſt circumciſus Jeſulus.* Ecce imaginem illius, in cujus perſona dixit regius Pſaltes: *Ego autem ſum vermis*, Pſalm. 21. verſ. 7 imo quod olim de Salomone fuit dictum, teherrimus ligni vermiculus. Si Jeſulus fructus eſt; arbor & radix eſt purpura Virgo Si floſculus eſt, Virga eſt Maria. Si Jeſulus eſt purpureus vermiculus, herba ex qua natus eſt, eſt Maria: O purpureum Infantulum, qui inter paleas in acerbo frigore expoſitus eſt ferventiſſimo ſoli: Imo ipſe eſt Sol. Calens furnus non deeſt, dum infantuli Cor accenſum eſt flammis ardentiſſimi amoris. Sed ubi ſuccus hujus vermiculi,

qui

qui purpuram facit incomparabilem, cæteras splendore & hilaritate superans? ubi flosculus purpura floridior? ubi rubei & rosei carbunculi. Parvulus de Bethleem! parvulus Vermiculus, illis plenus est. Sed latuerunt ab octiduo; hodie ille flosculus, ille vermiculus, tritus & scissus est lapideo cultro; & ecce floridissimam purpuram ecce, pretiosissimum succum! ecce rosas! ecce carbunculos! gaudete peccatores, si peccata vestra, etiam gravissima & teterrima, rubeant sanguine hujus vermiculi, supra nivem dealbabuntur. Per Hyparchum fluvium, per fontem, juxta quem crevit purpureus hic flosculus, roseus hic vermiculus, intelligite vel immensum mare divinæ misericordiæ, vel vastissimum pelagus gratiarum, quod est Maria. Ideo puto me vobis hodierno die donum pretiosius ac præstantius offerre non posse, quam hunc pulcherrimum flosculum, hunc vermiculum, id est, Jesulum in Circumcisione rubentem sanguine, divitem cœlestibus carbunculis, sive guttis rosei sui pretiosi sanguinis.

Meus flosculus! meus Vermiculus! meus Parvulus convertitur in Conchylium. Vitruvius enim ait lib. 7. cap. 13. *Conchylia cum sunt lecta, ferramentis circumciduntur, è quibus plagis purpurea sanies, uti lachryma profluens, excussa in mortariis terendo comparatur.* Sanctus Isidorus lib. 19. etymol capite vigesimo octavo. *Conchylia sunt maris, quod circumcisa ferro lachrymas purpurei coloris emittunt. Sine ferri circumcisione non elicitur floridus & purpureus sanguis vel succus, qui aptus sit, ad imbuenda vestimenta roseo colore.* Venerab. Beda. *Incisa ferro* (conchylia) *lachrymas purpurei coloris emittunt, quibus collectis, tinctura purpuræ præparatur.* Non dubito aliquos ex vobis jam mecum cogitare, JESULUS circumcisus est cœleste conchylium, ortum ex immenso mari Divinæ Misericordiæ, formatum in purissimo pelago Mariani uteri à Spiritu Sancto, natum in stabulo, positum in præsepio. Hodie divinissima concha ferro circumciditur, ecce ex plaga purpuream saniem, instar lacrymæ profluentem Ecce Parvulus circumcisus, emittit lacrymas purpurei

§. 17. Iesulus sanguine rubens pretiosum conchylium

coloris, circumciditur! ô floridam purpuram, aptam ad lavanda vestimenta nostra. Sine ferro, sine magnis doloribus, sine passione & cruciatu roseus ille sanguis non fluxisset. Adeste peccatores, si peccata vestra rubeant succo circumcisi hujus conchylii, supra nivem dealbabuntur.

§. 8. *Iesulus circumcisus, botrus.* Meus flosculus! meus vermiculus! meum conchylium! meus Parvulus convertitur in botrum, destinatum suo tempore ad torcular Crucis; ut in ejus vino & sanguine lavemus stolas nostras. Causam comparationis advertit Lyranus. *Christi Passio, ejus instrumenta, virga, spinæ, clavi, præsertim ponderosa & ignominiosa Crux accipitur torculari, eo quod sanguis ejus ibi fuit expressus, sicut sanguis uvæ in torculari.* Pulcherrimum hunc botrum, formosissimum Jesulum, destinatum ad Crucem hodie ferreus vel lapideus culter nonnihil scindit & aperit, ut in paucis guttis cœlestium carbunculorum pulcritudinem videamus. Ingens cruciatus, quem Jesulus in sua circumcisione sine dubio passus fuit, fuit torcular, eò quod videamus ex Jesulo expressum sanguinem sicut sanguis uvæ vel botri in torculari. Sic cernimus primos patientis Jesuli purpureos flores, & purpurascentes rosas. Imo, vinea florens Jesulus, & botrus; ob ætatem torculari Crucis intempestivus, licet sit maturus amore & fructu sanguinis. Cernite interim botrum, stillantem saltem guttas sanguinis, in brachiis Mariæ & Joseph velut in pertica suspensum, ut ab illis, veluti exploratoribus terræ promissionis fructus nobis ostendatur.

§. 9. *Iesulus circumcisus, purpureus fasciculus myrrhæ.* Meus flosculus! meus vermiculus! meum conchylium! meus botrus! meus Parvulus! convertitur in fasciculum myrrhæ, de quo sponsa ait Cant. 1. vers. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Nolite cogitare sponsam hæc dixisse de sponso suo jam crucifixo! non cupio ut hodie cogitetis, de virgis, de spinis, de clavis, de lancea; quæ instrumenta doloris, S. Bernardus in illo fasciculo complectitur. Etiam hodie in circumcisione, Jesulus fuit fasciculus myrrhæ inter ubera Matris. Credetis, si vobis placeant aliæ versiones citati versus. Origenes legit hom. 2. in Cant. *Alligamentum guttæ, fasciculus stillæ.* Et

Digitized by Google

Et subdit. *Alligamentum gutta, fraternus meus mihi, corporea Nativitatis ejus indicat Sacramentum*: nimirum hoc. Cum in Cruce suffigetur, purpurei latices, sanguinisque copiosa pluvia de fontibus salvatoris super terram fundetur, tunc ex Crucifixo Jesu corpore scaturient rivuli rosei cruoris : Ast hodie, in Circumcisione, parvulæ guttæ, & modicæ stillæ è corpore Jesuli defluunt, quæ in fasciculum collectæ, velut carbunculi pretiosi, spirantes ignem & dulcia ejaculantes tela, pectori sponsæ, veluti gemmeus torques appenduntur. O amabilem fasciculum, quem sanguine stillantem hodie Maria posuit inter ubera sua.

Meus flosculus! meus vermiculus! meum conchylium, meus botrus! meus fasciculus! meus Parvulus! convertitur in vexillum amoris & cruentæ pugnæ. Pro signo instantis certaminis, olim Romani Duces proponebant vestem coccineam, ut esset admonitio ad paraturam armorum, acueretque militum animos ad pugnam. Contremisce sathan! contremiscat Orcus! fugite infernales larvæ. Pueriles fasciæ, & panniculi, tincti, rufati à sanguine Jesu, vexillum sunt, quo Parvulus de Bethleem, atrox vobis minatur prælium, cruentam pugnam, & ruinam. Sed quid nobis hodie cum præliis ? nobis purpurei panniculi sunt vexillum charitatis, sub quo nos vult congregare, ut DEUM sanguineum ardentissime amemus. Ignem vero amoris vehementius non poterimus inflammare ; quam si affundamus guttulas rosei unguenti & olei, quod hodie fluxit ex Vulnere Jesuli. O mi Jesule! sentio tuas flammas! guttulæ tui sanguinis sunt igneæ scintillæ! uror! O pulcherrime Puer! uror! amo te, mi Jesule !ah tuo sanguine restingue flammas. Satis est! satis est! Erro O Jesu! has amabiles flammas accende tuo sanguine! Amplius Domine! Amplius.

§. 10. *Iesulus rubens sanguine, est vexillum pugnæ & amoris.*

Meus flosculus! meus vermiculus! meum conchylium! meus botrus! meus fasciculus, meum vexillum! meus Parvulus, fit tandem amabilis Jesus; hoc illi hodie impositum est nomen. Audite mellea verba S. Bernardi lib. de passione cap. 36. *Primam sanguinis effusionem legimus in Circumcisione, quando nomen ejus vocatum est IESVS; jam tunc mysterio hoc significando, quod effusione*

§. 11. *Iesulus rubens sanguine est Iesus sive salvator mundi.*

 sanguinis

ſanguinis ſui, futurus nobis eſſet verus IESVS, id eſt, Salvator. Audiant & intelligant tam pueri teneri, quam puellæ audiant omnes & frequenter eorum mentibus inculcetur, maturum martyrium innocentis IESV: perpendantque hoc, Salvatorem noſtrum adhuc parvum per purpureum aſcenſum aſcendiſſe ad aureum reclinatorium gloriæ; Et hos gradus, tu horres, quia purpurei ſunt? *Tu verò ſponſa Chriſti candido preme pede gradus purpureos. Nobilis eſt ſemita* (ſunt verba S. Bernardi ſer. 18. in Cant.) *quàm dilectus tuus prior inceſſit. Quam pulchri ſunt etenim gradus purpurei, quos pede ſacro Chriſtus prior ſignavit, pedibus illis, quos cruoris ſui ſignavit veſtigio. Et tu ardenter veſtigia relige ſanctus enim aſcenſus eſt, quem tibi diſponis. Purpuram hanc non conchylii* (non roſæ, non vermiculi, &c.) *Sed Chriſti ſanguis intinxit. Hic tu pedem libenter pone, ut pes tuus intingatur in ſanguine Chriſti.* Adverto! dulce nomen JESUS, ſanguineo vinculo, me diutiùs detinet.

§. 12. *Prodigioſa dilectio ſtruthionis erga ſuos pullos.*

Reſtat unum, JESUS ſalvator idem eſt quod Redemptor, & Liberator, qui ex captivitate & ſervitute dæmonum nos liberavit. Nomen Redemptoris in memoriam mihi revocat verſum 8. cap. 1. Micheæ: ubi triſtis & ejulans ob captivitatem populi ait: *Super hoc plangam, & ululabo, faciam luctum quaſi ſtruthionum.* Hanc avem dicunt eſſe admirandum prodigium amoris erga ſuos pullos. Si experiundæ dilectionis gratiâ, vitreæ ampullæ includatur implumis pullus; illam triſtis mater diu circumvolat, & pipientis nati delinita blanditiis quærit ſibi aditum, ut liberet captivum pullum; ſed fruſtrà. Tunc naturæ inſtinctu volat in ſolitudinem, inveſtigatque certum vermiculum, cui delato ad vitreum carcerem, roſtro vulnus infligit, ut ſanguis ſuper vitrum decidat, quo efficacia iſtius ſanguinis fractum in fruſta diſſilit, ſicque ſtruthio liberat ſuum pullum. Adverto Parvule de Bethleem, quare ſanguinem fundas! ecce carcerem ferreum ſuperbiæ, in quo infernalis tot ſervos dudum tenet captivos; O Divine Vermicule! permitte vel guttulam roſei tui ſanguinis decidere ſuper hunc carcerem, ut diffringantur portæ, ut captivi educantur è miſerabili cuſtodia. (hoc modo fieri poterit lata digreſſio.)

Nec

Digitized by Google

Necdum exhausi omnes causas, ob quas natus Salvator mundi octavo die post Nativitatem in Circumcisione voluerit effundere sanguinem. Venit ut expungat chirographum quod adversus nos erat peccati. Ad Coloss. 2. v. 14. de quo S. Anselmus: *Decretum ipsa fuit sententia damnationis nostra, quæ erat cunctis hominibus adversa. Sed delevit DEVS hoc chirographum, id est, veteris culpæ cautionem, quâ nos diabolus debitores mortis tenebat. Hujus decreti memoriam delevit DEVS, quando peccatum primi parentis per sanguinem Christi abluit, & quasi oblivioni tradidit.* Quod in cruce fecit rivo sanguinis; hodie fecit parvis guttis & stillis. Guttula sufficiat, ut totius orbis deleat peccata: donans nobis omnia delicta. §. 13. *Sanguis Christi delet chirographum peccati.*

Apud antiquos moris fuit ut fœdera, factæ pactiones, & promissiones, ingentis essent ponderis & auctoritatis, quæ sanguine subscriptæ fuissent. Filius DEI ab æterno cum Patre cœlesti pactum fecit, assumpturum se in tempore naturam humanam, ut in illa mori posset pro Redemptione generis humani. Ne quis dubitare possit, an opus tam arduum daturus sit executioni, parvus Puer sanguinem fundit, ut sanguineis characteribus & signis initum pactum & factam promissionem confirmet. §. 14. *IESVLVS initum cum Patre pactū de redemtione generis humanó subscribit sanguine.*


Leo liberalissimus Imperator hanc posuit sanctionem. Sacri effatus (sive favores à me aliis promissi) quoscunque nostræ mansuetudinis scripserit auctoritas, non alio colore nisi purpureâ tantùm subscriptione lustrentur. Scilicet ut cocti muricis, & triti Conchylii colore signentur, eaque tantummodo fas sit proferri vel dici rescripta, in quibuscunque judiciis, quæ in chartis sive membranis, sub notatis nostræ subscriptionis impresserit. Accedite ergo hodie cum fiducia ad thronum Patris misericordiarum, petite quod vultis! sed subscriptionem priùs petite à JESULO, ecce sanguinem offert, ut sanguine scribamus, quod volumus. Ubi Pater misericordiarum hos sanguineos leget characteres, nihil nobis negabit. §. 15. *simili subscriptione roborat gratias, quas offert.*

Facile ex dictis colligere possumus, quos affectus sanguineo & purpurato Parvulo debeamus. De B. Virgine ait Dionysius §. 16. *Affectus Matris er-*

ga dilectum filiolum, circumcisum. Carthuſ. Ingentibus conſolationibus, ingens fuit dolor admixtus. Quemadmodum enim dulciſſime mirabiliterque gaudebat, Infantem Puerum JESUM, vultu placido conſpectando, Virgineis brachiis deferendo, amplectendo, roſeâ facie oſculando, ſacris uberibus nutriendo; ſic planè vehementiſſimè condolebat, & concutiebantur omnia viſcera ejus materna ſuper innocentiſſimo Filio ſuo - cùm eum hodie vidit vulnerari & ſanguinem fundere, & atrocem in delicatiſſimo Corpuſculo perferre cruciatum. Quid plura? dum è roſeis labiis libat oſcula, dum porrigit mammam, dum os aureum, & labella ſacro lacte rigat, dum ad pectus applicat ſtrictis Puerum lacertis, quàm inenarrabiles ſimul gemitus Mater, quàm dulcis amoris & doloris è pectore eructat ſuſpiria! cum eundem, quem videbat ſcindi cultro, deſtinatum olim ad longè graviora ſupplicia.

§. 17. Proſecutio. Non poſſum hic omittere, adhuc pauca verba ejuſdem Dion. Carth. ſuper verba ſponſæ cap. 1. v. 12. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*; ubi ait: Sicut Dominus noſter JESUS CHRISTUS fuit ſuæ digniſſimæ Genitrici, materia copioſæ lætitiæ, ita & triſtitiæ. Et quidquid pro humani generis Redemptione filius ejus ſuſtinuit, ipſa per modum faſciculi recollegit, colligavit & cordi ſuo firmiſſimè ad recollendum impreſſit. Itaque amabiliſſima Virgo, à Filii ſui infantia, graviſſimos pertulit dolores, inſpiciendo amantiſſimum Filium, & manus ejus ac pedes tractando, ſeu intuendo; quia certiſſimè ſciebat, qualiter Filius ſuus olim eſſet crucifigendus. De quibus alibi. Hos duos affectus, gaudii, amoris, & doloris, ego hodie in vobis deſidero Auditores, &c. fiat affectuoſus Epilogus. NB. Cui placuerit cuivis ſtatui (quod moris eſt) in particulari diſtribueret xenium, inveniet in hac Concione floſculos, conchylia, botros, &c. quæ ad finem illum amplam ſuggerent materiam.

CON-



CONCIO LXI.

FESTO EPIPHANIÆ.

Ecce Magi ab Oriente venerunt,
Matth. 2. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS.

BEnè facit, qui cum tribus Regibus Nato Infantulo offert munera. Et qualia præcipuè offerenda sint.

PRima pars hujus Concionis proponit causas, propter quas soliciti esse debemus, ut post affectus & actus, vivacis fidei, profundissimæ reverentiæ & adorationis, spei, doloris, sive contritionis, & ardentissimæ charitatis, intimæque unionis, cum dulcissimo JESULO, de suavissimo Infantulo, & §. 1. *Brevis Concionis propositio.*

& erga diviniſſimum hunc Puerum, ut exemplo trium Regum eidem offeramus munera, & accepta dona: qualia amabilisſimus Puer deſideret, audietis in altera parte hujus Concionis.

§. 2. *Iacob irati fratris Eſau iras placat muneribus.*

Muneribus magna ineſt poteſtas, & imperium, quod patet, quando in homine, mirabiles, & prodigiis ſimiles operantur immutationes. Munera frequenter, etiam Regum & Dynaſtarum corda huc illuc vertunt, ad arbitrium donantis. Redibat Jacob de domo Laban, Gen. 32. cap. verſ. 22. in patrium ſolum, comitatus dilectis uxoribus, turbaque parvulorum, & famulorum. Cum ad ejus aures pervenit fama, de occurſu ſui fratris Eſau, ingenti percuſſus fuit metu & timore, ſciebat enim illum eſſe hominem auſterum; ob diſceſſum ſuum ira & furore inflammatum. Nihilominus in tanto periculo conſtitutus facile excogitavit remedium, ut ſaluti ſuæ, & ſuorum proſpiceret, repelleretque diſcrimen. Ut ferocientem fratris animum emolliret, vultumque barbarum delineret, munerum excogitavit blandimenta. Ait enim cit. cap. verſ. 20. *Placabo illum muneribus, & poſtea videbo illum, forſitan propitiabitur mihi.* Pagninus ex hebræo ita vertit. *Placabo faciem ejus munere, quod vadit ante me, & poſtea videbo faciem ejus, ſi forte ſuſpiciat faciem meam.* Munera promiſit Jacob, gratiorem, & facundiorem legatum præmittere non potuit, mihi certum eſt, referet ille de pectore Eſau palmam, vultumque ejus reddet placabilem. Mecum ſentit Oleaſter hic. *Placabo faciem ejus munere, acſi dicat: Videat ipſe prius munus, quam ego faciem ejus; ut munus faciem leniat ad aſpectum meum; ne in me malum, quod ipſi intuli, videat, ſed videat oculis muneris, me, non ſuis, qui enim munera accipiunt, vident per munera, non oculis ſuis.* Ita contigit: Cum munera jacerent in conſpectu Eſau, ait Jacob, *Accipe munuſculum, de manibus meis*, & ſtatim ſubdit, ſe vidiſſe faciem fratris, ſicut vultum Dei, vel alicujus Angeli, id eſt, faciem lætam, ſerenam, gratioſam, oculos amabiles. Sed, iratus Eſau, nunquid occurrit fratri inſtar rugientis leonis? erectis jubis? accenſis oculis? explicatis ad vindictam unguibus? & hic leo, ſubito eſt Angelus? quis iras ſedavit? quis accenſos extinxit oculos? quis ferreum pectus molleſecit? quæ cauſa ſubitæ, & mirabilis

his

Digitized by Google

lis metamorphoſeos? quis barbarum, truculentum, minacem vultum convertit in Angelicum? Oblata munera hoc potuerunt efficere. Eloquens legatus, quem Jacob præmiſit, tantæ fuit auctoritatis, ut omnia ad votum Jacobi perfecerit.

Tres Magi venientes ab Oriente in Bethleem, fuerunt gentiles, dediti ſuperſtitionibus: ex aliquorum mente veri Magi; fortaſſis falſorum deorum cultores, cauſam proinde habuerunt timendi trucem & minacem in Puero vultum, quem jam divino lumine illuſtrati, Regem agnoverunt, antequam viderent, intrepide quærentes in urbe Jeroſolyma, & palam, *Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* ſed quid fecerunt ſapientiſſimi Reges antequam ſtabulum ingrediantur, per famulos, ad pedes JESULI deponunt munera, aurum, thus & myrrham. Et hæc dona habuerunt gratioſiſſimos oculos quibus Jeſulus Reges ſtatim aſpexit, & viciſſim Reges in Puero faciem viderunt, amabilem, Angelicam, imo Divinam, Regia munera placuerunt oculis Regis Regum. *§. 3. Præcedens hiſtoria applicatur tribus Regibus*

Si nos Auditores amantiſſimi, conſiderare velimus malum, quod per peccata Nato Infantulo intulimus, juſtam habemus cauſam timendi, ne veniat iratus Eſau, ne nobis occurrat inſtar rugientis leonis, ulturus noſtra ſcelera, ſuperbiam, luxuriam, blaſphemias, & ſimilia flagitia, quibus etiam his feriis Natalitiis divinam Majeſtatem graviſſime offendimus, non relinquit inulta, iratus puer jam extendit arcum, evaginavit gladium, minatur fulmina, intentat nova bella; parantur novi hoſtes, elevate oculos, ecce in manibus irati Angeli, ſupra Romanum Imperium, virgas, gladium, calvariam; qualia hæc damna minentur, expertus fuit David. Quid agemus? quomodo iratum Puerum placabimus? (eſt locus pro repetitione pulchrarum interrogationum) quæramus munera, deponamus ad pedes JESU pretioſa dona (quæ poſtmodum nominabo) ut prius videat illa, quam nos & noſtra ſcelera, munera lenient faciem ad aſpectum noſtrum, non aſpiciet malum, quod intulimus; ſed munera. Cum tribus Regibus vero & nos, videbimus gratioſam, amabi- *§. 4. Multo magis Auditoribus.*

Digitized by Google

lem, Angelicam, imo divinam faciem amabilissimi Pueri. Dona nostra ferocem leonem, in mitissimum Agniculum commutabunt.

§. 5. *Munera immutant animum hominis.* S. Ambrosius aliquid peculiare advertit in significatione, in vocula Phison, qui est unus ex quatuor fluviis, qui fluunt ex fonte paradisi, ait, illam voculam esse idem quod *Oris immutationem*, quod aquis illius fluvii insit vis quædam immutandi animum hominis. Sed unde illa virtus? Phison fluit per terram feracem auri, argenti, pretiosorumque lapidum, juxta S. textum Gen. cap. 2. v. 11. *Ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibi invenitur bdellium, & lapis onychinus.* LXX. *Ibi est carbunculus.* Verbo, Phison est fluvius aureus, gemmeus, voceturque propterea Oris mutatio, ut donorum & munerum exprimatur potestas, qua etiam feroces hominum animos & vultus mutare possunt. S. Ambros. *Ornamenta pretiosa, mentem animumque commutant, ut aliud sit in sermone, quam fuerat in pectore.* Redeo ad priorem meum discursum. Sit ita. Fuerit pectus Jesuli iratum, fuerint in illo cogitationes de sumenda vindicta, ob gravia scelera; non ideo timeamus. Eja! in aureo gemmeoque fluvio divinæ misericordiæ; in roseo fluvio pretiosi sanguinis Domini N. Jesu Christi, in amaro fonte pœnitentiæ, quæramus aurum & pretiosos lapillos pulcherrimarum virtutum, talia dona offeramus Jesulo, mox alius erit in vultu, in oculis, in lingua, quam fuit in pectore. Pretiosis muneribus placabimus Parvulum de Bethleem.

§. 6. *Utinam mutemur & nos.* Sed utinam & nos immutaremur! quæ quæso hactenus in cordibus nostris fuerunt cogitationes? blasphemæ, venenatæ &c. quæso, non sint amplius! quæ scelera patrarunt manus! non fiat amplius! Ecce in medio Paradisi, in stabulo Bethlemitico, oritur & fluvius voluptatis. Parvulus Puer est aureus Phison, fluens gemmis & lapillis pretiosis, quibus conatur emollire corda nostra; offert nobis thesauros pretii infiniti; dummodo nos velimus immutare. Hoc spero.

§. 7. *Josephum* Quoties lego cap. 42. Genesis, miror Josephi diversum vultum

vultum, quo aſpexit venientes ad ſe fratres, variumq; ſermonem quo illos fuit allocutus. verſ. 7. ait textus. *Cumque adoraſſent eum fratres ſui, & agnoviſſet eos, quaſi ad alienos durius loquebatur. Exploratores eſtis; ut videatis, in infirmiora terræ veniſtis.* In altero occurſu dum fratres altera vice redeunt cap. 43. verſ. 16. *cum illos vidiſſet* (ecce ſubitam mutationem) *præcepit diſpenſatori domus ſuæ, dicens: introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue convivium, quoniam mecum ſunt comeſturi meridie.* Ecce diverſas formas & larvas! In prima ſalutatione Joſeph, in vultu ferociam præ ſe ferens; fratrum perculit animos, in altera feſtiviſſimum oſtendit vultum, dulcemque miſcuit ſermonem. In una fratres coniicit in vincula, furit, minatur atrocia: in altera invitat ad convivium, & ſtringit amplexibus! initio, exploratores, deinde omni humanitate excipiuntur. Quis larvam ferocitatis de vultu Joſephi exuit? quis perſonam clementiæ induit? O quid poſſunt oblata munera! Prudentiſſimus ſenex, omnium pater, fratrum & Joſephi, dederat illis ſapientiſſimum conſilium, ut regrederentur ad Proregem in Ægypto, fame compulſi, ſed muneribus protecti. Gen. 43. v. 11. *Sumite de optimis terræ fructibus, in vaſis veſtris. & deferte viro munera, modicum reſinæ & mellis, & ſtoracis, ſtactes & terebinthi, & amygdalarum.* Ubi Abul. vim munerũ perpendit: *Præmonuit illos Jacob aliqua munera deferre viro illi, ut placabilis illis eſſet, noverat enim Jacob quanta vis ſit in muneribus, quia animos iratos conciliant, & amorem cauſant.* Neque prudentiſſimum ſenem fefellit Rei eventus; nam ad conſpectum fratrũ, & munerum, Joſephi ſeveritas immutata eſt in clementiam, ibid. verſ. 26. *Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus ſuis, at ille clementer reſalutatis illis, interrogavit eos dicens: Salvuſne eſt pater veſter ſenex!* Textus hebraicus ait: *Interrogavit eos pro pace, vel pro ſanitate.* LXX. *Interrogavit eos quomodo habetis*, ita viros etiam primarios, munera reddunt faciles, ſuaves, & benignos, & vultus ferocientes in manſuetiſſimos transmutant.

iratis fratribus conciliarunt munera.

Digitized by Google

§. 8. *Et nos muneribus possumus placare Iesulum.*

Ex affectuosa historia iterum patet causa, ob quam tres Magi ex Oriente venerint in Bethleem, ad natum Regem Judæorum cum muneribus. Sed vobiscum potius mihi res est, Auditores, adeste, aspicite pulcherrimum Infantem! Et quid timetis? cur pallet vultus? fortasse cernitis iratum vultum? an scintillas in oculis! an gladium ancipitem in ore ejus? an igneam linguam? Timete! exploratores & proditores estis! vendidistis innocentem Joseph! & benignum exspectatis vultum: ne miremini, si agnoscat vos, & durius loquatur. Cavete, ne statim vos tradat in vincula! si tamen placare vultis; si desideratis, ut trucem larvam exuat, induat formam clementiæ, sumite de optimis terræ fructibus, & quærite pretiosa munera, cum illa viderit; vultum exhibebit amabilissimum, loquetur suaviter, Jesulus nos stringet brachiis, invitabit ad convivium; erit frater noster Joseph.

§. 9. *Secunda Pars Concionis, vellet Iesulo offerri 1. Aureum Phœnicem: qualis fuit S. Maria Magdalena.*

Sed qualia dona desiderat cœlestis Joseph? Primum trium Magorum munus fuit aurum; ob aurea, quæ sub hoc metallo latent mysteria, non dubito illud valde placuisse Jesulo. Cum varia ex auro formentur & fundantur simulacra, statuæ, scyphi, annuli, catenæ, corcula, &c. ego si aurifaber forem, vellem formare aureum Phœnicem, ut illum offerremus JESULO, mirabitur non nemo, cur nominem Phœnicem; sed faciam ut admiratio mox immutetur in piam complacentiam. Manu me ducit nobilis interpres, qui de S. Magdalena ait, quod fuerit *Phœnix divini amoris*, ob mirabilem quandam mutationem, qua famosa peccatrix, facta est JESU Christi ardentissima amatrix. Modum descripsit S. Lucas cap. 7. vers. 8. *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Animæ piæ! quis nos impediet, quo minus Parvulo de Bethleem exhibeamus hæc amoris obsequia, eja piis lachrymis rigate aureos pedes, eja tergite capillis, &c. Sed quo me rapit affectus, antequam meum discursum satis perspicue proposuerim? Propono itaque verbis S. Gregorii Magni homil. 33. in Evang. Ecce mirabilem immutationem ardentis Phœnicis, sive amantis Magdalenæ.

Quod

Digitized by Google

Quod sibi (inquit S.Chrysostomus) *turpiter exhibuerat, hoc jam DEO laudabiliter offerebat, oculis terrena concupierat; sed hos jam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat; sed jam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum; ut totum serviret DEO in pœnitentia, quidquid ex se DEUM contempserat in culpa.* Talia holocausta offeramus JESULO. Aureos oculos, hoc est, si oculi vestri hactenus fuerunt curiosi, impudici, elati: imposterùm sint modesti, pudici, demissi. Hos aureos oculos amat Jesulus. Offeramus illi auream linguam: Si illa hactenus fuit blasphema, turpis, detractrix, calumniatrix; sit inposterùm, in gratiam Jesuli; argentea, aurea, loquens de DEO, &c. auream ardentis Phœnicis linguam amat hic Puer. Offeramus aureas manus; aureum cor, &c. (hoc modo hic locus poterit fusè dilatari) Verbo; Vitæ veteris renovatio, qualis est Phœnicis, Parvulo de Bethleem, est aureum & pretiosum munus. O jucundum DEO & Angelis spectaculum! si hodie cum tribus Regibus compareamus coram nato Puero, veluti aurei, divini amoris phœnices. Si tales estis; advolvite vos pedibus JESULI: figite oscula, fundite ex oculis aureos globulos, suavissimas lacrymas doloris & amoris. Aurei capilli sunt amorosæ de Jesulo cogitationes, & inflammata suspiria: his aureis funiculis stringite aureum Puerum. O dona pretiosa! O aurea & suavia holocausta!

Alterum donum cum tribus Regibus, debemus quærere in monte myrrhæ. Iterum non inhæreo illis mysteriis, quæ latent sub myrrha; hoc unicum mihi modò placet, quod unguentum vel virgula fumi, confecta ex myrrha licet acerba, amara sit, nihilominus suavissimi sit odoris: unde etiam de phœnice refertur, quod inter odorata ligna ad instruendum rogum & focum, in quo odoratis ignibus se vult renovare, etiam §. 10. 2. *Myrrhã.*

quærat ſurculos myrrhæ. Nunc iterum aliquid narrabo de S. Maria Magdalena, Phœnice Divini amoris, & advertemus nos habere cauſam, ut cum myrrha, veluti pretioſo dono accedamus ad ſtabulum Bethlemiticum.


§. II. *Ut imitemur pœnitentem Magdalenã ad tollendũ fœtorem vitiorum.* Myrrhæ ſive pœnitentiæ ſuavis odor plane eſt neceſſarius, ut hodie cum tribus Magis coram Parvulo in Bethleem comparеamus, ut peccatorum fœtor illo aboleatur. Aliàs monui, S. Mariam Magdal. non ſine myſterio pretioſo balſamo bis inunxiſſe Jeſum. Primo cum in domo Simonis lachrymis rigavit pedes ejus, Lucæ. 7. Deinde, poſt Lazarum ſuſcitatum, cum in eadem menſa cum Jeſu accumberet, ſuper pedes Jeſu effudit unguentum, & totam aulam ſuaviſſimo replevit odore. Joannis cap. 12. verſ. 3. *Maria accepit libram unguenti, nardi piſtici, pretioſi & unxit pedes Ieſu ; & domus impleta eſt ex odore unguenti.* O ſagacem Magdalenam! Lazarus de putredine ereptus, de quatriduano tumulo ſuſcitatus, innuebat peccatorem obſitum ſqualore vitiorũ, criminum ſordibus, fœtidũ; judicavit proinde Magd. neceſſe eſſe, quærere unguentum pretioſum, igneque charitatis accendere myrrham contritionis, ad tollendum odorem vitiorum. Ita S. Ambroſius lib. 2. de pœnit. cap. 8. *Quod igitur de Lazaro legimus, in unoquoque debemus converſo credere peccatore, qui licet fœtorem habeat, tamen fidei pretioſo emendatur unguento, &c. tantum enim gratiæ habet myrrha pœnitentiæ - ut ubi ante diem fœtebat mortuus; illic bono odore tota repleatur domus.* Et ſubjungit. *Itaque liberato peccatore, factum eſt in ea gaudium magnum, & redoluit domus tota ſuavitate gratiæ; hujus effuſione unguenti omnes lætantur, &c.* O ſi hoc hodie contingeret in Bethlemetico ſtabulo; O ſi Jeſulo talem præſentaremus myrrham! cauſas habemus, fœtet noſtra luxuria! fœtet odium, &c. Hic fœtor aboleri non poteſt, niſi fragrantia myrrhæ pœnitentiæ; Eja Animæ piæ, cum tribus Magis, cum Maria Magdalena, afferte myrrham, quærite unguentum pretioſum, ungite pedes Jeſuli, accendite myrrheas virgulas fumi, igne amoris; totum ſtabulum replebitur ſuaviſſimo odore, lætabuntur Angeli, lætabitur Maria, lætabitur Jeſulus!

Ex


Digitized by Google

Ex monte myrrhæ, cum ſponſa poterimus pervenire ad collem thuris, & ibi inveniemus tertium munus offerendum Jeſulo, ſcilicet thus: Permitto ut cogitetis, ipſum Jeſulum eſſe hoc donum. Turrianus enim ait: *Credimus diviniſſimum Jeſum ſupra naturam ſuaviſſime olentem divina jucunditate mentes noſtras replere* Sed ego modo volo, à nobis Jeſulo offerri thus, quod naſcitur in cordibus noſtris. *Facies itaque* - in animo tuo - *altare ad adolendum thymiama, de lignis ſetim* (Exodi 30. à verſ. 1.) *veſtieſque illud auro puriſſimo, facieſque ei coronam aureolam per gyrum. Et duos annulos aureos, &c.* Lignum ſetim, dicitur etiam alba ſpina, eſt imputribile, nec igne læditur, nec flamma conſumitur. Tale cor hodie offer dilecto tuo Jeſulo, liberum ab omnibus vitiis. Veſti illud mundisſimo auro dilectionis, impone illi gemmeam aureolam, lucentem non gemmis, ſed actibus excellentisſimarum virtutum, &c. & tunc illi impone thymiama, redolenſque thus tenerrimæ devotionis, adde odores fragrantiſſimarum precum, his odoribus implebitur ſtabulum, oblectabitur Jeſus, gaudebunt Maria & Joſeph, exultabunt Angeli, lætabimur & nos benedicentes Jeſulum, cui ſit laus, honor, & gloria in ſæcula. Amen.

§ 12. 3. Thus, in aureo altari puri cordis.



CON-



CONCIO LXII.

FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS.

Tulerunt Iesum in Ierusalem,
Lucæ 2. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

INgressus Mariæ in templum, cum dilecto suo Jesulo, fuit gratiosus SS. Trinitati, & toti cœlesti Angelorum Curiæ.. Maria vel Jesulus, templi lampas, aureum thuribulum, virgula fumi, altare, hostia, porta, &c.

§. 1. *Maria templum fuit ingressa amicta sole.*

§. 2. *Per Mariam Deus ostendit mundo splendorem suum.*

§. 3. *Ingressus Virginis in templum placuit Patri, & Filio & Spiritui Sancto.*

§. 4. *Et triplici cœlestium spirituum Hierarchiæ.*

§. 5. *Hodie impleta sunt variæ prædictiones Prophetarum.*

§. 6. *Maria hodie templo intulit lucidissimam lampadem, plenam oleo misericordiæ. Ipsa quoque talis fuit lampas.*

§. 7. *Mater & Filius, Jesus & Maria, duo aurea thuribula.*

§. 8. *Suavissimi odoris.*

§. 9. *Quare B. Virgo vocetur Virgula fumi in deserto.*

§. 10. *Quomodo hæc virgula fumi sit potentior, quam virga Moysis.*

§. 11. *Christus D. altare, & victima, à B. Virgine illata templo.*

§. 12. *Maria ostium & janua templi.*

§. 13. *Maria! porta speciosa*

Aprima

Digitized by Google

A Prima templi Hierosolymitani constitutione personæ digniores & excellentiores, illud ingressæ non sunt, quã dum hodierna luce, post sanctissimũ puerperiũ in stabulo Bethlemetico peractum, sancta Dei Genetrix filiolum suum in ulnis gestans, illum per manus sacerdotis obtulit æterno Patri. S. Joannes Evangelista non indignabitur, si hodie dicam ex cap. 12. vers. 1. Apoc. *Signum magnum apparuit*, non in cœlo, sed in templo, *mulier amicta sole*. Avertite hodie oculos Auditores à muliere illa Apocalyptica, quæ, quia fugit, figura tantum Matris Dei, satis fuit quod solaribus splendoribus & radiis illuminata, gloriosa apparuerit in cœlis, & conjicite illos in illam Virginem, quæ hodie templum ingreditur, quam S. Bernardus ita fuit allocutus. *In te manet, & tu in eo; & vestis eum, & vestiris ab eo, vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria suæ majestatis. Vestis solem nube, & sole ipsa vestiris.* Gloriosior Deipara templum ingredi non potuit, quam dum solem pulchritudinis infinitæ, hũc Jesulum, in ulnis gestans, intulit in templum. *Templum ingressa est* (utar verbis Richardi de S. Victore) *amicta sole, quia sol Divinitatis infulget ei, & circumfulget eam & totam occupat, & post eam maxime illustratam totum templum illuminavit.* O Domina! mihi permitte ut te salutem verbis Eusebii Emysseni: *O pulchra lux, quæ de candido cœli fastigio promicasti, & inter fluenta purpurea* (addam ego jacens in ulnis & brachiis formosissimæ Virginis & Matris) *sedentes in tenebris & umbra mortis, subita claritate visitasti.* Qua luce ita recreatus fuit senex Simeon, ut præ gaudio exclamaverit, *Nunc dimittis servum tuum in pace.*

§. 1. *Maria templum ingressa amicta sole.*

Ita hodie apparuit veritas Prophetiæ Baruch, qui exultans lætitia ita cecinit cap. 5. vers. 1. *Indue te decore, & honore ejus quæ à DEO tibi est, sempiternæ gloriæ. Circumdabit te DEUS diploide Justitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni. Deus enim ostendet splendorem suum in te, omni qui sub cœlo est.* Ad litteram hæc dicta sunt de Synagoga ex exilio in patriam reduce, sed verissima sunt omnia de Deipara. Induta fuit decore, & honore, & gloria, mitra pulcherrima imposita est illi in mysterio Incarnationis, cum facta fuit Mater DEI, juxta illud

§. 2. *Per Mariã Deus mundo ostendit splendorem suum.*

Digitized by Google

Hugonis Cardin. *Ostendet splendorem suum in te, id est, Filium incarnari faciet, qui dicitur splendor Patris.* Hunc splendorem concepit, cum Gabrieli Archangelo respondit, *Ecce Ancilla Domini.* Hunc splendorem peperit in stabulo, cum cœlestes Genii illi accinuerunt, *gloria in excelsis Deo.* Hunc splendorem ostendit primum dilectissimo suo sponso S. Josepho, dein Pastoribus, post aliquot dies sanctis tribus Regibus, hodie post dies quadraginta ostendit illum Simeoni & Annæ in templo. Ab hoc splendore admirabili luce fuit irradiata.

§. 3. *Ingressus B. Virginis in templum placuit Patri, & Filio & Spiritui Sancto.*

Placuit proinde hic ingressus æterno Patri. Pater enim in hac Virgine agnovit Matrem sui Filii, *& veluti sponsam castissimæ dilectionis, singularissimæ fœcunditatis, solicitissimæ educationis quæ singulari munditia Virginitatis, & amplius profundissima abysso humilitatis placuit Altissimo Patri*, (NB. si placet, potest fieri brevis digressio in laudem humilitatis B. Virginis, cujus hodie præbuit pulcherrimum exemplar, in observatione legis, ad quam non tenebatur) *cui* (hodie) *& filium suum Unigenitum dedit, quem de suis castissimis visceribus concepit, & peperit, & diligentissime enutrivit.* Hanc ergo Virginem Pater recognovit Matrem Unigeniti Filii sui. Complacuit sibi hodie ipse Jesulus in hodierno templi ingressu, quod templo inferretur, quod Patri suo Cœlesti offerretur in brachiis & manibus tam dilectæ Matris. Super hæc brachia maluit Jesulus quiescere, quã super pennas Cherubinorum. Spiritui Sancto placuit hic ingressus, quod templum ingrederetur Virgo illa gloriosa, quam sciebat Spiritus S. esse fornacem sui amoris, & officinam suæ stupendæ operationis, in qua, & de qua fabrefactum est Corpus mundissimum Filii Dei. Complacuit sibi Spiritus S. quod in hac officina, & per eam fabrefecisset, quidquid in gratia mirificum operatur, & quod in hac fornace totum ignem suæ operationis inclusisset, quem unquam dare disposuit creaturæ rationali. Paululum tantum hæc verba S. Bernardi immutavi.

§. 4. *Et triplici Cœlestium*

Proindedubium non est, omnibus quoque Angelorum choris hunc ingressum in templum, quem de cœlis spectarunt, mirifice placuisse. Prima acies constat ex Thronis, Cherubinis & Seraphinis

Digitized by Google

phinis. S. Athanasius putat hos spiritus festivis plausibus acci- *Spirituum Hierarchia.* nuisse Virgini. *Beata tu in mulieribus! & beatus venter tuus Dei gestator! beata ubera quæ Infantulus sugit; beata brachia quibus portatur!* Secunda Hierarchia complectitur Dominationes, Virtutes & Potestates, omnes cum magna gratulatione de cœlis acclamarunt: *Ingredere benedicta in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS, beata mamillæ quæ lactant Deum Puerum factum.* Tertia ex principibus, Angelis & Archangelis acies, ductore S. Gabriele Archangelo lætis vocibus repetierunt ductoris sui gloriosum hymnum, *Ingredere! Ave gratia plena, Dominus tecum.* Quæ unquam creatura, quis Rex, quis Propheta, quis Pontifex, quis sacerdos, quæ Virgo Hierosolymitanum ingressa est templum, cujus ingressus, sanctissimam Trinitatem & omnes Cœlites ita recrearet.

Si regius Psaltes David, redivivus hodie vidisset hunc in- *§. 15. Hodie impleta sunt varia prædictiones Prophetarū.* gressum in templum, si vidisset cognatam suam virgineis manibus cœlesti Patri offerentem Messiam, sive Redemptorem mundi, nunquid apprehensa cithara, imo saltando, ut olim ante arcam cecinisset: ex ultimo suo Psalmo, *laudate Dominum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara, laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo: laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis.* Addidisset sine dubio causam ex Psalm. 10. vers. 5. Hodie - *Dominus in templo sancto suo.* Ex Psalm. 47. vers. 10. Nam hodie - *suscepimus DEI misericordiam in medio templi sancti sui.* Ex Psalm. 64. vers. 6. *Iam replebimur in bonis domus ejus, sanctum est templum ejus.* Sine dubio repeteret psalmum suum 137. *Confitebor Domino in toto corde meo, - in conspectu Angelorum psallam ei, adorabo ad templum sanctum ejus, & confitebor nomini ejus super misericordia & veritate sua, quoniam magnificavi super omne nomen sanctum suum.* Quod si redivivus adesset Isaias? repeteret hauddubie versum 6. cap. 12. suæ Prophetiæ; *Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Diceret hauddubie ex cap. 25. v. 9. *Ecce Deus noster iste!* (iste parvulus, iste infantulus,

tulus,&c. (*expectavimus eum, & salvabit nos: Iste Dominus! exultabimus & lætabimur in salutari ejus.* Ex c. 46. v. 13. *Laudate cæli & exulta terra, jubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum misertus est.* Quid si Prophetæ Habacuc liceret comparere? caneret hauddubie v. 18. c. sui 3. *Ego autem gaudebo & exultabo in Deo Iesu meo.* Sed quid opus est Prophetarum præsentia? omnium vices supplet Beatissima Puerpera, tenerrimo affectu millies ingeminans, *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

§. 6. *Maria hodie templo intulit lucidissimam lampadem plenam misericordia. Ipsa quoque talis fuit lampas.*

Progredior ad ornatum, qui hodierno festo accessit templo ab ingressu Deiparæ Virginis. Cogitate solem, cujus initio feci mentionem conversum esse in lucidissimam lampadem, quæ illam infert in templum, est Regina Virginum prudentum, DEI Mater, in cujus utero salvator mundi, ut *lampas fuit accensus*, & ex ea *justus*, sive Filius Altissimi, *ut splendor egressus est*. Isaiæ c. 62. Attulit quoque vas olei, & unguenti pretiosi immensæ misericordiç, quod Spiritus S. in Mariæ gremium infudit, quam ipsa impendit Filio, ut superefluens in Filias Adæ effundatur. Id quod ego in laudē Deiparæ libenter voluissem exprimere, inveni apud Seraphicum Doctorem S. Bonav. in speculo Mar. lect. 7. *Maria plena est unctione misericordiæ, plena oleo pietatis. Vnde ipsa signata esse potest, per illam mulierem, cui clauso ostio domus suæ omnia vasa intus congregata, facta sunt miraculose oleo plena, secundum quod Elisæus illi prædixerat, dicens, cum plena fuerint, tolles &c. Mulier ista est Maria! hujus mulieris - aurea vasa sunt affectus, & affectus desideria, & beneficia, quæ omnia oleo misericordiæ plena sunt, in Maria. Vnde de hoc oleo bene dixit S. Bernardus. Nec mirum O Domina! si tam copioso oleo misericordiæ cordis tui perfusum est sanctuarium*(hæc verba hodierno festo eleganter possunt accommodari,) *cum illud inæstimabile opus misericordiæ, quod prædestinavit Deus ante sæcula in redemptionem nostram, primum sit in te à mundi artifice fabrefactum, dicamus ergò Carissimi, dicamus Mariæ, da nobis de oleo tuo, petamus oleum misericordiæ ejus in mundo*(pulchre hodierno festo,)*ne frustra petamus in judicio.*

Luci-

Digitized by Google

Lucidissima lampas plena oleo misericordiæ, hoc est, Maria gestans in ulnis JESULUM simul templo intulit thuribulum aureum, cum incenso suavissimi odoris. Utar ferè verbis S. Amadei hom. 6. de B. Virgine; nam pauculas voces immuto, ut hodierno festo aptiùs accommodentur. *Divinis ignita flammis -- tota effecta est, velut ignis, & holocaustum Deo obtulit suavissimum. O phœnix aromatizans, gratius cinnanomo & balsamo, & nardo suavius, Regem in aspectu suo delectans. Hodie in templo, in holocaustum obtulit, non cinnanomum, non nardum, &c. sed Jesulum dilectissimum Filium suum. Phœnix non jam congregans species aromatum, sed unicum flosculum campi, lilium convallium & fasciculum myrrhæ complectens inter ubera sua; tota circumfusa ignibus divini amoris; eundem offert Patri ut simul cœlum cœlorum, & cœli potestates Angelicas mirifico repleat suavitatis incenso. Hoc* hodie in templo *fuit incensum suavissimum, hoc thymiama bene compositum processit de thuribulo cordis Mariæ, & universa suaviter olentia excessit.* Non Patriarchæ, non Prophetæ, non Reges, non Sacerdotes omnes simul collecti; tale potuerunt hactenus offerre incensum & holocaustum, quale hodie obtulit Maria de thuribulo cordis sui; nisi dicere malimus, dilectissimum Mariæ Infantulum, & divinissimũ ejus corculum fuisse hoc thuribulũ.

§. 7. *Mater & Filius, Jesulus & Maria, duo aurea thuribula.*

Ob suavitatem hodierni incensi de B. Virgine ait S. Hieronymus ep. 10. de Ass. V. *Beata Dei Genetrix ascendit* (dicam ego, ingressa est templum) *hodiernâ die, speciosa valdè, & admirabilis, cujus odor inæstimabilis erat nimis, & ideò ineffabilis, ad cujus profectò fragrantiam odoris; omnis illa cœlestis Jerusalem*; imò Sanctissima Trinitas ineffabiliter recreata fuit. Circumdederunt eam non flores rosarum, & lilia convallium, sed in sinu ejus jacuit flos florum, rosa rosarum pulcherrima, lilium liliorum odoratissimum, formosissimus & fragrantissimus JESULUS. Cujus odore in admirationem rapti cœlestes Genij quærunt Cant. 3. v. 6. *Quænam est ista, quæ ascendit per desertum* (dicamus hodie, ista, quæ ingreditur templum) *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* LXX. *tanquam truncus fumi incensus.* Symmachus. *Tanquam incensi evaporatio.* S. Ambrosius, *Veluti fumus natus ex igne*, qui dirigitur sicut incensum in conspectu Domini. Respondet

§. 8. *Suavissimi odoris.*

 tan-

Digitized by Google

tandem Rupertus. *Talis Virgula fumi est beata Maria, quâ suavem odorem spiravit altissimo,* scilicet eximiarum virtutum & ardentium affectuum, etiam in prima Conceptione, in Nativitate, in Annunciatione, in Filij partu; & præsertim dum hodie in templo æterno Patri obtulit Filium suum, in holocaustum pro redemptione generis humani; de quo credimus divinissimum supra naturam suavissimè olentem, divinâ jucunditate totum templum replevisse. Divinissimum hunc odorem, in aureo thuribulo inflammatissimæ charitatis Maria hodie intulit templo.

§. 9. *Quare B. Virgo vocetur Virgula fumi in deserto.*

Et rectè Deipara nuncupatur virgula fumi in deserto, si nobis placeant verba D Bonaventuræ supra citatum locum ex Canticis. *Desertum,* ait, *est cor peccatoris, quod utique desertum est à gratia, & virtutibus; fumus aromaticus, fumus suavis animæ est aspiratio spei veniæ. Beata Virgo Maria per desertum, quasi virgula fumi ascendit* (ô si hoc hodie fieret in cordibus peccatorum) *quando ipsâ suffragante cor peccatoris* (cum dolore de peccatis, cum contritione, &c.) *fumum spei veniæ concipit. Nullum Beatissima Virgo desertum abhorret, nullum peccatorum despicit,* hoc est, in omnium corda, veluti mundata templa, & ornata splendore gratiæ cuperet inferre suum Jesulum; *sed quocunquè pertransierit, suavissimum fumum spei veniæ resperget.*

§. 10. *Quomodo hæc virgula fuerit potentior, quàm Virga Moysis.*

Potentior in hoc est virga fumi Mariana, quàm fuerit virga Moysis. Bis illa percussit petram in deserto, & copiosissima aqua fuit egressa; at ex oculis rebellis & inobedientis populi compunctionis lacrymas elicere non potuit. Virga Moysis, virga terrea, virga aquea, virga aëria; virga sanguinea, horribilibus portentis elementa omnia potuit immutare; sed non obduratum cor Pharaonis. Alteri virgulæ, Mariæ scilicet, dum suavissimum templo intulit incensum, reservata fuit tantæ prærogativæ victoria, ut in cordibus inprimis accendat myrrham pœnitentiæ, tum aquas eliciat contritionis. Quæ victoria in citato versu insinuatur, nam pro illis verbis; sicut virgula fumi, ponunt Hebræi, *tanquam palma, tanquam myrrha suffita.* Ut innuatur Mariæ triumphus, quem suavitate sui odoris conversionibus induratorum peccatorum triumphat. Sed iterum ingredior templum.

Et

Et quidem duo altaria; quorum duo fuerunt, quibus Salomon ornavit templum. Unum holocaustorum, alterum incensi; ut constat ex cap. 24. & 30. l. Exodi; & S. Gregorio M. l. 2. in Ezech. hom. 22. his verbis: *In tabernaculo per legem duo altaria fieri jubentur. Vnum videlicet exterius, aliud verò interius. Vnum in atrio, alterum ante arcam. Vnum quod æri coopertum est, aliud quod auro vestitur. In altari æreo cremabantur carnes; in altari aureo, incenduntur aromata.* In utroque altari Christum D. fuisse adumbratum concors est SS. Patrum mens. S. Cyr. Alex. l. 4. in Joan. c. 28. ait: *Considera, quàm diligenter utrisq. altaribus Christus nobis describitur. Per altare quidem incensi, ut suavitatis odor ascendisse ad Deum Patrem intelligatur. Per holocausti verò altare, ut hostia pro nobis acta repræsentetur.* Proinde bene dixit S. Basilius hic: *Thymiama illud prius, jam est fastidio, & abominationi apud Dominum. Non jam juge sacrificium, non victimæ continuò repetitæ placent. Vna enim hostia Christus.* Imò, qui altare est, est victima, & victima est altare, quod B. Virgo hodie intulit in templum. Non desiderat ultrà Dominus multitudinem victimarum; plenus est, hoc est, non indiget illis. *Holocausta arietum & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum* (c. 1. Isaiæ v. 11.) *& agnorum, & hircorum non vult amplius.* Ubi tamen S. Basilius monet advertendum esse, *eum non dixisse, nolle se omnem omnino sanguinem, sed eum repudiat, qui ex ejusmodi animalibus effunditur. Nam qui in fine in remissionem peccatorum est effusus, melius loquens quàm Abel, hunc habet gratissimum.* Sanguinem, scilicet Agni, qui tollit peccata mundi, agni, quem beatissima Virgo hodie imposuit altari. §. 11. *Christus D. Altare, & victima, à B. Virgine, illata in templum.*

De porta Augustissimi templi multa videri possunt in sacro textu, quando in nova luna, orientalis ejus porta aperiebatur, nova spes, nova lux affulgebat Judæis; longè major nobis affulget hodie spes; dum nova luna, dum Deipara Virgo facta est janua templi, per quam omnibus patet aditus ad salutem. Pulchrè D. Fulgentius. *Facta est Maria fenestra cæli, quia per ipsam Deus verum fudit sæculis lumen; facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cælos.* Hodie dum B. Virgo suum Filium intulit templo, verè cum §. 12. *Maria ostium & janua templi.*


Jacob

Digitized by Google

Jacob dicere possumus. *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli*, & salutare eandē cum S. Ephrem, Syro orat. de Deip. *Ave porta cælorum, & scala, ascensusque omnium; aut reseramentum portarum cælestis paradisi.* Unde lætabundus dixit Dionysius Carthus. *Ubique est divinissima Virgo, per quam Salvator mundi venit in carne assumpta ad genus humanum; & per ipsam habemus accessum ad Salvatorem, & Judicem nostrum, tanquam per piissimam portam omnibus patulam, & apertam; & sicut Christus est misericordia nostra, sic ipsa est Mater & Domina nostra, Misericordiæ janua.*


§. 13. *Maria porta speciosa.* In hac porta, super stellas speciosa, claudi, mendici consolidatæ sunt bases, de quo fit mentio Act. 3. v. 2. *Et quidam vir, qui erat claudus, ex utero matris suæ bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa.* Porta speciosa Deipara est juxta interpretationem glossæ scribentis. *Dei templum, locus Beatorum, hujus templi porta speciosa est Beata Virgo Maria, de qua cantat Ecclesia, felix cæli porta. Per hanc portam venit Dei Filius ad nos redimendum, & per eam ducit nos ad glorificandum. Si quis autem claudus est, ambulare non potens, in via morum, ponatur per devotionem ad ipsam, erigetur divinitus, & fortificabitur ad feliciter gradiendum.* (Fiat affectuosa allocutio ad peccatores, ut quærant speciosam hanc portam.)

Restat ornamentum templi pretiosissimum, scilicet arca reposita in Sanctis Sanctorum, sive Jesum, sive Mariam, sive Filium, sive Matrem, vocem arcam; materia fusior occurrit, quàm ut in hac concione pro dignitate exponi possit; differamus ergò hoc encomium, in aliam Dominæ Patronæ nostræ solennitatem.



CON-

Digitized by Google



CONCIO LXIII.

FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos,

Matth. 11. vers. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OB immensam suavitatem, & dulcedinem Christi Jesu Salvatoris nostri; quam sponsa cap. 1. Cant. v. 1. declarat, per metaphoram desumptam ab uberibus, æquissimum est, ut tam suavibus verbis invitati, omnes ad illum accurramus.

§. 1. *Elogia verborum Christi D. ex c. 6. S. Joannis, & 4. c. S. Lucæ.*
§. 2. *Suavitatem sponsi Christi, sponsa explicat per metaphoram desumptam ab uberibus.*
§. 3. *Prosecutio.*
§. 4. *Ubera idem sunt, quod amores.*
§. 5. *Ubera idem sunt, quod pectus & cor.*
§. 6. *Cur sponsa usa fuerit metaphora uberum.*
§. 7. *Ubera dat Christus in Eucharistia.*
§. 8. *Alii per ubera intelligunt longanimitatem Christi D. in recipiendis peccatoribus.*
§. 9. *Ingens differentia inter ubera hujus mundi;*
§. 10. *Et Christi Domini.*
§. 11. *Ubera Dei longanimis sapuerunt Davidi.*
§. 12. *Et aliis.*
§. 13. *Epilogus.*

POstquam Christus D. in cap. 6. S. Joannis, dixisset v. 34. *Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet amplius.* Murmurarunt propterea Judæi, dicentes, *Nonne hic est Iesus filius Ioseph? cujus nos novimus patrem & matrem:* Respondit Jesus: *nolite murmurare in invicem. Amen dico* §. 1. Elogia verborum Christi D. ex c. 6. S. Ioannis & 4. S. Lucæ.

vobis, ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt; Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso mãducaverit, non moriatur. Si quis mãducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus. Talia Christi D. verba, cum multi audirent, dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potest cũ audire. Et abierunt retrorsum: quod videns Iesus dixit ad Apostolos, Nunquid & vos vultis abire?* Petrus autem fervore plenus exclamavit, *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* q. d. Verba tua O Jesu, sunt suavia, grata, vivifica, quæ nobis identidem promittunt vitam æternam; quis ergo, nisi stolidus te relinquat, & abeat. Verbis tuis, O Jesu, promittis nobis vitam æternam, si carnem tuam comedamus; hæc verba nos ad te alliciunt, & uniunt potius, quam abigunt. Quis non optet vitam æternam, & modum illam adipiscendi. S. Cyrill. ait S. Petrum hoc voluisse dicere; *Non dura, ut illi dicunt, verba sunt, sed verba vitæ æternæ habes, quæ conducere possunt credentes, ad vitam incorruptibilem.* Lucæ 4. v. 22. verba Christi D. vocantur *verba gratiæ*, quæ audientes mirabuntur. *Verba gratiæ*, hoc est, gratiosa, venusta, suavia, jucunda, spiritu plena, efficacia, ad movendum, plena sapientia, &c. Revocate in memoriam Auditores lectum Evangelium; perpendite illa verba, *Venite*, &c. an non omnia sunt verba vitæ æternæ, suavia, &c. Unicum, *Venite omnes*; expendam hac concione; & hac propositione. Jesus! qui nos invitat, est suavissimus, &c. Itaque venite, &c.

§. 2. *Suavitatẽ Christi spõsa exponit per metaphoram desumptam ab uberibus*

Quanta Christi D. Salvatoris nostri sit suavitas, dulcedo, & amabilitas; sponsa initio statim sui Cant. c. 1. v. 1. exprimere voluit, dum sponso, qui fuit figura Christi, attribuit ubera, dicens; *quia meliora sunt ubera tua vino*: quibus verbis dat causam, ob quam à spõso petierat osculum; q. d. quia dulcorem lactis, id est, cœlestium consolationum, quæ à tuo amore, quasi ubere manant, gustavi, cũ primitus me ad te allexisti, & evocasti, vina hujus mundi non cupio, voluptates non cupio, &c. hinc aspiro ad tuum osculum, ut ex eo tuum halitum, spiritum, & animam, à qua omnis dulcedo promanat, quasi ex ipso fonte hauriam. Ut eodẽ & nos flagremus desiderio,

desiderio, Christus D. in hod. Evangelio tam suaviter ait, *Venite ad me omnes; ego reficiam vos*, hoc est, præbebo vobis ubera mea, meum amorem, sive fontem omnis dulcedinis. Gustate animæ piæ! cum gustavit S. Agnes, statim exclamavit, *Mel & lac ex ore ejus suscepi.* Regius psaltes cum gustavit, cecinit Ps. 30. v. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Haymo in Catena S. Thomæ. *Per ubera Christi, ejus, dulcedo intelligitur, qua velut lacte, nos nutrit.* Venite, gustate!

Sed quomodo sponso, utpote viro, sponsa attribuit ubera? quæ sunt propria fœminarum: facile respondetur, esse locutionem metaphoricam; sic Christus D. vocatur, leo, serpens, agnus, arbor, vitis, lilium, rosa; ut per has metaphoras variæ ejus explicantur proprietates. Pari ratione sponsa per ubera alicujus amantissimæ matris, nos docere voluit, Christum D. fidelium, non tantum esse Patrem, sed & pientissimam matrem, utpote qui ut mater, mysticis suis uberibus nos pascit. Prout itaque filiolo nihil est dulcius lacte & uberibus matris, ita nobis nihil debet esse suavius, quam amor Jesu. §. 3. *Prosecutio.*

Ob quam causam, hebraica vocula, *dodim*, quæ significat ubera, etiam significat amores; cum ubera sint symbolum amoris. Unde Vatablus cit. versum sic vertit: *Amores tui, vinum bonitate superant*, quo sensu, sponsa sponso & Christo D. attribuit ubera, ut ejus immensam dulcedinem, beneficentiam, & infinitum ejus erga nos amorem & affectum indicet. Quæso animæ piæ, si ubera, si amores, eosque dulcissimos quæritis; Venite ad Christum, qui ultro ad hoc nos invitat, & promittit refectionem, hoc est ubera; hoc est amorem, hoc est, omnem dulcedinem. Cum simus in quadragesima, non potero omittere, quin in meis concionibus subinde sim memor sponsi patientis. Itaque O animæ piæ! si ubera, si amores, si consolationem, quæritis, si verba audire vultis amorosa, venite! accurrite ad Jesum Crucifixum! si lac uberum desideratis! ecce mel, ecce lac! ecce stillantem sanguinē, ex uberibus sanctissimorū vulnerum; gustate; & dicetis cum S. Agnete. *Mel & lac ex his vulneribus suscipimus.* Et exultabitis cum Davide, *O mi Iesu! quam magna multitudo dulcedinis tuæ.* Num verba gratiæ & amoris placet §. 4. *Vbera idem sunt, quod Amores, digressio ad Iesum crucifixum.*

audire? An non verbum protulit amorosissimum, cum dixit, *Pater ignosce illis!* *Venite peccatores!* statim ignoscit, an non verbum stillans melle, *Hodie meum eris in paradiso.* Venite omnes! Jesus crucifixus omnibus offert paradisum. Hunc immensum Christi D. erga nos amorem, inexplicabilem ejus dulcedinem, & suavitatem! sponsa voluit exprimere, dum attribuit illi ubera.

§. 5. Ubera idē sunt quod Cor & pectus digressio affectuosa ad vulneratum Cor Iesu.

Præterquam, quod ex mente Nysseni, sæpe per voculam *uberū* ipsum pectus & cor exprimatur, quod uberibus tegitur. Titelmannus inquit, *Possumus etiam per ubera ipsum pectus, ubi locus est uberū accipere, & pectoris Dominici dulcedinem & pietatem*, quam v. g. dilecto discipulo suo in cœna amoris, in qua SS. Eucharistiæ Sacramentum instituit, super pectus, sive in sinu sponsi recumbenti, datum est experiri; commendare intelligatur: quæ ubera, quod pectus, quod amabilissimum cor, pro sponsa in cruce tandem perfossa sunt, sanguinemque & aquam, quasi vinum & lac in regenerationem, & alimentationem fidelium effuderunt. Venite omnes ad transfossum pectus, & cor Jesu crucifixi, & currite ad hęc ubera Ecce porta cœlestis paradisi nobis reseratur, per quam si introieritis, salvabimini, & cœlestium gaudiorum pascua invenietis; ad æternam saturitatem. Venite! videte animæ piæ; quam caro pretio sitis redemptæ, & nolite amplius peccare, salutisque vestræ litrū, pedibus contemptim conculcare. Ecce! quam nobili lavacro, à peccatorum sordibus estis purgatæ! nolite sordidissimo scelerum volutabro, vos deinceps amplius immergere. O dulcissime Jesu! quanta est tua misericordia! quam copiosa redemptio! omnem in toto corpore, membrisque omnibus latitantem sanguinem, salutis nostræ causa effuderas, & quod in corde, quod in te primum fuit vivens, & primum moriens adhuc resederat, retinere in pretiosissimo vase cordis noluisti; sed totum erogare non dubitasti: ut paterent sanguinea & mellea ubera tui amoris, atque misericordiæ. O mi Jesu! pro ineffabili hoc beneficio quas possum ago gratias! O Jesu! amo te: qui me sic amasti. Vos quæso! venite omnes! gustate hæc ubera: & gustabitis esse meliora, & dulciora, super vinum hujus mundi: quam omne, quod in hoc mundo, quamcunque aut qualemcunq; potest afferre consolationem vel lætitiam

Quisquis

Quisquis semel illa suxit ubera, quisquis semel lac horum uberũ suavissimum degustavit, ex visceribus misericordiæ & amoris Christi Jesu non potest aliena concupiscere ubera; omnes alienas consolationes abominatur, renuit prorsus consolari, nisi in Deo. Unde sponsa audacter asserit, *Vbera Christi, esse meliora vino.*

Metaphora sponsæ, ab uberibus, à pectore, à corde, sive à lacteo & melleo fonte desumpta, placuit variis SS. PP. à Theodoreto citatis; qui ait; *Vberum mentionem facit sponsa, quia propinqua sunt cordi, in quo præcipua mentis est sedes, unde doctrinæ fontes emanant. Sponsi igitur ubera, uti bonorum fontes admiratur, ex quibus commode, tum infantes adhuc, tum etiam perfecti nutriuntur.* Eaque dicit esse meliora vino, quod divinæ scripturæ testimonio cor hominis exhilarat. Figurate enim vinum *lætitiam* appellavit, ut cunctis humanis voluptatibus præstare declararet lætitiam illam, quæ ex ipsius bonis (ex fontibus misericordiæ Christi, ex uberibus materni amoris) ad pios proficiscitur. Iterum venite ad rosea Vulnera Christi, & gustate, an veritatem pronuntiaverit sponsa. *Quod si ubera* (addit Theodoretus) *mystice etiam vis intelligere; per ubera illa admiranda, & vino præstantiora cogita ineffabiles illos Altaris fontes, ex quibus omnes nos, pietatis alumni nutrimur,* & ad delicias usque pascimur. . §. 6. *Cur sponsa usa fuerit metaphora uberum.*

Itaque ubera Christi, sunt SS. Eucharistia, in qua sua carne, quasi cibo, nos cibat; & suo sanguine quasi potu & lacte nos potat, lactat & inebriat Christus. S. Chrysostom. hom. 60. ad pop. *Sed quis Pastor unquam membris suis, oves suas nutrivit?* Ideo Christus D. est pastor bonus! Quæ mater post partum infantulo, pro lacte, præbuit sanguinem? quod matres non faciunt, facit suavissimus Jesus, qui proprio sanguine nos alit, & sibi conjungit, atque conglutinat. Hoc est, quod canit Isaias c. 66 v. 11. *Vt sugatis, & repleamini ab ubere consolationis ejus; ut mulgeatis,* -- ut quasi infantes magna animi alacritate mamillas arripiatis, ut papillis, ut sanctissimis Vulneribus in sumptione SS. Eucharistiæ infigatis labia, *& deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* Venite omnes gustate! & videte, an in Christo D. an in ejus carne, &c. (quod sponsus asserit) reperturi sitis ubera consolationum. §. 7. *Vbera dat Christus in Eucharistia.*

Digitized by Google

§. 8. *Alii per ubera Christi intelligunt longanimitatem Christi D. in recipiendis peccatoribus.*

Quod si per ubera misericordiæ in Christo D. cum S. Bernardo velimus intelligere illam benignissimam longanimitatem, qua peccatores exspectat ad pœnitentiam, præsertim tempore quadragesimæ, & amabilissimam susceptionem, qua jam pœnitentes amplectitur & lactat, ex intimo corde cum Christo D. exclamo, *Venite omnes, qui onerati estis*, &c ipse reficiet vos, &c. & pro solatió, aliam addo uberum Christi D. proprietatem, quod nunquam stringantur, quod nunquam sint vacua, sed semper donis, amore, affectu & misericordia affluant & supereffluant. De pelicano ajunt physici, quod cum lac non habeat, pullos suo sanguine pascat, unde ille Poëta ait! *Et nunquã sine lacte charitas; lac non uberat, uberat cruorẽ.* Sic Christus D. ex ardentissima charitate in cruce uberavit cruorem, quo velut pelicanus, peccatores pœnitentes, veluti pullos, absconditos in nido SS. Vulnerum, peccato mortuos primum vivificat, deinde alit & nutrit: nutriti cor pacificat, mentem roborat, & quietem tribuit. Venite; gustate! ex his uberibus fluit pinguedo gratiæ, & dilectionis suavitas.

§. 9. *Ingens discrimen inter ubera hujus mundi.*

In qua etiam observandum est ingens discrimen inter delicias hujus mundi, & Christi D. ubera terrenarum voluptatum illico exhauriuntur & exarescunt. At ubera Christi inexhausta, perpetuum lac deliciarum fundunt, idque promptissime & largissime. S. Bern. Ser. 9. Animæ Christo desponsatæ mox advertunt carnis voluptatem, qua ante tenebantur, vinci ab illis deliciis, quas nobis stillant ubera Christi. Unde carnalis voluptas pulchre comparatur botro vel uvæ. Ut enim uva, semel expressa, non habet, quod denuo fundat, sed perpetua ariditate damnatur; sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad libidinem, unde Propheta, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, tanquam flos. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* (est locus pro pulchra descriptione, quam caduca sint bona, & deliciæ, hujus mundi.) Vide autem ne non carni tantum, sed & mundo forte competat ista proportio. Siquidem & ipse transit, & concupiscentia ejus. Et cum omnia, quæ in mundo sunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Et quidem in tormentis æternæ damnationis.

Verum

Verum ubera Christi non sic. Hæc enim cum exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus. Merito proinde, meliora carnis sæculive amore, asseruntur ubera sponsi, quæ nullo unquam lactentiũ numero arefiunt, sed semper abundant de visceribus charitatis, ut iterum fluant. Flumina siquidem fluunt de ventre ejus, fitque in eo fons aquæ salientis in vitã æternam. (Iterum poterit fieri pia digressio ad Vulnera Jesu crucifixi; *Venite, gustate, probate, &c.*)

§. 10. Et Christi D.

David adulter, sed per pœnitentiam ad Deum conversus, cum gustasset ubera divinæ longanimitatis, & misericordiæ erga peccatores, eadem sequentibus versibus, veluti flosculis coronavit. *Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors, suavis Dominus universis & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Ps. 135. v. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternom misericordia ejus. Facit mirabilia magna solus, sed in æternum misericordia ejus. Percussit Pharaonem & virtutem ejus in mari rubro; quoniam in æternum misericordia ejus.* Deus noster habet ubera. Redemit nos ab inimicus nostris, quoniam in æternum misericordia ejus. *Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus.* Deus noster misericors! Christus D. Salvator noster habet ubera misericordiæ. *Venite*; faciet mirabilia, ut salvet nos, (est locus pro pulchra repetitione.)

§. 11. Vbera Dei longanimis sapuerunt Davidi.

Seraphicus S. Franciscus, cum sugeret ubera Christi D. suspirare solebat, *Iesus meus!* hoc ost, Amor meus! gaudium meum! dulcedo mea, lætitia mea. S. Bonaventura in ejus vita. *Cum Jesu nomen audiret, vel exprimeret; jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari; acsi mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum.* S. Bernardus pendulus ad hæc ubera cecinit in suo Jubilo. *Jesus mel in ore! melos in aure! jubilus in corde! nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius; quam Jesus Dei filius. Iesu dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium, & omne desiderium.* Cum eidem Christus crucifixus sugenda præbuisset ubera cordis, mellifluo ore melleas has eructavit propositiones. *Jesus! O nomen benedictum! dic anima mea an non toties confortaris, quoties recordaris? quid æque mentem cogitantis*

§. 12. Quantam ex illis hauserint dulcedinem S. Franciscus & S. Bern.

Digitized by Google

cogitantis impinguat? quid ita reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, & castas fovet affectiones? aridus & insipidus est omnis animæ cibus sine hujus nominis dulcidine. Si scribam, non sapit mihi nisi ibi legero Iesum! si loquar, &c. non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Veniat in cor Iesus, & inde saliat in os; & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit; redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando: nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui fons forte siccatus lachrymarum, invocato Jesu, non continuo erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti, Invocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Quomodo ante faciem Jesu stare potest duritia cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Venite ad Jesum Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecori fugat prurriginem. Siquidem cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate ac sanctitate conspicuum; eundemque ipse Deum omnipotentem qui suo me exemplo sanat, & roborat adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonnuerit Jesus. -Itaque semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum sensus dirigantur & actus.

§ 13. Epilogus. Ex his ponderate circumstantias, harum vocularum, *Venite ad me omnes.* Quis protulerit illa? ad quos ad quem? quare? quomodo? quando? invitemur; & fatebimur Christum D. in hodierno Evangelio protulisse verba vitæ æternæ, &c.

(fiat suavis Epilogus ex exordio.)



EXHOR-

EXHORTATIO
FESTO SANCTI JOSEPHI.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

JOseph, adoratus à Sole, Luna, stellis, & manipulis, fuit figura summi honoris, & venerationis, quæ exhibita fuit, & exhibenda est S. Josepho, sponso Beatissimæ Virginis Mariæ.

§ 1. *Affectuosa exhortatio ad cultum & amorem S. Iosephi.*

§ 2. *Ioseph adoratus à Sole, luna, stellis, manipulis, & fratribus, terna vice.*

§ 3. *Fuit figura S. Iosephi summe venerati. 1. à sole, sive Iesu Salvatore nostro.*

§ 4. *2. A Luna, sive Virgine Maria.*

§ 5. *3. A stellis, hoc est, Angelis & hominibus.*

§ 6. *A Sanctissima Trinitate.*

§ 7. *Quid significent manipuli, à quibus Ioseph fuit adoratus.*

§ 8. *Scilicet, quod colatur ab omnibus electis S. Ioseph.*

§ 9. *Epilogus sit repetitio affectuosa Exordii.*

COgitate me vobis adesse legatum, vel nuntium à Beatissima Virgine Dei genitrice ad vos destinatum. Postquam S. Joseph Seraphicam Sanctam Theresiam, in præsentia Dei Matris, & Angelorum conspectu, candida & cœlesti veste induisset, B. Virgo illam accendit & animavit, ad peculiarissimum S. Josephi cultum & amorem, à quo tempore non tantum ipsa desiderio amantissimæ Virginis satisfecit, sed omnes, quibuscum agebat, rogabat per amorem Dei, ut probare dignarentur; quam proficuum sit, præsertim ad altissimum gradum sublimissimæ Sanctitatis obtinendum, colere, amare & diligere S. Josephum, eumque eligere in singularissi- *Affectuosa exhortatio ad cultum & amorem S. Iosephi.*

Digitized by Google

mum Patronum & Advocatum. Pro meo in sanctum hunc affectu; me rem gratam præstiturum Beatissimæ Virgini, si exemplo S. Theresiæ Seraphicis, si possem, verbis vos quoque adhorter ad S. Josephi venerationem. Proinde Auditores per amorem, quo B. Virginem diligitis, nunquid diligitis? per amorem vestrum erga Jesum Christum Salvatorem; quisquis non amat, anathama sit, itaque per dulcissimos hos amores, vos oro & obtestor; colite, diligite, amate S. Josephum; Rogo per amorem Dei, probate; ut experientia gloriari possitis, cum S. Theresia, valde vobis profuisse, in omnibus cultum S. Josephi. Præmitto tam serias obtestationes, ut excitata aliqua flammula hujus amoris, in cordibus vestris, eò majori cum gustu, audiatis, quæ in S. Josephi honorem sum dicturus; ut ex illis deinde illæ scintillæ & flammulæ, crescant in incendium amoris; me quod attinet, contentus sum, imo animitus opto, ut cor meum in illo totum comburatur in holocaustum amoris, Jesu, Mariæ & S. Josephi.

§. 2. *Ioseph adoratus à sole luna, stellis, manipulis, & fratribus trina vice.*

S. Josephus dignus est summa veneratione. Ager fœcundus & ferax pulcherrimarum cogitationum atque mysteriorum est historia Josephi Proregis Ægypti. Nescio an à Ruperto ad rem meam potuerit aliquid superius excogitari; quod nimirum Joseph trina vice à suis fratribus fuerit adoratus. Somniaverat id Joseph, Genes. cap. 37. vers. 9. ideoque dixit, *Vidi per somnium quasi Solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.* (Advertendum est, voculam adorationis non sumi stricte, pro cultu latriæ, quem soli Deo debemus, sed pro eximio cultu, & magna subjectione atque veneratione.) Somni veritatem exitus comprobavit, meminitque sacer textus fratres ter hoc fecisse, Genes. 43. vers. 6. Cum venientes in Ægyptum, admissi essent ad alloquium Proregis, ait cit. textus. *Cumque adorassent eum fratres sui.* Genesis 43. vers. 26. & 28. dicitur, *Obtulerunt ei munera & adoraverunt proni in terram.* postea vers. 28. *Et incurvati adoraverunt eum.* Cur trina adhibita fuit veneratio? nunquid honorificum fuit Josepho, adorari à sole, luna & stellis? Nunquid satis erat illum cultum fuisse exhibitum in

agro

agro à manipulis, quid opus fuit accedere adorationem tertiam, ab ipsis fratribus & toto regno Ægypti, quæ illum veluti Proregem; & nutritium venerabatur? Difficultati paucis respondit Rupertus l. 9. in Genes. cap. 6. ubi ait. *Et notandum quanta fuerit in Ioseph altitudo honoris, quanta maturitas, & dignitas*; quem sol, luna, stellæ, manipuli, fratres & Ægyptij, non semel, sed iteratis vicibus, & frequenter adorarunt.

§ 3. *Fuit figura S. Iosephi, summe venerati à sole sive Iesu Salvatore.*

Per solem intelligite Christum Jesum Salvatorem nostrum; per Lunam, Deiparam ejus S. Matrem, per stellas novem Angelorum choros; per fratres & Ægyptios, omnes homines, in cœlo & in terris etiamnum degentes, præsertim pios & justos. Joseph fuit figura S. Josephi, sponsi B. Virginis. Attendite an Sol non fuerit veneratus S. Josephum. Quia homo nasci voluit in terris, Mariam elegit pro Matre; pro Patre S. Josephum. Sublimior titulus hac paternitate S. Josepho tribui non potest. Solem Incarnatum, & natum in Bethleem, S. Joseph fovit suis amplexibus, tulit ulnis, amavit osculis. Honor hic S. Josepho exhibitus, ipsis Angelis non fuit concessus. In familia Sanctissima, inter Jesum, Mariam & Joseph, S. Josephus fuit caput. Quis dubitabit à Jesu & Maria fuisse illi exhibitum summum honorem? Notum est, in quanta apud Reges sint auctoritate, quibus regius committitur thesaurus; thesauri incomparabilis, hoc est, Mariæ, Custos constitutus fuit S. Joseph, ditior longe, & honoratior, quam fuerit olim Joseph in aula Pharaonis. Unus Joseph in terris dignus fuit habitus, qui inter Mariam & Angelorum choros medius, admirabili tenerrime liquescentis cordis lætitia natum è Virgine Parvulum vidit & adoravit. Nec dubito, quin lucidissimus Phœbus statim ac prodiit, suum Nutritium suavissime salutavit. S. Joseph illo honore dignus fuit habitus, ut versis nunc in recens natum Deum, & Parvulum, nunc in Deiparam puerperam Virginem oculis, thesauros non Ægypti, sed deliciarum internarum ingressus, illis dulcissime frueretur! & præ tenera amoris ubertate, suavissimæ lachrymæ ex oculis ubertim defluerent. O fortunatissimum! O honoratissimum Joseph! quem

Digitized by Google

ſtatim teneris oculis conſpexit,& veneratus fuit Jeſulus,ſummam ſolis venerationem erga Joſephum, hoc eſt, Jeſu erga Patrem ſuũ, puto expreſſiſſe Evangeliſtam, dum ait, Jeſum S. Joſepho fuiſſe ſubditum. Verum, cur hic ſol ita fuit veneratus S. Joſephum? ut ſciamus,quanta fuerit in Joſepho altitudo honoris,quanta maturitas, & dignitas,& ſanctitas.

§. 4. 2. *A Luna, ſive V. Maria.* Luna, ſive Maria Joſepho exhibuit honorem, cultum & obedientiam, quam ſponſa ſponſo; dilecta dilecto; conjux marito, ſolet exhibere, hæc luna, hæc Regina, &c. S. Joſepho miniſtravit. Non ſponſa tantum fuit, ſed ancilla. Sed cur Luna? cur Maria, cur Regina? cur Dei Mater? cur cœli terræque Imperatrix; marito ſubdita, illum ita coluit, honoravit, & venerata fuit? ut ſciamus, quanta in Joſepho fuerit altitudo honoris, quanta dignitas.

§. 5. *A ſtellis, hoc eſt SS. Angelis, & Hominibus* Stellæ quoque cœli adorant S. Joſephum; hoc eſt, novem Angelorum chori, illum agnoſcunt ſibi parem, imo in altiori gradu conſtitutum. v. g. Principatibus fuit major, dum magni conſilii Angelum gubernavit, Dominationibus fuit major, cui Rex & Regina cœli ſervierunt. Thronis fuit felicior, in cujus brachiis & gremio Chriſtus reſedit. Fuit Cherub, qui non Paradiſum in terris, pro homine conditum, ſed locum voluptatis, in quo alter Adam habitavit, cuſtodivit; Seraphini illum venerantur, quos in Seraphico incendio divini amoris ſuperavit? Quid ſequitur? ut intelligamus, quanta in S. Joſepho ſit excellentia & honoris dignitas, &c. (ſimili modo breviter diſcurre de fratribus, ſive de hominibus.)

§. 6. *A SS. Trinitate.* Nolo modo aſcendere ſuper ſolem, Lunam & ſtellas, ſuper Jeſum, Mariam, Angelos & Homines ut oſtendã quantum S. Joſephus fuerit honoratus à SS. Trinitate, Patre & Filio & Spiritu S. neq; enim permittit tempus, ut in brevi exhortatione hanc auriſodinam excellentiæ S. Joſephi ingrediar. Puto ex hoc meo diſcurſu hoc certum eſſe. Si SS. Trinitas, ſi Jeſus & Maria, ſi omnes Angelorum chori, ſi cœleſtis Jeroſolymæ inquilini, ſi juſti omnes in terris ita adorant & venerantur Sanctum Joſephum

sephum ob eximiam illius dignitatem; par esse, ut & nos cultu nobis possibili illum veneremur.

Qui initio, cùm historiam de Joseph narrare cœpi, fuerunt attenti; fortassis mihi dicent: sed quid causæ est, quod Joseph non tantùm à sole, luna, stellis, fratribus, sed etiam à manipulis fuerit adoratus; prout ait textus ℣. 7. c. 37. *Putabam nos ligare manipulos in agro; & quasi consurgere manipulum meum, & stare; vestrosq; manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Latet sine dubio sub his manipulis ingens mysterium; & hæc est causa, ob quam non statim feci mentionem manipulorum: Psalm. 125. ait Psaltes; factus sum consolatus. Repletum est gaudio os meum, & lingua mea exultatione. Unde hæc consolatio? unde gaudium? unde exultatio? Vidit aliquos portantes manipulos suos, ad horreū, scilicet cœlestis gloriæ; ego puto hunc fuisse sensum Psalmi; quod præ gaudio exultaverit, quando cogitabat, quàm sint felices, qui salvantur. Ob quam causam aliqui interpretes dicunt hunc manipulum esse numerum electorum; qui l. 1. Reg. b. 25. vocatur *fasciculus viventium.* En latissimum campum discurrendi, quomodo S. Joseph colatur ab omnibus electis; sed hanc excursionem modo prohibent angustiæ temporis. §. 7. *Quid significent manipuli, à quibus Joseph fuit adoratus.*

Dicite Auditores paucis verbis; loquimini candidè, desideratisne esse in numero viventium, in manipulo Electorum; vultisne (ut aliàs loqui solemus) ut nomina vestra scripta sint in aureo libro prædestinatorum? colite, diligite, veneramini S. Josephū. Est Joseph! hoc est, post Mariam, Electorum Princeps! Pater illius, qui manipulum hunc colligit, qui fasciculum hunc colligavit; qui suo sanguine Electorum nomina libro vitæ inscribit! mihi nullum est dubium, S. Josephum apud Filium suum multum posse: certum est illum velle, ob innatam clementiam, & amorem, quo cum Jesu Filio, & Maria Sponsa atque Conjuge, nos prosequitur; hoc necesse est, ut nos cum sole, luna, &c. hoc est, cum SS. Trinitate, cum Jesu & Maria, cum Sanctis Angelis & omnibus Electis, peculiarissimè amemus & veneremur. Clariùs. Hic cultus, hic amor, est signum prædestinationis. §. 8. *Scilicet, quod colatur ab omnibus electis S. Josephus.*

Epilogus sit repetitio affectuosa Exordii. §. 9. *Epilogus sit repetitio Exordii.*

CONCIO LXIV.

FESTO ANNUNCIATIONIS B.V. MARIÆ.

Ave gratia plena, Dominus tecum,
Luc.1.v.28.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRima pars explicat primas voculas ab Archangelo Gabriele prolatas in Salutatione Angelica. Pars altera ostendit Beatissimam Virginem defendere, tueri & propugnare, pœnitentes peccatores, dummodo seriò invocetur.

§. 17. A

Digitized by Google

§. 17. *Avernalem Pharaonem & equitatum ejus submergit in rubro mari pretiosi sanguinis Filii sui. Virga Mosis fuit figura B. Virginis.*

LIteræ Annuæ Societatis Jesu referunt ad Annum 1598. in Hispania, P. Ignatium Martinum, in urbe quadam, in publico foro, cùm, (ut ibi moris est) rudi populo Catechesin Christianam exponeret, fervore abreptum in hæc protupisse verba, sub explicatione Salutationis Angelicæ. *Eccus placet publicâ voce, & palàm, tam amabili salutatione Dei Matrem mecum, & cum S. Archangelo Gabriele salutare? Altâ & clarâ voce præibo, Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.* Rem miram! cùm præ verecundia omnes tacerent, semestris infantulus, gestatus in brachiis matris, sonorâ voce, omnibus stupentibus exclamavit: *Ave Maria, gratia plena*: quo prodigio excitata multitudo plebis, senes, juvenes, viri, pueri, puellæ, responderunt: *Ave Maria, gratia plena, &c.* In aere, in nubibus per totum forum suavis resonuit echo: *Ave Maria!* Sentio, Auditores, in amabili hodierno Festo, in corde meo, similis fervoris & ardoris igniculos; optoque ex intimis præcordiis, ut Dei Mater Angelicâ salutatione hodie millies salutetur, placetne ergò mecum exclamare: *Ave Maria, &c.* quid siletis? in cœlesti Jerosolyma respondent mihi cœlestium Spirituum chori; in terris, montes, colles, valles, arbores, &c. in aere lusciniæ, alaudæ, &c. In cœlis sol, luna, stellæ, &c. imò omnes creaturæ, modo quo possunt cum Archang. Gabriele clamant: *Ave Maria!* & vos, mei Auditores, siletis? Verùm ex vultibus vestris adverto, moveri linguas & corda vestra, ut quæ dicturus sum, tacitis saltem & piis mentibus mecum repetatis, quo posito, devotione & affectu mihi possibili, ad te, O Domina, me converto, & dico: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* §. 1. *Semestris Infans in publico foro exclamavit: Ave Maria.*

Quàm eximia hæc sit salutatio, quàm Virgini grata & accepta, exponet prima pars hujus Concionis; In altera monebo peccatores, illos præsertim, qui sacro hoc quadragesimali tempore convertuntur, ut confugiant ad Deiparam Virginem; §. 2. *Propositio Concionis.*

Digitized by Google

ginem; illa enim, dum hodie facta est Mater Dei, personam simul assumpsit Patronæ, Advocatæ, imò Matris, quæ apud iratum Patrem, & suum Filium tremendum Judicem, nos protegat atque defendat.

§. 3. Angelica salutatio est synopsis omnium excellentiarũ B. Virginis. Exponitur prima vocula, Ave.

Eximia, & Virgini gratissima est Salutatio Angelica, 1. quia est veluti synopsis, & compendium omnium excellentiarum, & privilegiorum, quibus Sanctissima Trinitas, secundæ personæ, i. e. Filii; dum homo factus est, Matrem supra omnes reliquas exaltavit creaturas. Quod prima statim innuit vocula *Ave*! quæ significat omne bonum, omnem felicitatem, omne gaudium, omnem lætitiam, aliorum aggratulationem & plausum, sive suavissimam salutationem. Itaque Archangelus Gabriel dixit *Ave*! hoc est, nomine SS. Trinitatis, quæ me ad te misit in terras; nomine omnium cœlestium spirituum; nomine omnium creaturarum, quæ in terris sunt, & præcipuè totius humani generis, salve! salve! salve! O pulcherrima Virginum! salve! hoc est, affero tibi pacem, omne bonum, & omnem felicitatem. Pax tibi sit! omne bonum tibi sit; & omnis felicitas, O pia, O bona, O felix Virgo; *Ave!* hoc est, gaude, lætare, exulta in Domino! quia omne gaudium invenisti. Gaude! quia te, præ omnibus creaturis amat & diligit SS. Trinitas; te! te! elegit, ut sis piissima, optima & felicissima Mater Filii Altissimi! *Ave*! hoc est, ideo ego gaudeo, plaudo, & tibi gratulor, de tanto bono, de tanto gaudio, de tanta felicitate, & unà mecum omnes creaturæ!

§. 4. Maria altera Eva, sed alio modo.

Advertendum est, voculæ hujus literas, inversas conficere nomen Evæ, ut sciamus Mariam esse alteram Evam; sive matrem humani generis, sed alio, & longè excellentiori modo: Prima Eva, in mundum invexit omnem calamitatem: Altera, omnem felicitatem. Illa fuit principium mortis, & miseriæ; hæc Origo vitæ, salutis, & lætitiæ. Eva; causa maledictionis: Maria benedictionis scaturigo. Quod illa nobis abstulit, hæc reddidit benedicto suo germine. Prima Eva, inobediens & arrogans, se & totam posteritatem perdidit; altera Eva, obediens & humilis omnia instauravit. Illa, occidendo obfuit, hæc vivificando profuit. Illa percussit, hæc sanavit. Illa per

Ange-

Digitized by Google

Angelicum sermonem seducta est, - huic per Angelicum Sermonem evangelizata est, ut portaret Deum. Igitur, *ave! ave!* O Eva felicissima! *Ave!* tu mundo restitues felicitatem. *Ave!* tu mox eris, origo vitæ, & scaturigo veræ lætitiæ! *Ave!* mox paucis verbis, mundo dabis Redemptorem! *Ave!* paulo post, perdita omnia restaurabis! *Ave!* tu percussa sanabis: *Ave!* paradisum, quem Eva maledicta mater nostra clausit; tu Mater benedicta reserabis. Qualis seges gaudii & aggratulationum? Puto omnes advertere, quot habeamus causas, ut & nos cum pace, cum gaudio, cum festivis aggratulationibus Angelicam hanc voculam, *Ave!* angelicis affectibus millies repetamus.

Binæ voculæ quæ sequuntur, *Gratia plena*, continent in se innumeras comparationes & analogias, quibus sancti Patres ex sacris literis conati sunt aliquo modo explicare immensitatem gratiarū, quibus Maria fuit plena. Alij Virginem appellant, *Fontem, fluvium, flumen, torrentem, mare, oceanum, pelagus & abyssum gratiarum*, cujus altitudo & profunditas, latitudo & longitudo à nulla creatura sufficienter explicari potest. Alii illam nuncupant, *Orientem, Originem, Inventricem, Reginam, Virginem gratiæ.* Alij, *Matrem, Promam, Thesaurariam, Thesaurum gratiæ.* Alij *Radicem, florem, Arborem, Paradisum, Hortum gratiæ*; quæ omnia & multa similia Archangelus Gabriel, duabus his voculis, comprehendit, *Ave! gratia plena*, quasi diceret, O fons, O flumen! O mare! O abysse gratiarum salve! O Oriens! O Inventrix! O Genitrix gratiæ, salve! Tibi, Matri gratiarum! Tibi! Paradise, gratiarum! sit bene! sit tibi omne bonum, & omnis felicitas. Sed meminerimus, nobis simul obtingere magnam felicitatem. Maria fons est, fluvius est, mare est! sed quod exundat & ubertatem gratiarum in nos derivat. Thesaurus est gratiarum, nobis patens. Regina est gratiarum, sed munifica & liberalissima. Hortus gratiarum, in hodierno festo, dum in Virginali utero Filium Dei concepit, simul est locus voluptatis. *Uterum Mariæ intelligo*, ait S. Zeno, *in quo Spiritus Sanctus hodie cumulavit omnes delicias deliciarum*, vel ut D. Paschasius loquitur. *Universæ deliciæ Paradisi hodie*

§. 5. *Sensus duarum vocularum gratia plena.*

die in ea confluxerunt, ubi fons emicuit nostræ Redemptionis. Rich. à S. Laur. lib. 12. de laud. Virg. *Paradisus fuit uterus B. Virginis, quem Spiritus S. imo tota SS. Trinitas, tanta gratiarum ubertate perfudit, quod Dei Filio factus est paradisus deliciarum, in quo ineffabili etiam Trinitati habitare placuit.* Sed nobis quoque patet, &c.

§. 6. *Prosecutio.* Vocula *plena*, eleganter quoque insinuat, gratiarum thesauros aliis sanctis esse communicatos per partes, & secundum mensuram; aliter vero sentiendum esse de Maria, scilicet quod tota gratiæ plenitudo in illam se effuderit. Plenitudine sufficientiæ, respectu muneris ac dignitatis ad quam fuit electa. Plenitudine prærogativæ, præ omnibus creaturis, ut esset Mater Dei. Plenitudine abundantiæ & excellentiæ, plenitudine gratiæ totalis, plenitudine Angelica, plenitudine cujusdã immensitatis, plenitudine excessiva, *quæ cunctis extitit superior, solo Deo inferior*, ait S. Epiphan. Ex quibus patet, quãtas excellentias Virginis nobis Archangelus Gabriel proposuerit, tribus his voculis, *Ave gratia plena.*

§. 7. *Dominus tecum.* Alia eximia encomia, quibus Maria, dum hodie facta fuit Mater Dei, fuit sublimata; quod sit tabernaculum Sanctissimum; tabernaculum Dei habens in se sanctum sanctorum; templum magnificum gloriæ, templum veri Salomonis; templum Dei animatũ; templum Sanctificationis; thronus Divinitatis, thronus Cherubicus, thronus aureus & eburneus; quod sit thalamus Verbi incontaminatus, thalamus puræ desponsationis, quæ hodie inter naturam humanam & divinam in utero Virginis, per obumbrationem Spiritus S. est peracta, quod sit sacrarium Spiritus S. sacrarium virtutum, sacrarium Christi & plenitudinis totius Divinitatis, quod sit aula æterni Imperatoris, aula solis & propitiationis, &c. Verbo, quod hodie in utero conceperit Filium Dei, & facta sit ejus Mater, omnia inquam hæc encomia & privilegia Archangelus Gabriel, iterum expressit duabus voculis, *Dominus tecum.*

§. 8. *Prosecutio.* In iisdem voculis S. Bernar. altiora adhuc consideravit mysteria, discursus ejus hic est. *Cælestis Pater fuit cum illa, quia Filium suum fecit Filium Virginis. Filius fuit cum illa, quia ad perficiendum admirabile Sacramentum Incarnationis, elegit Mariam, ut esset Mater* Filii

Digitized by Google

Flii Dei. Spiritus S. fuit cum illa, quia ejus uterum sanctificavit. Tota SS. Trinitas fuit cum illa, quia potentia Patris illam fecit fœcundam, ut eundem Filium cum Patre potuerit generare, & dicere: Ego hodie genui te. Sapientia Filii cum illa, qui illam præparavit ut esset digna Mater Dei, Amor, bonitas & sanctitas Spiritus S. cum illa, quia omni sanctitate, bonitate, & clementia illam replevit D. cum illa: id est, Pater, quasi cum filia, quam veluti pupillam oculi, & cor suum custodivit. Filius cum illa: tanquam cum Matre, quam è millibus elegit. Spiritus S. cum illa, tanquam cum sponsa, quam unice diligit. Dominus cum illa, tanquam Rex cum Regina, quasi frater cum sorore, dilectus cum dilecta, sponsus cum sponsa; speciosus cum speciosa, amabilis cum amabili, dulcis cum dulci, sol cum luna pulcherrimis radiis Divinitatis illustrata.

Quot encomia? quot privilegia? quot mysteria; præcipuum est hoc; quod Archangelus Gabriel, his voculis proponat admirabilem & specialem illum modum, quo Filius Dei, Verbum Patris, secunda in SS. Trinitate Persona, est cum Maria, per assumptionem carnis humanæ, (quando Verbum Caro factum est,) quæ à Spiritu S. ex substantia, sive purissimo Virginis sanguine efformata est, & unita Verbo; quæ unio hominem fecit Deum, & Mariam, hominis Dei Matrem, quo modo Deus cum nulla alia creatura, esse, dici potest. Quod privilegium, quod encomium, quæ excellentia nulli alteri creaturæ attribui potest, nisi Mariæ! O Maria! millies ergo ave, & salve! §. 9. *Prosecutio.*

Quoties ergo has voculas Gabrielis Archangeli recitamus, toties, & tot pretiosissimos lapillos, imo stellas offerimus Virgini Matri, quibus coronam ejus reddimus lucidiorem. Quoties dicimus *Ave gratia plena, Dominus tecum*: toties & tot, corde & ore proferimus amœnissimas rosas & lilia, quæ Angeli nostri Custodes deponunt ad pedes Augustissimæ Matris. Quoties anhelamus, *Ave*, toties suavissima musica & harmonia Mariæ aures oblectamus, &c. Quoties suspiramus, *Ave Maria, &c.* toties & tot pulcherrimi radii, & flammulæ erumpunt è cordibus nostris, quibus in iisdem ignis Mariani Amoris, magis inflammatur. Quoties repetimus, *Ave Maria*, toties & tot, ex arcu intensi amantis pectoris emittimus aureas & ignitas sagittas, quibus cor Virginis, dul- §. 10. *Encomia Angelicæ Salutationis.*

cissimum scopum, vulneribus pulcherrimi amoris transfigimus, ut amemus, & à Maria amemur.

§. 11. *Angelicæ salutationis suavitas & varii effectus.*

Plena solatio & gaudio est Visio, in qua S. Gertrudis vidit ex pectore SS. Trinitatis, à Patre, Filio, & Spiritu S. derivari in cor B. Virginis, tres pulcherrimos rivulos, qui dulcissimum illud cor admirabili suavitate, veluti spongiam, penetrarunt; deinde vidit eosdem rivulos ex corde B. Virginis defluere in terram super illos, qui devote recitabant Angelicam salutationem. Hinc in eorundem cordibus, ineffabilis orta fuit suavitas & jucunditas. Cujus puto participem fuisse Thomam de Kempis, cum dixit in libello solloquiorũ. *O Domina! millies, millies dicam Ave Maria! Cum hoc dico, cœlum gaudet, stupet omnis terra. Cum dico Ave Maria: Sathan fugit, infernus contremiscit. Cum dico, Ave Maria, abscedit tristitia, venit nova lætitia: torpor evanescit, cor ex amore liquescit. Cum dico Ave Maria: crescit devotio, oritur compunctio, spes proficit, augetur consolatio. Cum dico, Ave Maria: recreatur animus, & in bono confortatur. Siquidem tanta est suavitas hujus benedictæ salutationis, ut humanis non possit explicari verbis, sed semper manet altior, & profundior, quam omnis creatura indagare sufficit. Propterea iterum flecto genua mea, ad te SS. Virgo Maria! & dico, Ave Maria! gratia plena, Dominus tecum. Suscipe clementissima Domina Virgo Maria, hanc devotissimam salutationem, & me in ea suscipe, ut aliquid habeam, quod tibi grate placeat; quod mihi fiduciam ad te præstet, quod majorem amorem accendat, ac in jugi devotione, Venerandi tui Nominis conservet. Proinde in præsentia tua prostratus, atque totus in veneratione melliflui tui Nominis accensus, repræsento tibi lætitiam, salutationis istius, quando Gabriel Archangelus, à Deo missus, conclave thalami tui est ingressus, & flexis reverenter genibus, nova & inaudita à sæculo salutatione, tuam Virgineam faciem honoravit, & dixit, Ave gratia plena Dominus tecum!* idem expertus fuit S. Bernardus cum dixit: *O magna, ô pia, ô laudabilis Maria, nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine, divinitus tibi insita* (præcipue hodierna die, qua Dei filium in utero concepisti, fontem increatæ dulcedenis) *memoria portas ingrederis.*

Si

Si denique hâc salutatione B. Virginem non tantùm honorare & oblectare velimus, sed desideremus obtinere magnas gratias; offeramus ei Angelicas salutationes. Cùm S. Hyacinthus ex Ordine Prædicatorum, magnus Virginis Cultor, pridie Assumptionis ad cœlos recitaret Rosarium apparens illi cœli Regina his illum verbis fuit allocuta: *Gaude fili Hyacinthe! preces tuæ sunt gratæ Filio meo, & quidquid ab eo, per me petieris, impetrabis.* Jam cogitate, & sententiam ferte, an non habeamus causam recitandi Angelicam salutationem, tam eximiam, tam Virgini gratam, tam nobis suavem & proficuam. §. 12. *Impetrat per Mariam à Filio, quidquid volumus.*

Voculæ hactenus explicatæ, continent primam tantùm partem salutationis Angelicæ, sive verba prolata à Gabriele Archangelo; Verba S. Elisabethæ, quibus Dei Matrem prædicat benedictã in mulieribus; & annexam petitionem S. Matris Ecclesiæ, rejicio in aliam Concionem, ut modò adhuc satisfaciam factæ promissioni, quod in altera parte, breviter saltem, velim ostendere, conversos peccatores frequenter debere recitare Angelicam salutationem, ut Maria, Patrona & Advocata nostra, apud iratum Patrem, & Filium, tremendum Judicem, nos protegat, atque defendat. §. 13. *Transitio ad alteram partem Concionis.*

De quo ipsa gloriatur, Ecclesiast. 24. vers. 16. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Sermo potest esse de detentione passiva, quod scilicet detineatur à sponso, alligata vinculis charitatis; vel de detentione activa, quod ipsa detineat Deum. Ita ait S. Bonaventura in spec. Mar. lect. 7. *Detinet Filium, ne peccatorem percutiat. Ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet;* Isaia teste cap. 64. ℣. 7. *Non est, qui invocet nomen tuum; qui consurgat & teneat te.* Una Maria est, omnibus creaturis valentior, quæ impetum irati Dei, currentis ad vindictam retardare potest, & detinere, convolantem ad gladium, vel flagellum. Mediatrix Dei & hominum, ut peccatores discordantes à Filio suo reducat ad concordiam. Mulierum pulcherrima, & ideò in intercedendo pro peccatoribus potentissima. §. 14. *Maria detinet iratũ Deum.*

Utinam faceremus, quod Adam fecit in paradiso, citatus ad judicii tribunal, ob suam prævaricationem, Genes. cap. 2. vers. 12. dixit Deo: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno; & com-* §. 15. *Sub præsidio Mariæ, peccatores sunt tuti.*

Digitized by Google

& comedi. Nunquid se ipsum potiùs pro dilecta conjuge, merito supplicio debuisset objicere? Sed sapientissimus Adam, jam tum scivit, tutamentum viri in fœmina præparatum. S. Bernardus apud Tilmannum, in allegoriis: *Adam indignationi divinæ mulierem, pro qua peccaverat, objecit; quasi post tergum ejus, volens declinare sagittam:* (fiat affectuosa digressio ad peccatores, ut quærant hoc refugium, ut post tergum Mariæ positi, declinent sagittas irati Judicis.)

§. 16. *Maria est terror hostiũ infernaliũ.* Nec est, cur adversarios nostros juratissimos, id est, diabolos, qui veluti rugientes leones quærunt, quos devorent, timeamus, si Maria nos protegat. *Rebellibus enim Angelis,* inquit S. Damascenus, *est formidabilis, & ignea eorum tela extinguit.* Elegantiùs adhuc Thomas de Kempis in opusc. 3. p. serm. 4. *Expavescunt cæli Reginam spiritus maligni, & diffugiunt audito nomine sancto ejus, velut ab igne. Horrent terribile & sanctum nomen Mariæ; quod Christianis est summè amabile, & ubique celebre: non audent apparere, nec possunt sua ludibria exercere; ubi noverint nomen clarere Sanctæ Mariæ, tanquam tonitruum de cælo factum sit, prosternuntur ad Sanctæ Mariæ vocabulum; & quo sæpiùs illud profertur, ac desiderabilius invocatur, eò citiùs & longiùs illi fugiunt.*

§. 17. *Avernalē Pharaonem submergit in rubro mari, pretiosi sanguinis Filii sui. Virga Moysis fuit figura B. Virginis.* Ex ingenti periculo, ob insequentis Pharaonis exercitum, Deus liberavit Israelitas, dum illos per medium mare rubrum sine navibus deduxit salvos & incolumes; Pharaonem verò, cum suis curribus, & equitibus, & militibus, miserabili strage submersit. Modus omnibus constat ex libro Exodi. Sed quis per maris undas illis fecit viam? quis divisit aquas? quis solidavit in muros? quis Pharaonem submersit? quis de imminentis hostis gladio eripuit Israelitas? Equitatui Pharaonis Deus opposuit alium, de quo sponsus ait ad sponsam, Cant. 1. ℣. 8. *Equitatui meo, in curribus Pharaonis assimulavi te amica mea.* Amicæ sive sponsæ suæ in pugnando robur, indicare quoque voluit illis verbis: *Quæ est ista, quæ progreditur terribilis ut castrorum acies ordinata?* Antequam pergam, observanda sunt verba Ruperti l. 1. Comment. in Cant. ubi ait: *Currus Pharaonis valde multo ferro armati; equitatus Dei*, sive exercitus, quo pugnavit: *Virga una fuit: Virga Moysi* (est locus

pro

pro pulchra descriptione Moysis virgâ percutientis mare) *Virga illa contra sublimes currus Pharaonis taliter equitavit, hoc modo militavit.* Et paucis interjectis subjungit: *Rectè ergò Virga talis dicitur equitatus Domini, quæ contra tot currus & equites Pharaonis, sola suffecit, & victoriam peregit.* Itaque ex mente Ruperti Virga Moysis fuit figura fortissimæ heroinæ Mariæ, quæ, equitatus Dei! quæ! terribilis ut castrorum acies ordinata; infernalem Pharaonem cum omnibus asseclis in rubro mari pretiosi sanguinis Filii sui submergit. Expavescunt cœli Reginam, &c. Fiat ex superioribus pulchra repetitio, & Epilogus adhortans peccatores, ut si tuti esse velint, confugiant ad Mariam.



CONCIO LXV.

FERIA II. PASCHATIS.

Dicunt eum vivere,

Luc. 24. ℣. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS.

JESUS à mortuis resurrexit cum ingenti hostium, præsertim Synagogæ & Judæorum terrore, & confusione: cum ingenti verò justorum & bonorum consolatione; quia resurrexit è sepulchro pulcherrimus. Pulchritudo Jesu quàm sit potens.

§. 1. *Brevis propositio Concionis.*
§. 2. *Victoria Iesu eximia, de iniquis hostium consiliis reportata.*
§. 3. *Oseas eleganti vaticinio prædixit vindictam, quam Christus Dominus sumpsit de Synagoga.*
§. 4. *Prosecutio.*
§. 5. *Similes intentantur minæ, obstinato peccatori, his paschalibus feriis.*

§. 6. Da-

Digitized by Google

§. 1. Brevis Propositio Concionis.

CHristus D. gloriosus resurrexit à mortuis, cum ingenti hostium confusione & terrore; cum ingenti quoque justorum, & bonorum consolatione; utrumque fusius hâc Concione ostendam, ut intelligamus, quàm Christi Domini resurrectio, ipsi fuerit gloriosa, nobis verò proficua & salutaris.

§. 2. Victoria Iesu eximia, de iniquis hostium consiliis reportata.

Alibi connecto victrices lauros, & triumphales palmas, quibus redivivi Triumphatoris, sive Jesu resurgentis, augustissimus vertex, & debellatrices manus cinguntur, ob devictam mortem, ob subjugatum dæmonem, ob abolitum peccatum, subactosque alios potentissimos hostes. Hodie Jesu resurgenti potissimùm gratulor, quod gloriosa sua resurrectione, Synagogæ, hoc est, sceleratissimorum Judæorum consilia ad nihilum redegerit, irritasque reddiderit voluntates improbas, & nefarios eorum conatus; itaque hostes suos non tantùm irriserit, sed gravissimam de illis sumpserit vindictam. Hic est ille homo, qui sibilis insectatus, ludibriis omnium expositus, contumeliis & maledictis vexatus à Judæis, imò de cruce inter duos latrones fuit suspensus; hic homo hodie, in gloriosa Resurectione, inimicorum impetus, & studia funditùs profligavit, inanesque eorum meditationes ridiculas, & nugatorias demonstravit; dum innocentia triumphavit de malitia, & vita de morte.

§. 3. Oseas eleganti vati-

Illustre hujus victoriæ & vindictæ vaticinium habemus apud Prophetam Oseam cap. 1. ℣. 4. *Et dixit Dominus ad eum; voca*

nomen

nomen ejus Iezrahel. Quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrabel super domum Jehu, & quiescere faciam regnum domus Israel. Ut obscurum hunc sermonem intelligamus, in memoriam revocare debemus vulgatam historiam, quæ lib. 3. Reg. cap. 21. refert, quomodo innocens Naboth ob avaritiam Regis Achab à Jezabele fuerit occisus; Liber vero 4. Regum cap. 9. narrat supplicium illatum Jezabeli; cum Jehu victor, militibus suis dixit, *Præcipitate eam deorsum*, de turri; *& præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam. Et cum issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, & pedes, & summas manus*; reliqua membra devoraverant canes, lingentes sanguinem ejus. Qualis & quantus Jezabelis timor & terror in hoc supplicio? qualis confusio, filiam Regis omnium risui & sannis exponi? quale ludibrium, Reginam præcipitari de turri? Quis non advertit adumbratam fuisse Synagogam, & Judæorum acerbissimorum Christi hostium, nequissimam & pestilentem congregationem, crudelem & sanguinariam? Avida enim fuit sanguinis innocentis, cum ad Pilatum clamavit, *Tolle, tolle, crucifigatur! sanguis ejus super nos, & super filios nostros!* nequam Synagoga risit, cum eundem sanguinem vidit in cruce effusum; sed modicum duravit risus; post triduum resurrexit innocens Naboth, justusque vindex regnum Judæorum præcipitavit in ruinam; post modicum eversa Jerosolyma inundavit Judæorum sanguine. Et ubi florens Israelis regnum? ubi Synagogæ splendor? ubi majestas? extincta est! eversum est imperium; ablatum est sceptrum; superest calvaria, sine corona, supersunt manus, sine gladio; scelerati Judæi, hostes Christi, facti sunt omnium peripsema. Sic justus vindex visitavit sanguinem Jezrahelis super domum Jehu.

Ob quam causam Vates Oseas subjunxit versu 5. *Et in illa die conteram arcum Israel, in valle Iezrahel.* Quæ verba S. Cyril. ad altiorem intelligentiã transfert, ob intrerpretationem voculę *Iezrahel*, quæ significat *Semen Dei*, & per arcum contritum, dolosas §. 4. *Prosecutio.*

cogitationes, & inania consilia Judæorum à Christo disturbatas; per vallem Jezrahel hortum, in quo tumulatus est Dominus, intelligit; quando enim semen Dei mandatum tumulo ad vitam germinavit, Judæorum arcum, hoc est, improba machinamenta dissipavit. Ita cit. D. Cyrillus Alexandr. *Intelligi per vallem Iezrahel* (hoc est, seminis Dei sive Christi,) *monumentum in horto; in quo & Resurrectio Passionem consecuta, de omni genere malorum facinorum, à Iudæis susceptorum triumphavit. Per resurrectionem siquidem eorum prava, & Deo exosa, & cruenta consilia ad nihilum reciderunt. In sepulchro collocatus revixit, & meditatas ipsorum insidias inefficaces reddidit, & quasi arcum contrivit, per id quod pati amplius nihil potest.* Sub victoriosis Resurgentis pedibus jacet contrita Jezabel, non canum, sed dæmonum præda: hostibus omnibus, stupore defixis, præ furore attonitis, frementibus, tabescentibus, dum gloriosa Resurrectione se vere Deum demonstrat.

§. 5. Similes intentantur anima obstinato peccatori, his feriis paschalibus.

Si fortassis inter nos esset, aliqua infamis, superba & ambitiosa Jezrahel, si anima aliqua peccatrix, & adultera; non contenta, quod hactenus innocentem sanguinem Jesu pedibus conculcaverit. Sed his feriis paschalibus de novo Filium Dei crucifixerit, per sacrilegam Confessionem, Communionem, perque alia atrocia scelera, in quibus obstinata defixa hæret, vel facere id cogitet, hanc animā per gloriosissimum Christi resurgentis sanguinem rogo, ut intentum arcum remittat, & iniqua consilia, & pessimas cogitationes deponat, nisi, post, adhuc modicum, fortassis intra mensem, fortassis citius à vindice Judice, velit addici infernalibus tortoribus. Vocate Jezrahel, sanguinem sitit, sanguinem fundat, præcipitate illam de turri ambitionis, de turri luxuriæ, &c. præcipitate in ignem infernalem. Cavete vos Auditores; Christo Victori & Resurgenti à mortuis, data est omnis potestas, ulciscendi se, de suis hostibus.

§. 6. David es fugiens ira & insidias

Omni risu fuerunt digni Judæi, cum Christus D. gloriosus resurrexit à mortuis. Titulus Psalmi 58. sic habet. *Quando misit Saul, & custodivit domum ejus, ut eum interficeret.* Nam, ut refert l. 1. Reg. cap. 19. vers. 12. *Misit Saul satellites suos in domum David*

ut

ut custodirent eum, & interficeretur mane. Sed David à Michol demissus per fenestram, abijt & aufugit, atque salvatus, &c. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, & operuit eam vestimentis; quam fraudem apparitores non adverterunt, donec viderent se illusos, Davidem vero fugisse. Quo solet ingenio S. Augustinus hunc locum explanat de gloriosa Christi D. resurrectione; etenim existimat, Davidem domi suæ somno correptum, & à militibus Saulis obsessum, ad vivum expressisse Christum D. jacentem in tumulo, dormitione mortis soporatum, & à militibus Pilati, ut Pharisæi putabant, optime custoditum. *Erat ergo* (inquit S. Augustin.) *illa sepultura tanquam domus; ad quam custodiendam misit regnum Iudæorum, quando custodes adhibiti sunt, sepulchro Christi.* Et ad tempus Judæis quasi larva fuit objecta, quamdiu Christi D. sacrum cadaver, occisum, mortuum, plenum vulneribus & sanguine, jacuit in sepulchro! sed, O inanes cogitationes! Christum voluerunt interficere; sed jam interfectus erat in Cruce! quid ergo? S. August. respondet: *Interficere Christum erat, tollere nomen Christi, ne crederetur in Christum, dum mendacium prævaleret custodum, qui corrupti sunt, ut dicerent, quia cum dormirent, venerunt discipuli ejus, & abstulerunt eum. Hoc est vere Christum velle interficere: nomen resurrectionis ejus extinguere, ut mendacium Evangelio præferretur. Sed quomodo illud non efficit Saul, ut interficeret David; sic & hoc non potuit regnum Iudæorum efficere, ut plus valeret testimonium custodum dormientium, quam Apostolorum vigilantium.* Quam cœca fuit Judæorum sævitia & indomita malitia; non satis illis fuit Christum sustulisse de medio, dum cruci affixerunt, rabies illorum non fuit satiata, tam copioso effuso sanguine; famam & gloriosam nominis celebritatem libenter obscurassent; ejus gloriosam resurrectionem (quia impedire non potuerunt) silentio saltem libenter involvissent, conantes vel nomen ejus eradere de numero viventium, lumini resurrectionis & tanto ejus

Saulis, fuit figura Christi D. deridentis fuit bestes.

ſplendori, libenter obfudiſſent tenebras, ſed fruſtra! larva cadaveris decepti, tandem adverterunt, cœleſtem Davidem è ſepulchro abiiſſe vivum, & glorioſum. Quis non rideat infatuatos Judæos? quis Chriſto Domino non gratuletur, de nova iſta, & tam glorioſa reſurrectione? de tam nobili triumpho! de tot victoriis, quas contra tot innumeros & potentiſſimos hoſtes, præſertim contra tantum Judæorum imperium reportavit: ſed relinquamus hos hoſtes gementes ſub victorioſis Chriſti reſurgentis pedibus.

§. 7. *Illa venuſtas eximia ex Deitate conjuncta cum natura humana, in corpore mortali: multo magis in glorioſo, & immortali.*

Gratulor illis, in quorum cordibus Chriſtus reſurrexit, ad ſolatium, & conſolationem, cum tenero affectu & propoſito amandi Salvatorem noſtrum in glorioſa ſua reſurrectione. Cauſæ & illicia amoris non deſunt. Lib. 4. Confeſſ. cap. 13. ait S. Auguſtinus; *Non amamus aliquid niſi pulchrum. Quid eſt ergo pulchrum? Et quid eſt pulchritudo? Quid eſt, quod non allicit, & conciliat rebus, quas amamus? Niſi enim eſſet in eis decus, & ſpecies, nullo modo nos ad ſe moverent.* Si eo tendit amor noſter, ut diligat, quod pulchrum eſt; diligat quæſo JESUM à mortuis reſurgentem, quo nihil poteſt eſſe venuſtius. Ob myſterium Incarnationis Rupertus Abbas ad ea verba Cantic. 1. verſ. 5. ait, *Ecce tu pulcher es, dilecte mi & decorus.* Filium DEI incarnatum in perſona ſponſæ ita alloquitur: *Dicis mihi, ecce tu pulchra es; & ego dico tibi, Ecce tu pulcher es: ex quo ego pulchra facta ſum, ex eo tu, qui ſemper pulcher fuiſti, pulchrior factus es. Nam vere pulchritudinem tuam in eo adauxiſti, quod cum DEUS eſſes, homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher, ut ſis ipſa ſubſtantia pulchritudinis, ita decorus, ut ſis ipſum decus humani generis.* Talia dixit ſponſa ad ſponſum indutum humana natura in mortali corpore, an non potiori jure hodie in glorioſa reſurrectione dicere poterimus, non cum ſponſa, ſed cum B. Virgine, O fili! ecce, jam tu pulcher es, &c. (poterit fieri affectuoſa repetitio & applicatio, præſertim ad glorioſa Vulnera.)

De

De primo Christi Domini adventu, de cœlo in uterum Virginis, vaticinatus regius Psaltes dixit Psam.49. vers.3. *Sion species decoris ejus. Deus manifestè veniet*; in Hebraico. *De Sion consumata pulchritudinis, Deus illustris emicabit* Scilicet in consummata pulchritudine, & pulcherrima JESU forma. Quæ D.Bruno in cit. verba ita exponit: *Species,&c. id est, ipse speciosus in innocentia, & decorus in omnibus virtutibus nascetur ex plebe Iudaica, quæ designatur per Sion; quæ turris est in Iudæa.* Et quid inde? subdit Psaltes; *& vocavit terram.* Hoc est, species & decor Christi Domini existentis in mortali corpore; jam tum extitit magnes, qui mirabili virtute ferrea corda ad se traxit. Ecce Apostolos, laqueis amoris irretitos, & sauciatos telis, ex pulcherrimo JESU aspectu. Marc.1.ỷ.16. *Præteriens Jesus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare* (erant enim piscatores) *& dixit eis Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus secuti sunt eum.* Idem fecerunt alii Apostoli. Nunquid aliquis dicere potuisset, Simon, Andrea, Jacobe! ubi vestra mens? quid agitis? ut ad hominis pauperis conspectum, & imperium, relictis omnibus illum sequamini? sed occurrit D.Chrysostomus hom. 4. in S.Marc. dicens: *Dicat aliquis temeraria fides est; etenim quid signi viderant, quid majestatis aspexerant, ut vocarentur, & sequerentur eum? Sanè his ostenditur nobis, quod oculi quoque ipsius Iesu, & vultus, divinum quoddam spirabant, & ad se contuentium oculos facilè convertebant; alioquin nunquam dicente Iesu: sequimini me, secuti eum fuissent: nam si secuti fuissent sine causa, non tam fidei erat, quàm temeritas.* §. 8. *Venustas Iesu in mortali corpore, quàm fuerit potens in vocatione Apostolorũ.*

Sed quid dicemus de pulchritudine Christi resurgentis in corpore glorioso? in corpore immortali? in corpore lucidiori sole? Hodie manifestè venit DEUS! in pulchritudine consummata; illustris inter radios gloriæ immensæ. Speciosus in stola sua, decorus in omnibus membris. Nemo proinde hodie quærat, quare JESUM diligamus? quare illi adhæreamus? aureum caput, roseæ comæ, genæ, labia, oculi, totus vultus, totum corpus, præsertim rosea quinque Vulnera, Divinum §. 9. *Multò est potentior in corpore glorioso.*

Digitized by Google

quoddam spirant, & contuentium oculos ad se facilè convertunt. Radii ex Jesu oculis promicantes, nil sunt aliud, quàm ignei magnetes, qui pura corda ad se trahunt; ut Psaltes vim & robur hujus pulchritudinis exponat, ait ℣. 3. *Ignis in conspectu ejus exardescet.* Etenim pulchritudo eructat incendia, jaculatur flammas; acutisque jaculis & telis ferit oculos. Iterum D. Bruno: *Ignis exardescet, idest, fervor dilectionis augmentabitur, ad modum ignis exardescentis, in conspicientibus cum speciali aspectu.* Dilectissimi in visceribus Jesu! hocne desideratis, ut hoc Paschali tempore, in vestris quoque cordibus exardescat ignis tenerrimi cujusdam amoris erga formosissimum Jesum! ecce rosea Vulnera in eburneis & hyacinthinis manibus! aspicite aspectu speciali! exardescet ignis! (hoc modo poterit dilatari pulcher affectus de reliquis gloriosi corporis membris.)

§. 10. *Connexio inter Iesu pulchritudinem, potentiam. & amorem.*

Pulchritudinem Jesu resurgentis, ejusque robur & fortitudinem puto in spiritu vidisse regium Psaltem cum Psalmo 44. ℣. 5. cecinit: *Specie tuâ, & pulchritudine tuâ, intende, prosperè procede & regna.* Tertullianus legit: *Potens tempestivitate tuâ, & pulchritudine tuâ.* De qua loquitur velut de aliqua armatura, v gr. de gladio, arcu, telis, sagittis. Quidni? quid enim est pulchritudo, nisi ignea sagitta, quæ cor & oculos potenter feret? quid nisi gladius, transfigens pectus? sed qualis connexio. Accingere gladio, & ostende tuam pulchritudinem? qualis mutatio; Jesus armatus miles, & subitò formosus Sponsus? Pulcherrimè respondet S. Chrysostom. *Cùm dixisset, accinge te gladio; subjunxit, specie tuâ & pulchritudine tua: hoc est gladius! species ejus, pulchritudo, auctoritas, gloria, majestas & magnificentia.* Gratulemur Auditores, Christo à mortuis resurgenti! Armato militi! & formoso Sponso! Triumphalis ejus gladius, hoc est, ejus species, pulchritudo, majestas, magnificentia, suis hostibus, ut primâ parte dixi, est terribilis! nobis, qui illum diligimus, amabilis! nobis est gladius, non furoris, sed amoris! non pœnæ, sed gloriæ.

§. 11. *Cur ita cōmendetur pulchritudo.*

Nota sunt verba Sapientiæ, cap 7. ℣. 29. de sapientia: *Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.* S. Gregor. Nyssenus miratus, cur tam

accu-

Digitized by Google

accuratè describatur sapientiæ pulchritudo, respondet hom. 1. in Cant. *Incipit variam ac multiplicem describere sapientiam, & ineffabilis pulchritudinis interpretari speciem, ac decorem; ut non aliqua necessitate, & metu, sed cupiditate, & desiderio excitetur ad bonorum participationem; Nam descriptio pulchritudinis attrahit omnem juvenum cupiditatem ad id, quod ostenditur; accendens desiderium, ut sit particeps venustatis & elegantiæ.* Pulchritudo homines inescat. Illicium animorum potentissimum, est, decor. Venustatis imago & simulacrum cordibus ingerit amorem, & excitat, ut inquirant pulchrum; in quo honestæ voluptatis, & beatitatis continetur fons. Fallor, nisi audio quærentem Sponsam: Qualis est dilectus meus in gloriosa resurrectione? respondeo, est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum; luci, soli, astris comparatus invenitur prior. Ineffabilis est pulchritudinis ejus species. Sed quid ego hæc memoro? Ideò, ut animos vestros excitem ad participationem tantæ pulchritudinis. Ideò, ut illa attrahat animos vestros, ad cupiendum id, quod vobis ostendo; ut accendatur in vobis flagrans desiderium, ut tantæ elegantiæ sitis participes. Cupio vos inescare amore pulcherrimi Jesu, hunc cordibus vestris cupio ingerere affectum, & excitare fervorem, ut inquiratis pulchrum, in quo honestæ voluptatis & beatitatis fons continetur. Ita paschalia festa peragetis cum ingenti consolatione.

Iesu resurgentis.

§. 12. Et Christo D. gratius nihil potest accidere, quàm si tantorum gaudiorum fiamus participes. De Jaspide ait Plinius lib. 37. nat. hist. cap. 9. *Inter Jaspides proxima candicantium est Asteria, principatum habens quod inclusam lucem pupillæ modo quandam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem, ex alio, atque alio reddens.* Hæc jaspidis natura excellentiùs longè refulget, in Jesu à mortuis resurgente. Principatum tenet, quia data est illi potestas à Patre in cœlo & in terra. Pulchritudinem in se continet divinam. Ejus lux referens pupillam, quid innuit, nisi oculum divinæ providentiæ, quo suos prospectat pellucidus Jesus? Alius atque alius locus, quid significat, nisi diversa gloriosi corporis membra, & præcipuè rosea quinque Vulnera, ex quibus undique pulcherrimus Jesus pulcherrimas reddit luces. Sed proprietas

Iesus resurgens, cælestis jaspis.

Digitized by Google

prietas cœlestis Jaspidis nobilissima est, quod suam pulchritudinem transfundat & infundat nobis cum inclinatione; cum voluptate, cum ingenti fructu; ex illa enim transfusione, cor inflectitur ad bonum, inclinatur ad amandum Deum, & amplectendam, brachiis charitatis luminosam pulchritudinem.

§. 13. *Et lucid[i]ssimus Venator cordium nostrorum.*

Impleturque versus 5. Psalmi 75. *Illuminans tu mirabiliter, à montibus æternis.* S. Basilius legit. *Illustris es à montibus venationis seu præda.* Ubi Lorinus. Ex translatione, quâ prædam ponit, colligi potest tropologia, Deum illustrari, velutique gloriari, prædâ & venatione peccatoris, ita ut gaudium coram Angelis sit, ut fera capta solet esse. Hoc denique est desiderium meum, ut corda nostra his feriis fiant præda pulcherrimi & lucidissimi Venatoris, qui est Jesus, benedictus in sæcula.



CONCIO LXVI.

FERIA III. PASCHATIS.

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum,
Luc. 24. ℣. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

JESUS resurgens vicit potentissimos hostes; Diabolum, ut David Goliath. Peccatum! ut Moyses Pharaonem. Mortem, ut Samson leonem, &c.

§. 1. *Iesus pulcher in Resurrectione.*
§. 2. *Vicit.*
§. 3. *Potentissimos hostes.*
§. 4. 1. *Imprimis diabolum, ut David Goliath.*
§. 5. 2. *Peccatum, ut Moyses Pharaonem.*

§. 6. 3. *Mor-*

§. 1. *Iesus pulcher in Resurrectione.*

S. August. Serm. 178. de temp. meditatur ex psalmis & Propheta Isaia cœlestium Ordinum Spiritus, sanctos Angelos, cum viderunt Christum Dominum, gloriose resurgentem à mortuis, & suavi prodeuntem è sepulchro, admiratione plenos, lætis vocibus accinuisse; *Quis est iste qui ascendit, cruoris rubore perfusus, à trophæis victricibus laureatus? quis iste speciosus in vulneribus? unde illa spolia castris tyrannicis reportata? unde illa fulgentia divinæ virtutis vexilla? quis demum est iste Rex gloriæ?* Quæstioni propositæ respondet idem S. Augustinus; *Hic est ille candidus & roseus, compunctus à multitudine: hic est ille, qui non speciẽ habuit, neq; decorem; infirmus in laqueo, fortis in spolio; vilis in corpusculo, armatus in prælio; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; fœdus in morte, pulcher in Resurrectione.* Pulcher! veluti cœlum, cum post nebulas mundo suam pulchritudinem rursum ostendit, ante triduum cœlum Sanctissimæ Humanitatis, sanguineis nubibus fuit obductum, & atra nocte, sive umbra infamis mortis; hodie hoc cœlum est serenissimum, lucidum aureis nubibus immensæ gloriæ. Pulcher in resurrectione! veluti sol, cũ ex obscuris nebulis, totus lucidus procedit. Pulcher in resurrectione, veluti ignis, lampas, vel lux, quæ postquam inclusa delituit, formosissima & lucidissima prorumpit. Pulcher in resurrectione, veluti crystallinum speculum, cum purgatur à maculis; Maculæ in speculo Divinitatis die Parasceves fuerunt, vulnera, sanguis, lachrymæ, lethalis sudor, sputa Judæorum: in resurrectione momento omnia ista evanuerunt. Pulcher in resurrectione, veluti rosa erumpens ex calyce, veluti gemma decidens ex concha. Salve millies, O pretiosa gemma! O formosa rosa! O ignitum speculum! O lucidissima lampas! salve millies, O JESU, gloriose à mortuis resurgens! recrea nos! illumina nos! accende nos! ut

ut læti cum SS. Angelis accinamus, *Quis est iste, &c.* Respondebo in hac Concione, est Rex gloriæ, qui potentissimos hostes, Diabolum, mortem, peccatum & Synagogam, vicit, prostravit, & triumphavit. Hoc ostendam, ut tantæ gloriæ, tanti gaudii, tanti triumphi fiamus participes.

§ 2. *Fuit.* S. Francisci Xaverij suasu & consilio, Malacensium Gubernator cum exiguis copijs, paucis navibus insecutus fuit ingentem barbarorum hostiū classem, post aliquot dies funestus rumor implevit urbē, amicas copias à barbaro hoste funditus deletas. Ingens hinc in urbe mœror & luctus! solabatur omnes Xaverius lętioraq; nuntia promittebat. De suggestu peroans, mox toto auditorio suspenso ruit in genua, raptus in extasin; lugubri & flebili voce repetiit aliquoties illa verba, *O Iesu Christe! Deus cordis mei, obsecro te, quæsoq; per supremos vitæ cruciatus, ne deseras quos tuo sanguine redemisti.* Tandem surgens lætissima voce exclamavit: *Fratres, vicit, vicit bonus ille Iesus; nunc mœrore posito hilaritati & lætitiæ vos date. Classis nostra, insigni parta victoria, cum hostium spoliis brevi portum nostrum ingredietur;* quod & contigit.

§. 3. *Potentissimos hostes.* Contra potentissimos hostes ante triduum ex urbe Jerosolyma fuit egressus Salvator noster; in monte Calvariæ contigit cōflictus; inter hostes fama fuit, occubuisse tandem & quidem in Cruce infami morte, magnum illum Prophetam, Jesum Nazarenum, ideò tristes fuimus, amare flevimus. Sed Auditores, hodie alia nuntia evangelizo, date vos lætitiæ & hilaritati; vicit, vicit bonus ille Jesus, vicit hostes potentissimos.

§. 4. *Inprimis diabolus & David Goliath.* Terribilis hostis fuit Diabolus, sed per mortem & crucē Christi victus est! de hac victoria pulchris verbis sibi gratulatur Petrus Dam. Ser. 1. de Exal. Crucis; *In hac ad horam crucifixus est innocens manibus & mundo corde; terribilis ille latro, cujus manus plenæ sunt sāguine, in hac itē confossus est, & confectus. Sed Christus aliter, aliter ipse; Christus ad momentum, ille in æternum.* Christus D. rupit vincula quibus fuit ligatus, diabolus manet ligatus in inferno. O nobilem victoriam! vicit bonus Jesus. Applaudit illi Origenes homil. 8. in Josue: *Visibiliter Filius Dei in carne crucifixus est; invisibiliter vero in ea Cruce diabolus cum principatibus & potestatibus affixus* est; hac differentia.

Digitized by Google

ferentia. Christus D. ab illa depositus est in sepulchrum, hodie è sepulchro vivus gloriose resurgit; diabolus cum suis manet in cruce æternæ mortis & damnationis. O nobilem victoriam! vicit bonus Jesus. Applaudit illi S. Leo Ser.10. de pass. *Clavi Christi perpetuis diabolum fixere vulneribus*, & S. Basilius homil. 22. de humilitate. *Diabolus in eo crucifixus est, quem se crucifixurum; & in eo mortuus, quem se morte extincturum sperabat*, & quis occidit illam bestiam? quis cruci affixit illum serpentem? quis caput ejus conquassavit? ille qui hodie à mortuis gloriose resurgit, diaboli victor! lætitiæ & hilaritati vos date, canite *Alleluja!* Figura hujus hostis fuit Goliath, Christi D. David. Immanem gigantem strenuus juvenis sua funda pastorali, & uno ex quinque selectis lapidibus, felicissima victoria prostravit; diabolum vicit Christus funda crucis, & quinque sanguineis lapillis sanctissimornm Vulnerum. Victori Davidi accinuerunt Hierosol. Virginum chori; *Vicit David*, nos lætis hymnis cencrepamus: *Vicit ille bonus Iesus.*

Alter terribilis hostis fuit Peccatum, cum Carne, Mundo, Voluptatibus, Concupiscentia aliisque asseclis; sed omnes vicit gloriosus noster Victor. Figuram hujus hostis habemus in Pharaone, ejusq; exercitu; dum electum populum insequitur, dum apertum mare rubrum, quod filiis Israel, vi virgæ Moysis cesserat, transitúq; dederat, repente reversæ coeunt undæ, totumque exercitum cum Pharaone, miserabili & funesto naufragio sepelierunt. Dominus pugnavit pro suis, hostilem interfecit exercitum, subvertit rotas curuum, & involvit eos in mediis fluctibus, liberavitq; Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum. Tunc cecinit Moyses & filii Israel hoc carmen: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, hostes dejecit in mare; eorum principes in mari rubro submersi sunt, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis, dextera D. magnificata est; in multitudine gloriæ deposuit adversarios suos, evaginavit gladium suum in furore, & percussit eos, &c.* tum Maria soror Aaron sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, *Cantemus,*

§. 5. 2. Peccatū. Vt Moyses Pharaonē.

mus &c Ingens hoc miraculum hodie renovatum eſt. Infernalis draco, ſive peccatum, cum toto exrercitu ſubmerſus jacet in mari rubro ſanguinis Chriſti; Quis ibi ſepeliit? quis exercitum illum interfecit, quis percuſſit illos inimicos? quis ſubvertit rotas currus Vanitatis, quis extinxit in undis ardentes faces concupiſcentiæ? quis in mare ſubmerſit? quis è tantis periculis nos liberavit? Ille, ille Moyſes, qui his diebus baculo & virga crucis tranſivit mare rubrum & torrentem Paſſionis; ille qui his diebus in Cruce mortuus, hodie à mortuis glorioſe reſurgit. Eja Angeli, eja homines, eja cœlum, eja terra, &c. ſumite tympanum, pulſate organa, ludite fiſtulis, canite vocibus, *Alleluja, Cantemus Domino, Cantemus IESV noſtro, vicit Pharaonem, ſubmerſit carnem; glorioſe magnificatus eſt. Vicit, vicit bonus ille IESVS!*

§. 6. *3. Mortem ut Samſon leonem.*

Ubi eſt victoria & ſtimulus mortis, ubi ejus vincula? Rupta ſunt vincula, ſtimulus fractus eſt, victoria victa eſt, & hunc hoſtem vicit Jeſus. Mors & vita duello conflixere mirando, ſed mors victa alligata & glorioſo Crucis trophæo. Figuram habemus in leone diſcepto à fortisſimo Samſone, dum Jud. 14. verſ. 5. deſcendit in Thamnata inviſurus mulierem, quæ placuerat oculis ejus, juxta vineam oppidi, *apparuit catulus leonis ſævus & rugiens, occurritque Samſoni. Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilaceravit leonem quaſi hædum in fruſta diſcerpens, nihil omnino habens in manu.* Ante triduum Jeroſolyma egreſſus Salvator noſter in montem Oliveti, quæſivit ſponſam ſuam, quam ab æternitate adamarat; ibi non inveniens, quæſivit in ædibus ſacerdotum, in palatiis Regum, in domo Pilati; cum neq; inveniret ibi, exivit tandem in Golgotha locum, in montem Calvariæ; ſed occurrit illi leo terribilis, horror mortis; tremuit in monte Oliveti ad primũ aſpectum, timuit, ut dixerit, *triſtis eſt anima mea*, & forte ex Pſal. 21. verſ. 22. *Salva me ex ore leonis.* In monte Calvariæ irruit tandem ille leo in Jeſum, Jeſus in leonem, & uterque cecidit. Verum hodie evigilavit de ſomno leo de Juda, redivivus diſcerpſit mortem, nihil habens in manu ſua, niſi baculum Crucis! Io, Io vicit

Digitized by Google

vicit immanem bestiam bonus Jesus; devicta spolia alligavit cruci. Lætitiæ & hilaritati vos date. Ante Christi resurrectionem mors sine dudio fuit formidabilis. Non miror, potior pars mortalium præceps abibat in stygem; pauci ad limbum. Omnibus cœli fores erant clausæ, omnibus porta cœli à Seraphini igneo gladio custodita. Sed postquam Christus clave crucis illas portas aperuit, postquam suo sanguine Seraphini flamas extinxit, postquam sua morte, cuspidem gladii versatilis fregit, piis & probis adeò formidabilis non est. In cruce duellum fuit mortem inter & Christum; in hoc duello cecidit uterq;, mors peremit Christum, Christus mortem; eodem tumulo uterque sepultus, sed Christus vera vita inde prodii tmortem ibì reliquit. Proverbium est, ***mortui non mordent***; In Christo verum non fuit, mortuus sub saxo conditus jacet, nihilominus mortuus dæmonẽ in suo imperio aggreditur, nec perimit, sed vinctum ligat, ut vivus æternam Christi potentiam testetur.

Victoriæ enim hujus nos sumus participes. Nobis vicit illos hostes, nobis insidiabantur. Nos provocavit ille Goliath, nos persecutus fuit ille Pharao, nobis occurrit ille leo, proinde nostra est victoria; figuram idem leo suppeditat. Post aliquot dies Samson in eadem via declinavit, ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore ejus, ac favus mellis, comedit illum, veniensq; ad parentes partem eis dedit, & comederunt & ipsi: longè dulcius mel, mel gloriæ, mel cœlestiũ voluptatũ, per mortẽ invenit Jesus in ore devictæ bestiæ. Optimè in resurrectione Christi dicere possumus: Mel comedit. Sed ejusdem nos vult esse participes; ideò probabili SS. PP. opinione, statim apparuit. Rupert. l. 7. de div. off. c. 25. ***Redivivus Filius illi ante omnes mortales, materno Virginẽ non defraudans honore, victoriã suã annuntiavit. Descendentis è cælo Christi prima statio Mariæ uterus: Ascendentis ab erebo, prima requies Mariæ domus.*** Nõ decuit in cõmunicationem gaudiorũ 2dã vocari, quæ semper prima venerat in laborũ partẽ. Ultimo vidit depositũ de cruce &c. par erat, &c. 1ª fuit, quæ vidit natũ, par erat, &c. Lud. de Pont. ***Audivit Filius precationẽ Matris, & subitò die tertia apparuit illi diluculo, ostenditq; ei faciẽ gloriosissimã, vultumq; splendidissimũ, totũ corpus pulcherrimũ, & 5. petra foramina, saphyris pretiosiora, & fulgentiora carbunculis.***

§. 7. Sed victoria, & mellis resurrectionis nos sumus participes.

Digitized by Google

P. Amud. Lusan. l. 6. de Deip. *Surrexit & erexit animum Matris suæ, jacebat illa velut in quodam vastissimo mœroris tumulo, donec Dominus jacuit in sepulchro. Illo namque resurgente revixit Spiritus ejus, & quasi de gravi somno evigilans solem justitiæ, & radios resurgentis in luce matutina respexit; Intuita est ortum surgentis auroræ, & præcedentem in filio futuram carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis. & mente cernebat gloriam Divinitatis, ut intus & foris egrediens & ingrediens frueretur pascuis veræ, sempiternæque felicitatis. Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, adhæsit corde lætissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo in illum tota efferebat, in cujus amoris immensitate tota refundebatur.* Post B.V. dulcissimus Jesus mellis sui participes fecit, Apostolos, discipulos, mulieres, & omnes, qui participes fuerant luctus. Quia & nos hoc triduo Christo D. compassi sumus, quia flevimus, &c. ideò & nobis hodie mel offert; & in victoriæ societatem nos omnes vocat. Si velimus, sentiemus vere & melleè dixisse S. Bernardum in Paschate; *fortiter pro me, suaviter mihi.* Fortiter egit, patiendo dura: fortiter egit, pugnando contra suos hostes; fortiter egit, moriendo in cruce; omnia pro nobis. Hodie verò, in gloriosa resurrectione nobiscum agit suaviter! quid suavius? quàm intueri faciem Christi resurgentis? Quid suavius? quàm cernere illa vulnera, &c. Sed hoc moneo.

§. 8. *Si tamen & nos nostros hostes vincamus.*

Diabolum, peccatum & mortem, ita vicit Christus D. ut nihilominus contra nos continuò moveant prælia; dies & noctes nobis insidiatur diabolus; Caro & peccatum dolosos ponunt laqueos, ut nos trahant in præcipitium mortis æternæ; ideo tam multi hærent in potestate & vinculis diaboli, in faucibus infernalis leonis. Nolite vos timere; Christus resurrexit, vi crucis Christi nostros hostes vincere possumus. Licet nobis, ut omnia peccata in rubro mari sanguinis Christi submergamus; nostra est victoria! pugnemus, vincamus cum bono Jesu, & tantorum gaudiorum erimus participes.

§. 9. *Feniq; bonus Iesus vicit Synagogam.*

Quartus hostis Christi D. fuit Synagoga; id est, Scribæ, Pharisæi, &c. hi omnes putârunt, se per ignominiosam mortem crucis inter duos latrones, velle extinguere famam Christi, & delere


Digitized by Google

lere de terra viventium; sed per hanc mortem illum magnificârunt. Putârunt se per custodes sepulchri velle impedire gloriosam ejus resurrectionem, sed frustrà; *Resurrexit, sicut dixit*; bene additur, *sicut dixit*: Matth.20. dixerat: *Filius hominis tradetur ministris Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tertiâ die resurget.* O impia Synagoga! O Pharisæi! prima pars hoc triduo impleta est; traditus vobis est, morte turpissimâ condemnastis eum! Sed hodie, impleta est altera pars: *Resurrexit! sicut dixit*; dixerat Marc.9. *Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertiâ die resurget.* Præterito triduo cum lacrymis vidimus eum captivum, &c. hodie cum gaudio videmus resurgentem. *Sicut dixit.* Luc.18 ℣.21. dixerat: *Ecce ascendimus Ierosolymam*, &c. priora omnia impleta sunt; sed & ultimum *Resurrexit*! adeste scelesti, qui die Veneris sub cruce movistis capita vestra, qui expuistis in crucem, & dixistis: *Descendat de cruce, si Rex Israel est, & credimus.* Descendit, resurrexit; quare non creditis, quod Rex vester sit (sic per alias blasphemias sub cruce prolatas) Omnia vicit bonus Jesus!

O quale gaudium Christi resurgentis! gaudet veluti triumphator, qui potentissimos vicit hostes; gaudet veluti pastor, qui perditam reperit oviculam; gaudet veluti amantissimus pater, qui recepit profugum filium; gaudet veluti viator, qui arduum absolvit iter; gaudet veluti nauta, qui post atrocem tempestatem attingit portum! gaudet veluti mercator, qui divitem refert thesaurum, gaudet veluti medicus, qui magnum sanavit ægrotum; veluti agricola, qui divitem congerit messem; veluti vinitor, in abundanti vindemia. §. 10. *Gaudium resurgentis Christi.*



CON-



CONCIO LXVII.

FESTO SS. APOST. PHILIPPI ET JACOBI.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt,

Joan. 14. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS.

SUppositâ frequenti memoriâ cœlestis gloriæ, & ejus cognitione, quæ in hac vita haberi potest; ingens in justis nascitur ejusdem desiderium, cum peculiari solatio, & magno animo generosè pro tanto bravio pugnandi.

§. 1. *Introitus in Concionem, & Propositio.*

§. 2. *Pars prima, cœlestis gloria, in hac vita, est inexplicabilis.*

§. 3. *Quod S. Catharina Senensis pulchrè agnovit.*

§. 4. *Et Doctor Angelicus, S. Thomas.*

§. 5. *Piissima Viri sancti suspiria, in contemplatione cœlestis gloriæ.*

§. 6. *Testimonium S. Theresiæ.*

§. 7. *Suo modo tamen in terris potest describi ejus gloriæ excellentia.*

§. 8. *Ad cujus assecutionem nos adhortatur S. Thomas de Villa Nova, & S. Augustinus.*

§. 9 *Et S. Bernardus.*

§. 10. *Et S. Paulus Apostolus.*

§. 11. *Quomodo sancti Martyres, memoriâ, & spe cœlestis gloriæ, se animârint ad patiendum ardua.*

§. 12. *Et Rex David.*

§. 13. *Præsertim pugnaturus contra Goliath.*

§. 14. *Qui cœlum cogitat, facile mundum contemnit.*

§. 15. *Prosecutio.*

§. 16. *Prosecutio.*

Sacra

Digitized by Google

SAcra Evangelia, quæ post gloriosam Christi D. resurrectionem paschali tempore, in sacrificio Missæ & de Cathedris à Concionatoribus vel paulo ante, vel post festum SS. Apostolorum Philippi & Jacobi, imo in ipsamet illorum solemnitate prælegunter, eo tendunt, ut supposita frequenti Cœlestis gloriæ memoria & recordatione; & clara cognitione ingẽs quoque in justis ejusdem nascatur sitis & desiderium; Latissimam materiam unica Concione explicare non potui; hanc itaque, vel prioris, vel brevi secuturæ Concionis, cupio esse prosecutionem. Ut cum attentione & solatio, in quatuor partes divisam, audiatis, humanissime efflagito. §. 1. *Introitus & Propositio.*

Primum quod attinet, certum est primo, Gloriam æternam quam Pater æternus suis electis ab æterno præparavit, quam Filius Dei sua morte, & pretiosi sanguinis in Cruce effusione, promeruit, ad quam Spiritus S. sua gratia nos sanctificavit; tantam esse, ut in hac vita nec mente concipi, nec verbis explicari possit. S. Aug. clarissimum perhibet testimonium, ser. 33. de Sanctis. *Omnem sermonem, atque omnem sensum, humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa gloria.* Nota sunt verba Isaiæ c. 64. v. 4. & S. Pauli, 1. Cor. c. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Ex quo sequitur; divitias totius mundi, gloriam Salomonis, Alexandri Mag. & omnium Cæsarum; pompam & magnificentiam triumphorum, splendorem palatiorum, thesauros Regum, pulchritudinem solis, lunæ, stellarum, venustatem, florum gemmarum & hominum; omnia gaudia oculorum, aurium & sensuum omnium oblectamenta; nihil esse respectu illius gloriæ. Imaginamini vobis in hoc mundo, Helenarum venustissimam, gemmarum omnium pretiosissimam, florum omnium pulcherrimum; cerni, videri potest; Musica omnium dulcissima potest audiri, cibus omnium suavissimus gustatur: quo fragrantior est odor, eo magis olfactu percipitur. Hoc verum est de omnibus mundi deliciis; unde quis dicere potest; Vidi pulcherrimum florem, audivi suavissimam Musicam, &c. Aliter vero discurrendum est de cœlesti gloria, quæ tanta est, ut in hac vita, nec vide- §. 2. *Pars 1. Cœlestis gloria in hac vita est inexplicabilis.*

ri, nec audiri, nec gustari possit, qualis est. S. Augustin. tract. 34. in Joann. *Extendat anima cupiditatem suam, & sinu capaciori quærat comprehendere, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest, verbis explicari non potest.*

§. 3. *Quod S. Catharina Senensis pulchre agnovit.* Ita S. Catharina Senensis, cum in suavissima mentis extasi à Cœlesti sponso deducta fuisset in paradisum, inde ad se redux, exclamavit, *O quam miranda vidi! O quam pulchra! O beatissimum locum, in quo fui!* Quærenti Confessario, quænam vidisset, respondit: *verba quidem mihi suppetunt, quibus v. g. explicare vel describere possum pulchritudinem, floris, gemmarum aliorumque objectorum, quæ vidi* (ita discurre per reliquos sensus.) *Verum, mi Pater, verba quibus explicem illa gaudia, quæ vidi in Paradiso, non habeo: O Pater; pulchra! miranda! jucunda vidi!*

§. 4. *Et Doctor Ang. S. Thomas.* Ideo S. Thomas Doctor Angelicus dixit, 1. p. quæst. 25. art. 6. *Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi amplius in ea manere non liceret, quam unius diei mora; propter hoc solum, innumerabiles anni vitæ hujus, pleni deliciis, & circumfluentia bonorum temporalium, recte meritoque contemnerentur. Non enim falso & parvo affectu dictum est, Melior est dies una in atriis tuis super millia*, Ps. 83. v. 11. Sed quænam est illa jucunditas? quanta est? hoc etiam Doctor Angelicus non potuit verbis exprimere.

Aliqualiter saltem, puto illam in terris comprehendisse virum illum sanctum, qui in cœlestis gloriæ contemplatione, ita

§. 5. *Piissima Viri sancti suspiria.* suspiravit. *Heu me! cur omnes arbores in campis, cur omnium arborum rami, folia, flores, cur arena maris & montium, cur guttæ fluminum, non convertuntur in spinas, ut me pungant; in prunas, ut urant, in pectines & forfices, ut lacerent, in cultros, ut scindant; in equuleos; ut torqueant; in rotas, ut conterant, &c. dummodo æternam gloriam promerear!* O nos frigidos Christianos! & quid nos, pro tanta gloria, patimur? quid laboramus; utinam! utinam! multi non potius quærerent divitias, voluptates, & caduca bona hujus mundi; etiamsi fortassis sciant, se perdituros felicem æternitatem.

§. 6. *Testimonium S.* Ob quam causam Christus D. Salvator noster, cum Seraphicæ S. Theresiæ tantum radium cœlestis gloriæ ostendisset, dum

Digitized by Google

dum guttulam tantum delibandā præbuisset, ex altera parte illi propoluit filios hujus sæculi, inhiantes rebus terrenis; & tum quærula voce S. Theresiæ dixit, *Vide filia, quid perdant illi qui me offendunt: illi, qui terram, cœlo præferunt.* In qua visione S. Theresia, tantis gaudiis & deliciis fuit delibuta, ut fassa fuerit, impossibile sibi esse ex ulla creatura hujus mundi aliquod percipere solatium. Sed fare, O Seraphica Virgo; quid vidisti? quibus delibuta es deliciis? Quid quæritis? aliud non respondebit, nisi cum S. Paulo, *Nec oculus vidit, &c.* Cum enim aliquando Matrona nobilis eidem S. Theresiæ gemmeum suum thesaurum, præsertim lucidissimos adamantes ostenderet, ridens Theresia dixit. *O vitra! respectu gemmarum, quas cælestis sponsus in cælis mihi ostendit.* Verū quam pulchræ illæ sint in terris explicari non potest. *Theresia.*

§. 7. *Suo modo tamen in terris potest describi ejus gloria excellentia.*

Quantum tamen homini fas est, in hac vita aliquo modo comprehendere essentiam beatitudinis, dici potest cum Theologis, & præcipue S. Bern. Ser. 9. in Cant. consistere illam potissimum in his tribus. *Deus rationi futurus est plenitudo lucis; Voluntati multitudo pacis; Memoria continuatio æternitatis.* Nobilissima pars animæ est intellectus, hic in summa perfectione beatus erit per visionem Dei, juxta v. 11. Ps. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, textus hebraicus sic habet. *Satietas lætitiarum cum faciebus suis.* Genebrardus. *Cum aspectu faciei tuæ, est satietas perfecta & plena munditas.* Vatabl. *Cumulatissima abundantia omnium quæ animum lætitia perfundere solent, & omne jucunditatis genus.* 1. Joan. c. 3. v. 2. *Videbimus eū sicut est.* Hoc est divinā essentiam cum omnibus perfectionibus; infinitatem naturæ, immensitatem magnitudinis, æternitatē durationis, eminentiam Majestatis, firmitatem throni, gloriæ lumen Sapientiæ, abyssum judiciorum, dulcedinem bonitatis, delicias misericordiæ, ignes amoris, rigorem justitiæ, vires omnipotentiæ, fontem infinitæ pulchritudinis. In eodem hoc lumine intellectus videbit mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, SS. Eucharistiæ, &c. reliquosq; articulos fidei, quos jam credimus, tum videbimus, sicut & admirandam structuram cœlestis Jerosolymæ, in qua *Non erit ulla infelicitas.* (S. Aug. Serm. 4. de verb. Dom.) *quæ nos exerceat; sed felicitas sola quæ pascat.* Beatitudo verò voluntatis

Digitized by Google

consistit in continuo & dulcissimo amore summi boni, cum recordatione perpetuæ ejus possessionis, in memoria: accedente deinde admirabili beatitudine ipsius corporis. Oculi videbunt, quidquid illos poterit recreare, &c. ita de reliquis sensibus.

§. 8. *Ad cujus assecutionē nos adhortantur S. Thom. de V. N. & S. Aug.*

S. Thomas de Villa Nova, cum tantæ gloriæ immensitatem secum perpendisset, Ser. de Asc. pulchre exclamavit: *O Galilæi! O Viatores! O peregrini! quid statis? quid hæretis. Si tales estis! cur futuram in vobis gloriam, non iniquiritis? Tanta vos gloria manet, tantum Regnum promissum est, & hæretis? quid dicam vobis O pigri, O desides, O inertes? labor modicus, lætitia sempiterna, ! pugna levis, corona perpetua. Vita hæc brevis, altera immortalis. Ex hoc vitæ momento pendet æternitas, & hæretis? quid aspicitis in cælum? aspcitis, & negligitis? non solis oculis acquiritur, sed & manibus pedibusque ad illud contendendum est.* Sed dices fortassis cum S. Augustino ep. 143. ad Demetr. *Grandis labor! sic est: sed respice, quod promissum est.* addit in Psalm. 39. *Cum attenderis, quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna existimabis, pro quibus illud accipias: nam utique pro æterna requie, labor æternus subeundus esset: æternam felicitatem accepturus, æternas passiones sustinere deberes.* sed tantum bonus Deus à nobis non exigit, vult nos modicam tribulationem libenter perferre.

§. 9. *Et S. Bern.*

Æque eleganter S. Bernardus ait Ser. 17. in Psalm. 90. *Latet gloria fratres mei; abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas. In hoc levi, pondus sublime, & supra modum.* Et Ser. 1. de diversis. *Transit hora, transit & pœna; non sic gloria, non sic remuneratio; non sic merces ipsa laboris; nescit vicissitudinem, nescit finem; manet tota simul, manet in æternum.* Deinde. *Guttatim pœna bibitur, liquando sumitur; per minutias transit: at in remuneratione, torrens est voluptatis, & fluminis impetus; torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis.* Tandem concludit: *Habentes ergo talem promissionem, non deficiamus, aut fatigemur aliquando, nec grave causemur onus Christi.*

§. 10. *Et S. Paulus Apostolus.*

Hoc se fecisse gloriatur S. Paulus ep. ad Ephes. c. 6. Armat ibi militem Christianum necessaria panoplia, ad pugnandum fortiter contra potestates tenebrarum. Exigit loricam justitiæ, scutum

Digitized by Google

scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritus. Sed, O sancte Apostole! lorica illa est nimis gravis; loqueris de lucta, nimis molesta; loqueris de vita militis, quæ mille difficultatibus & periculis est exposita. Sic est, neque S. Paulus hoc ignoravit; ideò ℣. 12. ut ad pugnam hanc nos animaret, dixit: *Est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, & principes rectores tenebrarum in cælestibus.* Alia versio habet: *Propter cælestia*, hoc est, propter æternam gloriam, (est locus pro pulchro affectu, v. g. induite ergo loricam justitiæ; propter cœlum! durate! propter cœlum, &c.)

§. 11. *Quomodo SS. Martyrum memoriâ & spe cælestis gloriæ se animarint ad patiendum dura.*

Cœlum cogitavit Agapitus Martyr (18. Augusti celebratur ejus festum) quindecim annorum adolescens; cùm enim post gravissima tormenta illius caput tegeretur ardentibus prunis, dixit: *Parum est, ut caput, quod coronari debet in cælis, ardeat in terris.* Cœlum cogitavit heroina illa Machabæa, septem filiorum & Martyrum Mater, cum juniori filio, dum dura pateretur, dixit: *Peto Nate, ut aspicias ad cælum.* Cœlum cogitavit Mater Symphoriani, cùm illi patienti dixit: *Nate! nate! memento æternæ vitæ; cælum suspice, & ibi regnantem intuere.* Cœlum cogitans S. Abilus Martyr, (15. Novembr.) inter tormenta gravissima ita suspiravit, ex cap. 8. ad Roman. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Cogitationem cœli suaserunt sancti Angeli illi Martyri, cui de cœlis accinuerunt: *Nullus labor durus videri debet; nullum tempus longum, quo gloria æternitatis acquiritur.*

§. 12. *Et Rex David.*

Tot & tam variæ fuerunt persecutiones, quibus patientia mansuetissimi Regis Davidis fuit vexata & probata, ut Ps. 39. v. 15. dixerit: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Sed Ps. 41. ℣. 5. insinuat causam, ob quam omnia adversa patientissimè sustinuit, dum ait: *Hæc recordatus sum - quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad domum Dei.*

§. 13. *Præsertim pugnaturus contra Goliath.*

In pugna omnium præcipua contra Goliathum jam tali cogitatione se animaverat. Lib. 1. Reg. cap. 17. v. 25. cùm ex pascuis venisset in castra Israelis, fratribus allaturus cibum, ibat rumor inter milites: *Qui percusserit Philisthæum, & tulerit opprobrium de Israel, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei.* Audivit hæc

gene-

Digitized by Google

generosus juvenis, & ob promissi præmii magnitudinem, exardescens in desiderium congrediendi cum Goliath, prius in castris ex variis quæsivit: *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthaum? & tulerit opprobrium de Israel.* Sed mi David! cur es tam curiosus? ad quid tam sedula de præmio indagatio? perge ad pugnam, congredere cum hoste; vince! triumpha! & præmium, sive coronam accipies; sed alia fuit mens Davidis, prout nobilis Interpres advertit; alius ejus scopus, videbat se arduam & difficilem aggredi pugnam; ideoque magno animo sibi opus esse; quem ad fortem pugnam nihil ita animat & roborat, ac spes præmii. Cogitemus nos cum Davide, quid Deus daturus sit nobis, si laboremus, si pugnemus; & animus ad pugnandum nunquam deerit.

§. 14. *Qui cælum cogitat, facile mundū contemnit.* Hoc præterea solet Deus in animis suorum efficere, ut quibus affulget spes cœlestis gloriæ, & æternæ beatitudinis, mundana omnia facillimè contemnant. Experta id fuit Sponsa, cùm dixit Cant. 5. vers. 6. *Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus meus.* Metalla, quæ liquefiunt, per ignem redduntur molliora & puriora, omni scoriâ seclusâ; ita & anima, cum cœlestibus inardescit desideriis, quidquid est mundialis scoriæ, abjicit, & soli Deo adhæret. Accipite aurea verba S. Gregor. M. super cit. versum. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est: Mens namque hominis, Conditoris sui speciem non quærentis, malè dura est; quia in semetipsa remanet frigida. At si ardere jam ex desiderio cœperit ad sequendum, quem diligit* (scilicet Sponsum invitantem ad cœlestem gloriam) *liquefacta per ignem amoris, currit. Fit desiderio anxia, vilescunt in sæculo cuncta, quæ placebant: nihil est, quod extra conditorem libeat. Nihil ejus mæstitiam consolatur, quousque quid desideratur, aspicitur.* Scilicet in cœlesti gloria. Sic animæ ignem Dei sentienti, & anhelanti ad æternam beatitudinem, vilescunt omnia, quæ extra Deum possunt reperiri.

§. 15. *Prosecutio.* Explicatiùs comparationem liquefactionis, in hoc discursu prosequitur D. Macarius hom. 4. inquiens: *Quemadmodum ferro, plumbo, auro vel argento in ignem conjectis, resolvitur eorum dura natura, & in molliorem mutatur; sic & anima, quæ mundo abrenuntiaverit, solum Dominum desiderans, illum ignem cælestem divini*

ac


ac spiritualis amoris consecuta; tunc verè à mundo exsolvitur, & cuncta procul à se repellit, reliqua omnia in superfluis habens, in solo Sponso cælesti acquiescens. Nequit enim divinissimus ille ignis, non mundare animam, ab omni mundiali, & terrestri affectu. Pari omninò ratione discurrere debemus, de spe & memoria cœlestis gloriæ. Nequit, &c. (potest fieri hîc pulchra ex dictis applicatio.)

Eunti ad ardentem rubum Moysi dixit vox de medio ignis, Exod. 3. vers. 5. *Ne appropies huc; solve calceamentum de pedibus tuis.* Cur calceamenta jubetur exuere? Nyssen. respondet, de vita Moysis. *Quæ quidem lux, cùm nobis illuxerit, primò docebit, quid faciendum sit, ut possimus ad veritatis radios accedere. Quod calcei solvendi, ejiciendusque sit undique omnis amictus pelliceus, ac terrestris, & sordidus passionum æstus.* Neque enim aliter DEUS ad animam vult venire, nisi ante exuat omnes terrenos affectus. Adamo dixit cap. 2. vers. 24. Genes. *Propter hanc relinquet homo patrem ac matrem, & adhærebit uxori suæ.* Ex quo sapienter, ita argumentatur D. Macarius hom. 4. *Si ergo carnalis dilectio sic hominem solvit ab omni alio amore; quantò magis solventur ab omni dilectione mundi; quicunque digni habiti sunt, ut sancti & semper amandi illius spiritus verè participes fierent? Et cuncta videbuntur eis inutilia, propterea, quod victi sunt à desiderio cælesti.* (Potest hæc argumentatio, pulcherrimè applicari; v. gr. quomodo hunc mundum debeant contemnere, &c. illi, qui sperant fieri participes cœlestis beatitudinis. Hujus dilectio debet nos solvere ab omni terreno affectu, ut tantæ gloriæ fiamus participes.) §. 16 *Prosecutio.*



CON-

Digitized by Google



CONCIO LXVIII.

FESTO ASCENSIONIS CHRISTI DOMINI.

Dominus Iesus assumptus est in cœlum,
Marc.16.v.19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristum D. gloriosè ascendentem in cœlum, Animæ piæ, comitantur piis desideriis & sanctis cogitationibus; quanto id nobis in hac lacrymarum valle existentibus sit solatio. Praxis consistit in pia mentis elevatione ad Deum, Christum D. & cœlum; cui variæ creaturæ, variam præbent occasionem.

§. 1. *Breve Exordium & Propositio.*

§. 2. *Christus D. verè & realiter ascendit ad cœlos.*

§. 3. *Christus ascendens in cœlum fuit Aquila.*

§. 4. *Ex mente quoque Salomnis Proverb. cap.30.*

§. 5. *Aquila in altum evolans, secum ducit suos pullos ad solem usque: ita & Christus Dominus.*

§. 6. *Vti avicula etiam in florido carcere, est captiva, & inquieta.*

§. 7. *Ita electi, in hoc mundo, nisi suspirent ad cœlum; Regius Psaltes, S. Paulus, S. Augustinus avicula.*

§. 8. *Et ager inter spinas cantillans.*

§. 9. *Et Carolus V. Imperator, & S. Ægidius.*

§. 10. *Cogitationes de Deo, Christo D. & cœlo, in cordibus nostris verum gignunt gaudium.*

§. 11. *Frequentem de cœlo cogitationem nos docent bestiæ.*

§. 12. Fre-

Digitized by Google

NOn dubito meis Auditoribus, qui ab aliquot septimanis, Christo D. Salvatori nostro de gloria gloriosissimæ Resurrectionis intime aggratulati sunt; fore jucundum audire, quomodo eundem hodie gloriose ascendentem ad cœlos, piis desideriis, sanctisq; cogitationibus comitari debeamus; & quanto id idem nobis in hac lachrymarum valle adhuc existentibus sit solatio. Quod in honorem Christi D. gloriose ascendentis ad cœlos, discursu, qui sequitur, fusius conabor exponere. *§. 1. Breve exordium, & Propositio.*

Romani, ut Conditorem suum Romulum inter deos referrent, finxerunt à nube fuisse raptum ad cœlos. Cujus figmenti, sive fabulæ mentionem fecit S. Aug. lib 3. de civit. Dei c. 15. ubi ait. *De Romulo viderit adulatio fabulosa, qua perhibetur receptus in cœlum.* Et Tertull. l. 4. adversus Marc. c. 7. *Ascendit mendacii scalis.* In quo huic ascensui valde est dissimilis hodierna gloriosissima Ascensio Christi Redemptoris nostri. Nullum hic est figmentum, nullus fabulæ vel mendacio locus. Ascendit vere, realiter, scalis suæ fortitudinis & omnipotentiæ: perhibente ita Isaia c. 63. v. 1. *Gradiens in multitudine virtutis suæ.* & Jobo cap. 40. v. 4. *Si habes brachium sicut Deus, aut simili voce tonas; circumda tibi decorem & in sublime erigere, & esto gloriosus.* Talē se hodie ostendit Christus Dominus. Habuit brachia sicut Deus, circumdedit sibi decorem & in sublime se erexit, & fuit gloriosus; non in tenebris, sed clara die; *Videntibus illis elevatus est.* *§. 2. Christus D. vere & realiter ascendit ad cœlos.*

Modum gloriosissimæ hujus Ascensionis, meo judicio eleganter exponit relatio quædam Rabinorum; habeat fidem, quantam meretur. Ex illorum libris refert Nicolaus Lyra in additione ad glossam. Hebræos dum à Moyse educti fuerunt Ex Ægypto, prætulisse quatuor magna vexilla. Primum gestavit Ruben, in quo in rubro campo, depictus fuit homo candidus. Mihi jam occur- *§ 3. Christus D. ascendens in cœlum fuit Aquila*

rit versus sponsæ, in quo dixit cap 5. vers. 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Secundũ vexillum prætulit Ephraim, in quo in rubra quoque area repræsentatus fuit taurus. In tertio, in manibus Judæ, in campo viridi spectabatur leo. In vexillo quarta, prælato à Dan, in campo candido, depicta fuit regalis Aquila pulcherrimo serto coronata. Ex mente quorundam Interpretum hæc quatuor vexilla, & depicta in illis Emblemata, denotant nobis quatuor præcipua mysteria Vitæ Christi Salvatoris. Homo candidus & rubicundus, Christum Incarnatum; sanguineus taurus in Cruce immolatum, triumphans leo, gloriose Resurgentem à mortuis. Aquila coronata, cum eadem gloria, pompa & magnificentia ascendentem ad cœlos, cum veluti Aquila coronata, in sublime se erexit, omnesque aeris & cœlorum sphæras pervolavit, non desistens, quousque in altissimo cœlo, ad dexteram æterni Patris sedem suam collocavit.

§. 4. Ex mente Salomonis Prov. c. 30.

Similia ferme emblemata nobis proposuit sapientissimus Salomon (ut Rabinorum relationem nonnihil fundem in sacris literis) cum dixit Proverb. 30. vers. 28. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignaro. Viam aquilæ in cælo; viam colubri supra petram; viam navis in medio maris; & viam viri in adolescentia.* LXX. legunt. *In adolescentula.* Vir hic fuit Christus Dominus, dum incontaminatæ Virginis uterum in Incarnatione ingressus, post novem menses inde, mirabili modo, illæsa ejus Virginitate, in optatissima Nativitate fuit egressus. In quo mysterio, viæ Domini hauddubie fuerunt investigabiles, & incomprehensibilis misericordia ejus. Christus D. fuit mirabilis illa navis, quæ perforata clavis, perfossa spinis, nihilominus per mare rubrum, rectam nobis ostendit viam ad portum æternæ salutatis. Christus D. fuit ille serpens, elevatus & mortuus in Cruce, sed mox relictis exuviis mortalitatis, gloriosus in Resurrectione revixit. Hodie est Aquila, evolans in cœlos; in arduis ponens nidum suum, unde contemplatur escam, & de longe oculi ejus prospiciunt; & nos licet in terris positi, lambimus sanguinem ejus. Sed non cogito modo inhærere comparationi inter Aquilam & Christum D. ascendentem ad cœlos, quod scio me in aliis Con-

cionibus

cionibus præstitisse. Ut propositam mihi aggrediar materiam, hoc solum vobis revoco in memoriam.

§. 5. *Aquila in altum evolans, se cum ducit suos pullos ad solem usq. ut Ita & Christus D.*

Aquila non est contenta, ut ipsa sola, ad solem usque evolet; sed quam primum pulli plumescunt, illos rostro & alarum percussione urget, & cogit, ut ipsi quoque parentum exemplo, petant non solum altos montes, sed per nubes quoque ad solem usque penetrent, ejusque radios fixis & immotis oculis intueantur. Quod ob oculos nobis ponit Emblema, in quo Aquila cum pullis ad solem evolans rostro tenet schedulam, cum hoc lemmate; *Sic credo*, scilicet vos esse generosos Aquilæ pullos. Arist. Plinius & Ælianus dicunt; aquilam pullos quasi nido affixos, sponte egredi nolentes, rostro eos pungere, per vim expellere, & ad volandum cogere. Quam proprietatem sacer textus expressit Deuteronomii cap 32. vers. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas.* Talis Aquila ex mente S. Maximi homil. 2. de Pent. fuit Christus D. in admirabili sua Ascensione. *Sicut aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit; ita & Salvator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetravit, prædam sustulit, cum hominem, quem suscepit, inferni raptum faucibus, portavit ad cœlum, sicut scriptum est, ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Utinam hodie omnes, quotquot adsumus, essemus captivi Christi ascendentis in cœlum, utinam essemus pulli generosissimæ aquilæ; utinam per pia desideria, per sanctas cogitationes relinqueremus terram, & cœlum conscenderemus. Quod sponsus à sponsa petiit cap. 2. Cant. v. 13. *Surge, propera, amica mea.* Ubi D. Ambrosius. *Resurge à terrenis, & veni ad me. Surge à delectationibus mundi, & veni ad me supra mundum*: ad quæ sponsa respondit; O cœlestis sponse! hoc est, O Jesu gloriose ascendens ad cœlum! trahe me post te, & curram in odorem unguentorum tuorum. Ex colle myrrhæ, curram ad montem thuris, & aromatum; ut tuæ gloriæ fiam particeps.

§. 6. *Ut aquila etiam in florido*

Quisquis cum sponsa amat sponsum! hoc est, sancti & electi, qui Jesum diligunt, non satiantur bonis & deliciis hujus mun-

carcere & captiva.

di; in hoc mundo, vivunt veluti extra centrum; anhelantes semper ad Jesum, & ad alium locum. Res simili explicatur. Considerate aviculam ab hero ferreæ caveæ inclusam. Judicamus illi esse bene, quia delicatissime nutritur, etiam saccaro. Videtur volare, saltare in tutissimo loco, contra pluvias, contra radios solis, contra rapaces milvos. Ut ferreus carcer sit jucundior, mutatur in sylvulam; ornatur frondibus, foliis & floribus. Et tamen, inter has delicias videmus aviculam talem non esse quietã; volat, salit, saltat; & volando, saliendo, saltando, simul pedibus, alis, & rostro quærit an alicubi inveniat apertã portam, vel foramen, ex quo avolet, libereturq; ex tam jucundo carcere. Nunquid aliquis dicere posset; Mea avicula? cur ita es inquieta? cur fugam meditaris, in qua sylva? in quo horto? ubi? invenies has delicias? tam delicatum cibum? ubi quietius requiesces? spinas vel excavatam arborem foris reperies pro tuo nidulo. Taceo alia pericula, à milvo, ab insidiis aucupum, à mille laqueis. Hic igitur mane, hic quiesce mea avicula. Sed si loqui posset, responderet: hæc cavea, hic carcer, non est locus mihi debitus. Creata sũ à Conditore meo, ut libera, sine laqueis circumvolem per sylvas, per campos, per aera, ibiq; illum, qui me fecit, modice pasta, modo quo possum laudem, & magnificem. Saccarum, melleum panem non quæro; sed libertatem. Nocte paucis horis quiescere inter spinas, vel in excavata arbore mox mane ante auroram, volare per aera, saltare per arbores, expandere alas, librare pennas, & Deo Conditori cantillare; hæ meæ sunt deliciæ! Inclusa etiam in florida domuncula, misera sum & captiva.

§. 7. *Ita & electi in hoc mũdo, nisi suspirent ad cœlum. Regius Psaltes S. Paulus, S. Aug. avicula.*

Tales aviculæ sunt electi filii Dei in hoc sæculo, inclusi non ferreo, sed fragili carceri, in humano & mortali corpore: etiam cum bene illis est, non sunt contenti & quieti, sed piis desideriis & sanctis cogitationibus alio anhelant, scilicet ad libertatem filiorum Dei, dum agnoscunt, ad hunc finem à Deo se non esse creatos & conditos, ut divitiis, voluptatibus & honoribus abundent, sed ut tandem soluti ex carcere hujus mortalis corporis, in æterna & immensa gloria, immensum Deum æternum laudent. Eo anhelant! eo suspirant! Talis avicula fuit Regius Psaltes cum cecinit Ps. 72. v. 25. *Quid mihi est in cœlo,*

& à

& a te, quid volui super terram, q.d. Omnia præter cœlum & Deum fastidio. Talis avicula fuit S. Paulus, cùm dixit ad Philip. cap. 1 v. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Et ad Rom. c 7. v. 27. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Talis avicula fuit S. August. in Ps. 26. *Ipse est finis desideriorum meorum; qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione æternùm laudabitur. O illa visio! O spectaculum pulchrum! Ecce nunc in Babylonia, pulchra sunt, quæ cives Babyloniæ tenent. Sed nos non tenent; aliud solatium captivorum, aliud gaudium liberorum.*

§. 8. *Et æger inter spinas cantillans.*

Talem aviculam aliquando in densissima sylva reperit quidam venator; qui cùm inter spinas & dumeta audiret vocem hominis suavissimè cantillantis, illam insecutus offendit non hominem, sed potius putridum cadaver adhuc spirantis hominis, qui nihilominus suavissimè cantillabat. Roganti venatori, quid hîc loci ageret? respondit: *Quia Deus vult, hîc patior. Et inter tantas miserias, quare cantas?* ait venator: *Tamne tibi est bene? Optime!* respondit æger: *Abundo gaudiis? circumfluunt me lætitiæ! Inter Deum meum, & me, non mediat, nisi paries de luto; hoc est, corpus meum quo interstitio confracto, atque dissipato ad ipsum perveniam; videns igitur quotidie dissolvi ac debilitari corpus meum, gaudeo, & canto præ lætitia cordis, exspectans dissolutionem corporis, ut sine impedimento ad Deum, fontem vivum valeam pervenire.* O aviculam avidam libertatis! O pia desideria suspirantis animæ ad fontem cœlestis gloriæ.

§. 9. *Et Carolus V. Imp. & Ægidius.*

Talis aviclua fuit gloriosissimus Imperator Carolus V. postquam enim abdicato imperio, inclusus monasterio, sanctis cogitationibus totus esset in cœlis, fassus est (ut Thuanus refert Anno 1558.) se ex consideratione cœli in secessu suo non integro biennio, plus dulcedinis & solidi gaudii, hausisse, quàm ex omnibus vitæ præteritæ, deliciis, divitiis, honoribus, tantisque victoriis & triumphis. Talis avicula fuit frater Ægidius Ordinis S Francisci. Sciebant parvuli in plateis, quàm avidus esset cœli, ideò cùm plateas obiret, transeunti acclamabant. *Frater Ægidi, Paradisus! Paradisus!* & statim rapiebatur in extasin. Ita desiderabat dissolvi, & esse cum Christo!

§. 10. *Cogitationes de Deo, Christo D. & cœlo, in cordibus nostris verum gignunt gaudium.*

Tales de Deo, de Christi D. ascendentis ad cœlos gloria, & de Paradiso cogitationes, verum & solidum in cordibus nostris gignunt gaudium. Naturaliter omnes cupimus gaudere. Sed errant, qui gaudium hoc quærunt in creaturis, in divitiis, &c. Hi rivuli non fluunt melle, sed felle; Veri gaudii fontem nobis ostendit David, cùm dixit Ps. 41. v. 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea, ad te Deum fontem vivum.* (ut aliqui legunt) Sed ubi hunc fontem inveniemus, in terra deserta, invia & inaquosa? in Lybia adusta sole cupiditatum? inter spinas terrenarum solicitudinum, & curas hujus sæculi? Deum; Christi D. glo-

gloriam, & Paradisum cogitate; nec verum gaudium, etiam in hac lacrymarum valle nobis deerit. Guttula, quam dulcis de Deo memoria, in cordibus nostris scaturire facit, dulcior est omni saccaro hujus mundi. Unica scintillula divini amoris plus animum afficit, quàm omnis flamma Veneris. Momento spatiari sanctis desideriis per Paradisum in præsentia Dei, suavius est, quàm currere per omnia prata Babyloniæ. Unica talis hora, quâ quis de DEO & cœlo cogitat, plus solatii præbet humano cordi, quàm omnia gaudia hujus mundi. Dies peccatorum, in quibus videntur gaudere, tam tristibus noctibus sunt distincti; tot involuti eclipsibus, & nubibus infelicitatum; ardentes tanto ardore, & tam accensis facibus concupiscentiæ; turbati tam fortibus ventis timorum; ut ita vivere, sit species tyrannidis; ut benè dixerit David Psal. 83. v. 11. *Elegi abjectus esse in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Econtrà, qui quietam habent conscientiam, à gravi scelere puram, & Dei frequenter meminerunt, in hoc mundo vivunt, quasi in Paradiso. Est apud illos, quasi perpetuum ver, non ventus illos agitat, sol non urit; nihil illos affligat. Imò, quia terra producit spinas, quia mare causat timores, quia aer pluit felle, quia ignis minatur cometas, quia totum universum, carcer est, & purgatorium, quid mirum est, si anima devota desideret hinc liberari, si oculis animisque suspiciat cœlum; civitatem pacis, domum deliciarum, locum felicitatis, habitaculum dilecti; ad quem ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus suspirat.

§. 11. *Frequenté de cœlestibus cogitationem nos docent bestiæ.*

Et in his consistit verum gaudium; hæc est solida devotio, in omnibus Dei & cœli meminisse. Ut alias virtutes, sic & hanc nos docent bestiæ. Pavo, ex aspectu pedum, demittens rotam superbiæ, nos docet humilitatem; Pelicanus suos pascens sanguine, charitatem erga proximum; Phœnix suis conflagrans ignibus, amorem Dei. Ciconia pietatem; serpens prudentiam; leo fortitudinem, Agnus mansuetudinem; Bos tolerantiam jugi sanctissimæ crucis; Elephas, quotidie venerans lunam, devotionem erga B. Virginem; formica providentiam; Aquila verò, in altissimos evolans montes, & in arduis ponens nidum suum (dicamus, Christus D. gloriosè ascendens ad cœlos) fixisque oculis contemplans solem, nos monet, ut veluti generosæ Aquilæ, pennis & alis sanctissimarum cogitationum, quantum fieri potest, continuò evolemus in cœlum; Philomela nos docet, ut Deum continuò laudemus; tristis & gemens turtur nos instruit, ut gementes & flentes, ad cœlum suspiremus.

§. 12. *Frequentissima elevationi mentis*

Fit hoc præsertim, per piam mentis in Deum elevationem; cui ipsæ creaturæ in hoc mundo mille præbent occasiones, v. g. ut de sensibus corporis exterioribus loquamur; oculi cernunt lucidam gemmam, amœnum flosculum, vel aliud objectum oculis suave. Cor, quod suas cogitationes facillimè

Digitized by Google

cillimè elevat in altum, ait: Deus est infinitè pulchrior, pulchrior est gloriosissimus Jesus; longè pulchrior cœlestis gloria. Aures audiunt suavem aliquam melodiam; quæso, cogita statim, musica Angelorum, qui hodie Christum D. ascendentem ad cœlos fuerunt comitati, fuit longè suavior; suavissima erit illa, quam & nos aliquando audiemus in cœlo (sic discurre per alios sensus) Hanc mentis elevationem nos docuit S. Aug. in Ps. 43. *Væ amori tuo, si vel suspicaris, aliquid pulchrius, quàm ille, à quo est omne pulchrum. Qui fecit omnia, melior est omnibus, qui pulchra fecit, pulchrior est omnibus; qui fortia, fortior est; qui magna, major est. Quidquid amaveris, ille tibi erit. Disce amare in creatura Creatorem; & in factura factorem. Ne teneat te, quod ab illo factum est; & ne amittas eum, à quo & ipse factus es.*

in Deum, causâ prælent ipsa creatura.

§. 13. *Ostenditur praxis talis elevationi in Deum.*

Piâ hâc mentis elevatione uti possunt etiam illæ Virgines, quæ in aulis Regum, coguntur se comere & ornare. Cùm v. gr. crispant capillos; cogitant; ut sint funiculi charitatis, quibus astringar dilecto JESU meo. Cùm odoratos aspergunt pulveres, dicunt; memor sum, quia pulvis sum, & in pulverem revertar; alia est pulchritudo Creatoris mei, immarcessibilis, incorruptibilis. Dum speculum inspiciunt, suspirant; ô si in hoc vitro viderem faciem Dei mei (est locus pro pulchra inductione) denique huic actioni hunc præfigunt scopum; ut ita placeant, non alicui creaturæ, sed soli Deo: neq; aliud ex omnibus percipiunt solatium, quàm Deo placere. Talis fuit Regina Esther, cũ ausa fuit dicere c. 14. v. 18. *Domine tu scis, quia nunquã lætata sit ancilla tua, nisi in te Domine Deus.* Quid ais Esther? non es lætata in regia purpura? non in gemmis? non in aulæ deliciis? non in aureo sceptro? Nunquam, respondebit: Deus scit, quod in solo Deo fuerim lætata. In regia purpura, inter delicias, &c. non fuit oblita Dei sui. O si ita & nos viveremus in hoc mundo inter creaturas; præsertim hodierno festo gloriosæ Ascensionis Christi D. ad cœlos (est locus pro piissimo affectu.)

§. 14. *Dulces de Deo, Christo D. & cælo cogitationes nos avellunt à creaturis.*

Sed scio aliquos nimium adhærescere creaturis; quid medii ut avellantur? Refert Pierius l. 27. cap. 21. aliquos vermiculos, ita fortiter adhærescere saxis, ut avelli non possint, nisi affundatur aqua dulcis, unde ingeniosus Rhetor, vermiculo ita à petra avulso, addidit hoc lemma: *Discessio subita. Sine aqua verò, eos potius detrunces, quàm possis ullo conatu, petris, aut quidquid apprehenderint, avellere*; inquit citatus Pierius. Sed addit: aqua dulci superinfusa protinùs resilire. Innumeros tales vermiculos habet hic mundus; quàm pertinaciter adhærent divitiis, deliciis, &c. quis avellet? O Jesu gloriose ascendens ad cœlos! superinfunde aliquas guttas tantùm cœlestium consolationum. Hanc illis de cœlo largire gratiam, ut de cœlo cogitent; ut in tuam gloriam conjiciant oculos; ut gustent, quàm suavis sis, mi suavissime Jesu! fac illos participes cœlestium consolationum, & à quacunque petra facillimè avellentur, &c.

Finio

§. 15. Prosecutio Paragraphi duodecimi.

Finio tandem Concionis hujus discursum, dicto S. Richardi à S. Vict. tract. de grad. charitatis. *Amator Dei, quocunque se vertit, familiarem habet admonitionem amoris; rebus his pro speculis utitur; & in omnibus, quæ cernit, sui amatoris illi resultat memoria.* Verissima hæc sunt, in illis, qui diligunt Jesum gloriosè ascendentem ad cœlum (fiat pia applicatio) cujus opinionis videtur fuisse S. Augustinus, cùm creaturas appellavit, *præcones & tubas divinæ magnificentiæ.* In Psalm. 26. *Circumi cœlos usque ad terram, nihil relinquas;* (aspice solem, lunam, &c) *Undique tibi omnia resonant Conditorem. Ipsæ species creaturarum, voces quædam sunt Creatorem laudantes. Interroga solem, aspice flosculos, &c. interroga has creaturas; unde vel à quo, tantam & talem habeant pulchritudinem? & vide si non in specie sua, tanquam voce tibi respondeant, Deus fecit nos. Pulchritudo illarum, confessio illarum est.* Eandem quæstionem proposuit S. Chrysostomus in illum versum Psalmi 18. *Cœli enarrant gloriam ejus; quomodo enarrant, cùm nec os, nec linguam habeant?* & respondet: *Per ipsum aspectum. Tacet cœlum, sed ipsius aspectus vocem tubâ clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens.* S. Gregor. Naz. orat. in orat. Dom. *Magnus & admirabilis Divinæ Majestatis præco est hic mundus. Neque in una tantùm parte hujus mundi, sed ab Oriente ad Occidentem, ab Aquilone in meridiem, præcones hi valentissimis lateribus divinam Majestatem deprædicant.* Quod si fiat, ut ob has creaturarum voces, cor hominis delectetur, & in Creaturam assurgat, accendaturque in laudem Opificis, & trahatur in Dei notitiam; mirabili quoque modo fit, ut mens hominis, audiens tot creaturarum Deum laudantium voces, (sequuntur Sancti Justiniani verba cap. 19.) *Quandam quoque spiritualem sentiat in corde harmoniam, quæ interiora omnia replet jubilatione. Non enim à Conditoris se valet continere laude, cùm universa in divinis praconiis occupata intelligit opera. Omnia vocibus suis, jucundissimum agunt concentum, unde fragrantissima respersus suavitate animus, tacitè vociferari compellitur. O Domine! quis similis tui?* Iterum S. August. l. 10. Confess. cap. 6. *Cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt; ecce undiq; mihi dicunt, ut te Domine amem; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.*

§. 15. Epilogus.

Considerate Auditores, quâ musicâ animos nostros, hodie possimus oblectare, si perpendere velimus, quid in gloriosa Christi Domini Ascensione, de ejus gloria, pompa & magnificentia nobis prædicent diversissimæ creaturæ. Ex quibus huic festo elegans epilogus poterit accommodari.

FINIS.

Auctarii

Digitized by Google

AUCTARII NILI MYSTICI,

SIVE

CONCIONUM


IN

Omnia festa à Pentecoste usque ad Adventum,

PARS IV.

Digitized by Google

Digitized by Google



CONCIO LXIX.

FERIA II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum,

Joan. 3. ℣. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponuntur eximii effectus doni Spiritus Sancti, quod vocatur Fortitudo.

§. 1. *Encomium doni Spiritus Sancti, quod vocatur Sapientia.*

§. 2. *Propositio.*

§. 3. *Ob hominis infirmitatem Deus illis providit de dono divinæ gratiæ.*

§. 4. *Hæc gratia Spiritus S. vocatur donum Fortitudinis; qua v. g. David vicit Goliath.*

§. 5. *Digressio ad Auditores.*

§. 6. *Divinæ gratiæ David adscripsit suam Victoriam.*

§. *Vnde lapillus, quo David dejecit Goliath, fuerit tam fortis.*

§. 8. *Donum Fortitudinis hominem convertit in Adamantem.*

§. 9. *Natura adamantis ex S. Hieronymo.*

§. 10. *Christus D. Adamas.*

§. 11. *Quomodo homo vas luteum, & forte.*

§. 12. *O fragile vas! quod ignis Spiritus S. non solidat.*

§. 13. *Cur in vasis fragilibus portemus thesaurum.*

§. 14. *Dono fortitudinis Spiritus S. firmat totam Ecclesiam.*

§. 15. *Et quemvis justum.*

§. 16. *Insignes effectus doni fortitudinis.*

Digitized by Google

§. 1. *Encomium doni Spiritus S. quod vocatur Sapientia.*

QVonam effectus in cordibus nostris operetur diffusa gratia Spiritus Sancti per donum Sapientiæ, heri vobis fusius proposui. Tam nobiles & excellentes illi sunt, ut bene dixerit æterna Veritas Sapientiæ 8. vers. 16. *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium. Et in amicitia illius* (hoc est in participatione Spiritus Sancti) *delectatio bona.* Gaudium scilicet, pax, serenitas, tranquillitas animæ sive voluntatis, sunt fructus Sapientiæ, in intellectu radicatæ & implantatæ per Spiritum Sanctum. Quod ibidem summa Veritas promisit his verbis: *Viam Sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Quæ promissio difficilis visa fuit S. August. cum dixit tract. 26. in Joan. *An vero habebunt corporis sensus voluptates suas? nunquid animus deseretur à voluptatibus suis?* arduæ enim sunt viæ & difficiles sensualitati, quas sapientia ostendit. Sed respondet, *non perdit talis lætitiam, sed mutat; à carne ad Spiritum, à sensibus ad conscientiam, & cito sentire facit dulciores esse fructus Iustitiæ, quam iniquitatis: & verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias.* Addit lib. 9. Confess. cap. 1. *Erit imo tibi suave, carere suavitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erit, ejiciet enim eas à te vera & summa suavitas, & intrabit pro eis omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior Deus;* per effusionem gratiæ Spiritus Sancti in corda nostra.

§. 2. *Propositio.*

Sed cum his non obstantibus, etiam viro justo, variæ difficultates & molestiæ occurrant, prout experientia docet, sciendum est, eundem Spiritum sanctum per aliam divinæ gratiæ qualitatem quæ appellatur donum Fortitudinis, hominem adversus omnes hostiles insidias reddit fortem, impavidum, & adamantnium, quod in præsenti discursu demonstrabo.

§. 3. *Ob hominis infirmitatẽ Deus illi providit de dono divina gratia.*

Labilis valde & infirma est humana mortalitas; proni sumus ad malum ab adolescentia nostra; obnoxii sumus criminibus, expositi variis vitiorum lapsibus; nolentes vel non advertentes, trahimur ad mundi hujus voluptates, & ea quæ carni, sanguini & sensualitati

Digitized by Google

sensualitati placent. Sed Deus Optimus Maximus solicitus de conversatione creaturæ suæ rationalis, non tantùm quoad corpus, sed multò magis quoad animam, & ad obtinendam æternam salutem, de medio quodam providit, quo muniti, in incursibus hostium, robustissimi stare possumus, & in gravissimo scelerum impulsu, nos cohibere ne in præceps ruamus. Nimirum gratia Dei nobis assistit, & auxilium Spiritûs Sancti per donum fortitudinis, quo infirmi reddimur fortes, & imbelles robusti.

Decantatissima in sacris literis, & apud sanctos Patres, est victoria & triumphus imbellis Davidis contra armatum Goliath. Sanctus Chrysostomus quærit causam, vel modum, quo adolescens belli inexpertus, carneam illam turrim dejecerit, cùm strenuissimum Philistæorum Ducem, in certaminibus exercitatissimum stravit, & debellavit. Et respondet, puerum adeptum victoriam, quia comitem & auxiliatricem habuit divinam gratiam: Gigantem verò devictum, quia tali præsidio, & auxiliari copiâ fuit destitutus, unde ait: *Vidisses tunc inopinatas, admirabilesq; res, armatum ab inermi dejectum; reiq; militaris peritum, ab eo prostratum, qui præter pastoralem artem nihil sciebat. Quare, ob quam causam? quia hic quidem habuit supernam gratiam se adjuvantem, illa autem eâ carens, in hujus manus venit.* Non aderat Davidi gladius, non galea, non clypeus, non lancea, quibus se ab hoste tueretur; aderat tamen divina gratia, omni armaturâ potentior, quâ instructus præpotentem vicit Imperatorem, & hostilem, insultantemque solus & unicus fugavit exercitum. §. 4. *Hæc gratia Spiritus S. vocatur donum fortitudinis; quâ v.g. David vicit Goliath.*

Terribilis quotidie nos oppugnat hostis, quotidie certandum nobis adversus carnem, & sanguinem, & peccatum, & diabolum, potentissimos adversarios; væ nobis, nisi Spiritus S. per donum fortitudinis divinâ quâdam assistentiâ, & efficaci gratiâ nobis assisteret. Hoc donum galea est, clypeus est, lorica est, gladius est, lancea est, quâ armaturâ induti, hostibus nostris evadadimus terribiles. §. 5. *Digressio ad Auditores.*

Ob obtentam contra Goliathum victoriam, vatidicus David cecinit Psalmum 143: cui hunc titulum præfixit, *adversus Goliath*, vel secundum lectionem S. Augustini; *ipsi David ad Goliam*, §. 6. *Divina gratiæ David ascripsit*

suam victoriam.

tum lætissimis vocibus Psalmum ita orditur: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea & refugium meum, susceptor meus & liberator meus. Protector meus, in quo speravi. - Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me, de manu inimicorum meorum.* Quis ex his non advertit Davidem tam nobilem victoriam, non sibi vel suis viribus adscribere, sed divinæ gratiæ, quâ mediante Spiritus Sanctus, per donum fortitudinis veluti potentem manum illum protexit, eripuit, & confortavit. Divinæ gratiæ David suum robur acceptum retulit. Quod ipsa sacra Scriptura, dum modum certaminis inter Davidem & Goliathum describit, peculiari circumstantiâ videtur voluisse confirmare.

§. 7. Unde lapillus, quo David dejecit Goliath, fuerit tam fortis.

Est amœnus conceptus S. Augustini. David dum progressus fuit ad prælium, pro armamentario elegit torrentem, pro globis quinque lapides, quorum unus, validissimâ Davidis manu directus, in fronte infixus, Goliathum in terram dejecit. Versus 40. capitis 17. libri 1. Regum ait: *Elegit sibi quinq; limpidissimos lapides, & misit eos in peram pastoralem.* Quærit S. Augustinus, quænam fuerit hæc pera? in qua reposita fuerunt instrumenta tam illustris & insperatæ victoriæ; & respondet, fuisse vas ligneum pastoritium, in quo pastores ex uberibus accipiunt lac ovium; additque esse probabile, vas illud à recenti lacte fuisse adhuc madidum, ita ut ille lapis, quo David fuit usus, lacte aliquo fuerit illitus & inunctus, ad denotandum insigne mysterium, quod S. Aug. his verbis proponit in Ps. 143. *Lapides quinque conjungere volens gratia, posuit in vase pastorali, in quo lac mulgere consueverat. Significatur gratia lacte. His armatus, gratiâ utiq; armatus; & ideò præsumens, non de se, sed de Domino suo, processit adversus Goliam superbum.* Ita armatus canere potuit: *Benedictus Dominus! Deus meus est refugium meum; Deus est susceptor meus.* Lac, quo fuit lapis inunctus, adumbravit gratiam & suavitatem, & dulcedinem Spiritûs Sancti; lapis verò vel saxum gratiæ illius fortitudinem. Et fuit cernere egregium facinus, lapis lacte illitus jactatur ex funda, & fronti Goliath ita infigitur, ut lacteæ gratiæ guttæ, veluti margaritæ, inter perfidi hostis cruorem albicarent, & denique guttæ lactis & sangui-

ſanguinis Victoris ſcuto, hanc inſcriberent epigraphen, veluti triumphali arcui, vel columnæ: Humilitas vincit ſuperbiam, gratia Davidem imbellem reddidit invictum, ſuperbum Goliathum proſtravit. Diſcite modum Auditores, quo quotidie certare debemus, ut contra noſtros hoſtes triumphemus; pro lapidibus eligamus roſea quinque SS. Vulnera Jeſu Salvatoris, has gemmas imponamus noſtris cordibus veluti vaſis lacteis, ſi tamen Spiritus S. hoc lac divinæ gratiæ in cordibus noſtris diffudit, & vincemus.

Cap.7. verſ.7. Propheta Amos ait, vidiſſe ſe *Dominum ſtantem ſuper murum, & in manu trullam cæmentarii.* Leguntalii, *& in manu ejus adamas.* Per hunc adamantem in manu Salvatoris aliqui Interpretes intelligunt virum juſtum, qui niſi Dei teneatur manu (addo ego, niſi à Spiritu Sancto confortetur dono fortitudinis,) *& illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem. Si verò valletur, in tantum robuſtus eſt, ut dicatur ad eum, ſi tranſieris per ignem, flamma non comburet te, quantoq; magis tentationibus caditur, tantò fortior ſit, & pro nomine Salvatoris inter flagella lætetur.* O tutos pullos! qui ſub alarum Domini congregantur, & proteguntur velamento, nullus milvus inde rapiet. O diviniſſima columba! O Spiritus Sancte! expande has alas, divinæ tuæ gratiæ; tege nos clypeo & ſcuto tuæ fortitudinis, & nullus hoſtis nobis nocebit. §. 8. *Donum fortitudinis hominem convertit in adamantē.*

D. Hieronymus hîc de adamante ita diſcurrit: *Adamas ſui nominis lapis eſt, quem latinè indomitum poſſumus appellare, eò quod nulli cedat materia, ne ferro quidem. Nam ſi ponatur ſuper incudem, & gravi ictu feriatur mallei, anteà incus & malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur. Cumque ignis omnia domet, univerſa metalla conſumat, reddit adamantem duriorem, ut ne parvulum quidem angulum in eo vis nimii ardoris obtundat. Imò ignis reddit fortiorem.* Veni ô Sancte Spiritus, tu es diviniſſimus ille ignis, qui per donum fortitudinis corda noſtra convertis in adamantes, ut cùm S. Paulo dicere poſſimus intrepidi: *Quis nos ſeparabit ab amore Dei.* Hi ſunt effectus Spiritûs Sancti, quos donum fortitudinis in nobis operatur. §. 9. *Natura adamantis ex S. Hieronymo.*

Digitized by Google

§. 10. *Christus D. Adamas.* Talis adamas fuit Christus Salvator noster, de quo Origenes in citatum locum Amos ait. De quo dicit Pater: *Ecce ego ponam adamantem in medio populi mei, quem nec ignis tentationum in deserto comminuit, quem non plaga impiorum in cruce contriverunt, quem sepultum nec sepulchri, nec mortis introitus vel inferorum violavit: sed omnia superans, divinum & incorruptibilem se adamantem fuisse demonstravit.* Tum eadem affirmat de quovis justo, S. Chrysost. hom. 4. in Gen. *Adamante enim solidiores Dei gratia nos efficit, & si volumus, omninò inexpugnabiles. Itaq; sicut, qui adamantem tundit, nihil adamanti nocet, sed se ipsum fatigat, & robur suum imminuit: in hunc modum res se habent nostra, cum salutis adversario; si armis, quæ nobis Spiritus Sancti gratia exhibet, continuò nos muniamus.* Hæc gratia vocatur donum fortitudinis. Veni Sancte Spiritus (fiat pulcher affectus.)

§. 11. *Quomodo homo vas luteum, & forte.* Inter primam hominis creationem, & ejusdem, postquam lapsus est homo, sive postquam veluti primum vas per peccatum confractum fuit, reformationem, ingens est discrimen. In prima creatione S. Chrysostom. hominem vocavit *vas luteum, & molle*, quod facilè potuit frangi, in reformatione hominem appellavit *vas solidum & induratum.* Merentur ejus verba, ut describantur. Tomo 1. hom. in Eutropium ait: *Prius erat vas luteum, & perversum est; accepit pulverem à terra, & fecit hominem, ac formavit eum. Venit diabolus & pervertit eum. Venit ipse & rursus accepit, eumque fecit renasci, conflavit illum in baptismate,* - ne tamen rursum facilè frangeretur, - *tradidit pulverem igni Spiritus; ipse nos baptizavit in Spiritu Sancto, & igne - in aqua ut reformetur, in igne, ut consolidetur.* Ita ignis ille cœlestis & Spiritûs Sancti gratia hominis mollitiem, aqueumque vitiorum humorem expurgat, & ad tribulationum sufferentiam, veluti lapideos nos facit. Quod est effectus doni fortitudinis. Talia vasa fuerunt tot invicti heroes & Martyres, quorum corda indurata igne Spiritûs Sancti veluti adamantina vasa, non rotæ, non equulei, non omnia crudelitatis instrumenta potuerunt confringere.

§. 12. *O fragile* Unde patet, illa mortalium corda, quæ lutea sunt & terrea, quæ ignis Spiritûs Sancti non consolidavit, quibus deest robur, quod

Digitized by Google

quod donum Fortitudinis Spiritus Sanctus solet communicare; à diabolo, per quasvis tentationes, facillime posse perverti, maculari, & omnino confringi, ut quia in hoc mundo ardere noluerunt dulcissimis ignibus Spiritus, æternum ardeant flammis gehennæ. *O veni Sancte Spiritus!* (iterum habes locum pro pio affectu.) *vas quod ignis Spiritus S. non solidat.*


§. 13. *Cur in vasis fragilibus portemus ingentem thesaurum.* Has veritates præ oculis videtur habuisse S. Paulus cum ep. 2. ad Corinthios cap. 4. vers. 7. dixit, *Habemus autem thesaurum istum, in vasis fictilibus.* Sed quid hoc? si tam pretiosæ sunt gazæ, inæstimabilesque divitiæ, quas Deus homini donat, cur eas reponit in vase vitreo & fragili? S. Chrysostom. *Si tam multa molis est thesaurus, cur imbecille vas?* Respondet ipse Doctor gentium, *ut sublimitas sit Virtutis Dei, & non ex nobis.* Hæc sublimitas Virtutis Dei, est donum fortitudinis Spiritus Sancti, qui illud vas confortat; *ita ut iste thesaurus, qui est Spiritus S. gratia, non tantum à vase conservetur, sed potius thesaurus conservat vas.*

§. 14. *Dono fortitudinis Spiritus S. firmat totã Ecclesiam.* Hoc dono fortitudinis Spiritus Sanctus totam Ecclesiam confortat & consolidat. Quod Regius Psaltes innuit Psalm. 67. vers. 10. *Et infirmata est; tu vero perfecisti eam.* Quem versum ita explicat Theodoretus, *Infirmitatem esse ipsam hæreditatem*, inquit; *Infirmitatem vero impiorum impetus nuncupavit*; tyrannorum furias & minas, inferni assultus, hæresum terrores, quibus multorum judicio sæpius visum fuit, infirmam Ecclesiam funditus evertendam. Verum (mutabo paululum verba Theodoreti) semper Spiritus S. Spiritus ille fortissimus per donũ fortitudinis in Ecclesia, irruptionis tempore tales excitavit, corroboravit, & confortavit athletas, qui infirmam Christi D. sponsam, (si Christi fideles veluti infirmos homines considerare velimus) ita defenderunt, & propugnarunt, ut in hodiernum perennet, & usque ad consummationem sæculi portæ inferi adversus illam non sint prævalituræ. Pro quo sensu adduci possunt diversæ citati versus interpretationes, v. g. Symmachi, qui legit, *quam effecisti, fundasti.* Aquilæ. *Tu fundasti eam, quæ laborabat.* Theodoreti. *Eam enim quæ in persecutionibus multos susce-*

pit labores, intrepidam reddidisti. Hæc sunt operationes Spiritus Sancti, per donum fortitudinis, respectu universalis Ecclesiæ.

§ 15. *Et quomodo justum.* De quovis justo; si infirmitatem humanæ conditionis spectemus, dicere possumus cum S. Cyrillo Alexandrino lib. 2. de adoratione. *Imbellis ad pugnam, atque ad metuendum proclivis, & ejusmodi, quæ admodum facile deterreri posset, anima hominis est ante sacrum baptisma: at si jam facta ejus gratiæ compos, illam ex alto virtutem induta fuerit, tum vero fortissime obsistet, persequi cupientibus; ac strenue pugnabit, facillime quoque impetum hostium retundet, Christo tum duce, tum propugnatore.* Verissima hæc sunt; verum cum etiam gratia baptismatis; & gratia, quam Christus Dominus suo sanguine nobis promeruit; fomitem peccati non extinguant, in corporibus nostris, cum etiam in priori statu trahamur ad malum, quid faciemus? non desperemus; Christus D. de cœlo nobis misit Spiritum Sanctum, ut ille nos insuper dono suæ fortitudinis induat ex alto, ut strenue pugnemus. (fiat pulchra priorum repetitio).

§. 16. *Designes effectus doni fortitudinis* S. Gregor. Nazian. dicere fuit ausus. *Duo superari nequeunt, Deus & Angelus. Tertium est Philosophus, in materia expers materiæ, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se facile ferens, præterquam animi magnitudine.* Elegantius ego describere non possum hominem justum, qui à Spiritu Sancto de alto indutus est, dono fortitudinis. (in brevi epilogo fiat pulchra applicatio.)



CON-

Digitized by Google

CONCIO LXX.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant,

Joan. 10. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponuntur effectus doni Spiritus Sancti, quod vocatur, Timor Domini.

§. 1. *Breve exordium & Propositio.*
§. 2. *Timor Domini est anchora salutis.*
§. 3. *Pædagogus animæ.*
§. 4. *Timor est instrumentum, quo impii quasi trahuntur ad pœnitentiam.*
§. 5. *Nihil est utilius metu gehennæ.*
§. 6. *Timor Domini clavus.*
§. 7. *Efficacissimum antidotum.*
§. 8. *Dum Deus nobis incutit timorem, est maxime misericors.*
§. 9. *Quæ causa conversionis boni latronis in Cruce.*
§. 10. *Timens Dominum dicitur crucifixus.*
§. 11. *Timor Domini firmat virtutes tanquam aurea basis.*
§. 12. *Timor Domini fida statio, sive portus.*
§. 13. *Timor Domini est Spiritus Principalis.*
§. 14. *Timor Dei facit, ne Deum Offendamus.*

PRæterita Dominica festo Pentecostes Auditoribus meis proposui effectus doni Spiritus S. quod vocatur Sapientia. In hesterna concione egi de operationibus doni Spiritus S. quod vocatur Fortitudo. Quos effectus, quas operationes *§. 1. Breve exordium & Propositio.*

u 2 in

Digitized by Google

in nobis operetur, divinus & efficax ille Spiritus Sanctus, per donum Timoris, sive quam proficuus & salutaris ille nobis sit, in concione, quam in honorem & ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis exordior, percipietis. Spiritus Sanctus dignus est, ut quæ de illo dicturus sum, benevole audiatis.

§ 2. *Timor Domini est anchora salutis.*

S. Gregor. l. 6. moral. c. 17. *Anchora enim est pondus timoris*: Uti enim anchora figimus navigium, ne vi ventorum circumferatur, aut ad scopulos & syrtes allidatur, eadem prorsus ratione, immisso timore Deus hominum mentes contra insurgentes tempestates figit. S. Chrys. hom. 4. in c. 1. ad Rom. *Ut ne igitur hoc eveniat, Dei exactum timorem ante oculos habeamus. Nihil enim ita hominem perdit, quam si illum contingat ab hac anchora excidere, quemadmodum nihil contrà ita illum servat, quam continuus in illum aspectus*; scilicet cum timore.

§ 3. *Pædagogus animæ.*

S. Basilius in cap. 1. Isaiæ vocat timorem Dei, *animæ pædagogum*; ut enim pueris ne in vitia deflectant, honestis moribus vir quæritur, qui eum assidue comitetur, lateri adhæreat, gressus dirigat, motusque omnes corporis & animæ ordinet, atque componat; eadem prorsus ratione Deus optimus Maximus nobis timorem præfecit, qui nos coerceat, & intra officium contineat. S. Ambrosius hom. 24. in cap. 19. Actorum. *Quasi pædagogus quidam, metus assistit, ad omnia, quæ oportet, illum componens.* S. Basilius cit. *Attenta cogitatione nobis formidabilium quæ in tremendo judicio se offerent, timor inde ortus Pædagogus est, & ad perficiendam pietatem compellit.* Idem S. Basil. *Timor Dei est frænum animæ.*

§. 4. *Timor est instrumentum, quo impii quasi trahuntur ad pænitentiam.*

Pulchre S. Gregorius hic adducit verba illa Job. cap. 38. vers. 13. *Nunquid terruisti concutiens extrema terræ, aut excussisti impios in ea? Subaudi*, inquit S. Gregor. *ut ego? qui in suis ultimis sæpe peccatores territando & concutiendo teneo, & ab eorum cordibus impios cogitationum motus evello.* Ergo timor Dei est veluti quoddam instrumentum, quo homines à peccatis abducit. S. Chrisostom. in Psal. 127. *Nullum est enim malum, quod Dei metus non extinguat, nam quemadmodum ignis quodcunque ferrum cæperit contortum, vel rubigine confectum, id clarum reddit & pulchrum, rubiginem abstergens*

Digitized by Google

abstergens, & quod in eo erat perversum & inflexum, perfectissimè corrigit, ita etiam Dei metus, vel exiguo tempore facit omnia - neque timentes Deum - ulla re humana frangi sinit.

Elegantissimè S Chrystom. hom. 14. ad pop. *Quid gehennâ gravius? sed hujus metu nihil utilius; gehenna namque timor, regni nobis affert coronam. Vbi timor est, livor non est, ubi timor est, pecuniarum amor non vexat; ubi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correcta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicuti in domo, stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere prorsus audebit, sic & metu animas nostras detinente, illiberalium nulla nobis passionum subrepit, sed omnes fugiunt, expelluntur timoris imperio undique exacta.* §. 5. *Nihil est utilius metu gehennæ.*

Super ℣. 120. Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* S. Chrysost. timorem vocat clavũ, quo animus noster contra adversos casus quasi figitur. Sic ait: *Anima mea timorem tuum gerit, atqui corpus adversus eam impetum facit, idcircò ipsius quoque membra, hoc timore, tanquam clavis quibusdam configas quæso, quo ipsa peccatis mortua, & extincta, animæ ductum sequatur.* §. 6. *Timor Domini clavus*

S. Paulus 2. Corinth. 7 ℣. 5. ait: *Foris pugnæ, intùs timores.* Advertunt aliqui sancti Patres, S. Paulum hîc dum persecutionum & malorum facere mentionem, non recensere novum aliquem dolorem, ortum ex timore, sed antidotum & remedium, quo contra ingruentes tempestates fulciebatur. Foris quidem pugnæ, intus timores, quasi diceret, malorum fluctus me obruunt, sed his tanquam inconcussam rupem Dei timorem objicio, intusque asservo, quo tutus evado. Et ideò beatus homo, qui semper est pavidus. §. 7. *Efficacissimum antidotum.*

Tum Deus proximus est, ut misereatur impii, cùm territat. Hoc deducit S. Chrysost ex v 13. Ps. 7. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum paravit, & tetendit illum*, id est, gladium quidem suum strinxit, sed non percussit peccatorem, tantumodò aerem verberavit, arcũ tetendit, non tamen sagittas jaculatus est, sed tantùm paravit illũ. Cùm Deus arma parat, & peccatorẽ timore percellit, tunc maximè à vulnere abest: audite impii; si metu trepidatis, securitatem vobis promitto. S. Chrys. ibid. *Arcum tetendit,* §. 8. *Dum Deus nobis incutit timorē, est maximè misericors.*

 gladium

Digitized by Google

gladium vibrabit, quod si hæc essent furoris & excandescentia, non prædiceret eis, quos est invasurus. - Hostes, qui volunt supplicium infligere, non modò id non dicunt, sed etiam celantes invadunt, ne qui sunt puniendi, si resciverint, caveant. At non sic Deus; sed è contrario & prædicit, & differt, & verbis terret, & nihil non facit, ut quæ minatur, non inferat; milites quidem armantur, ut puniant; Deus autem non sic, sed ut cum metu reddiderit modestiores, manum abstineat à supplicio. Ne ergò conturbemur, est enim terror verborum maxima clementia, & quo dicit intolerabiliora, eò ea dicit ex majori mansuetudine.

§. 9. *Quæ causa conversionis boni Latronis in cruce.* Uterque latro, qui à dextris & à sinistris cum Christo fuerat affixus crucibus, probris Dominum impetebat; sed alter repente mutatus socium repressit illis verbis Luc. 23. v. 40. *Neque tu times Deum? qui in eadem damnatione es, & nos quidem justè, nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Quænam causa tam subitæ mutationis? ut paulò ante blasphemus, latro; Christum cruci affixum agnoscat Deum? Latro ipse causam retulit ad timorem, illis verbis: *Neque tu times Deum?* O magna timoris virtus, qui absque mora longius errantem oviculam ad caulam Dominicam reduxit. D. Chrysostom. in Ps. 127. *Quid fuit latrone miserius? sed repentè evasit omnium beatissimus. Mille mortes fecerat, & erat mortis supplicio damnatus, totum tempus fuerat consumptum, & vita transacta erat in scelere: sed quoniam exiguo tempore, ut oportuit, Christum timuit, beatus factus est, dicendo: Neq; tu times Deum? Nullum enim est malum, quod non extinguat Dei metus.* l. 1. Reg. c. 2. *Deducit ad inferos, & reducit.* Ubi S. Gregor. *Deducit ad inferos, quando terrorem incutit peccatori mortis æternæ: reducit autem, quando petenti spem vitæ perennis præbet.*

§. 10. *Timens Dominum dicitur crucifixus.* Ad Galat. 5. ℣. 24. ait Apostolus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Id est, qui sunt Christi, qui illum diligunt, non peccant. Ut enim ille, qui clavis stipiti affixus est, non potest inde se movere, neque à ligno evellere, eâdem prorsus ratione nos ipsos clavis crucifigamus, ne post mundi concupiscentiam abeamus. Sed ô beate Apostole! quis

Digitized by Google

quis nobis dabit illos clavos? quibus fixi non recedamus à cruce vel Christo Domino. Consule Davidem Psal. 118. 120. *Confige timore tuo carnes meas; à Judiciis enim tuis timui.* S. August. hîc. *Crucifixerunt autem carnem cum passionibus suis, & concupiscentiis, qui sunt in Christo Iesu. Unde autem crucifixerunt, nisi timore illo casto permanente in saeculum saeculi, quo cavemus offendere illum, quem toto corde, totâ animâ, totâ mente diligimus.* S. Basilius. *Quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem vitant.* Deinde, ubi timor habitat, ibi omnis animae residet mundities, omnis iniqua noxiaque actio fugatur, membris corporis ad enormes actus moveri (quod timore quasi quibusdam clavis confixa sint) nequentibus. Sicut enim, qui clavos corpori affixos habet, doloribus pressus non facilè quidquam agere potest, ita Dei timore confixus non facilè peccabit.

Amicitiam cum Deo, gratiae divinae perfectionem, charitatem, Dei amorem, & omnes reliquas virtutes firmat, roborat ac stabilit timor Domini. Psalm. 118. ℣. 38. ait David: *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*: id est, firmum redde, fac stabilem. Ex mente S. Ambrosij innuitur nobis similitudo sumpta à marmoreis vel aeneis statuis, quae aureis vel marmoreis basibus impositae majorem inde accipiunt fortitudinem, & pulchritudinem; ita virtus, amor Dei, si timori superponatur, stat firmiùs. *Initium sapientiae timor Domini*, id est, ait Ambros. *Basis vel fulcrum virtutis, quo ipsa sustentatur, est timor Dei*, ideoque Isaias, cum cap. 11. Spiritus S. dona commemoravit, ultimo loco timorem posuit, tanquam si huic veluti basi reliquorum omnium moles sit imponenda, ut si ipsum timorem nobis velimus proponere tanquam statuam, dicere possimus ex cap. 5. Cant. ℣. 15. *Crura ejus columnae marmoreae, super bases argenteas.* S. Ambros. *Basis quaedam est timor sanctus, à quo virtus habet standi firmitatem, & robur.* §. 11. *Timor Domini firmat virtutes tanquam aurea basis.*

Idem verbum statue, aliud continet timoris Domini eximium elogium, à statuo derivatur vocula statio, quae nil aliud est, quàm fidus locus, & tutus portus, cui nautae credunt navigia, hîc neque flatus ventorum desaevient, neque fluctus maris contur- §. 12. *Timor Domini fida statio, sive portus.*

bant,

Digitized by Google

bant, æquora tuta silent, statio fidissima nautis. Ergo ex his verbis patet, timorem Dei esse stationem fidissimam & securum portum, ad quem tempore ingruentis tentationis confugere possumus. Quicunque extra hunc portum virtutum gazas deducit, periculo exponit, hîc in tuto sunt.

§. 13. Timor Domini est Spiritus principalis.

Psalm. 50. ℣. 14. ait David: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Expende hoc verbum, *confirma*; quod labentem hominem, & timore percussum fulcire significat: Igitur, qui petit sibi dari gaudium, cur statim assumit personam infirmi vel pavidi? *Nimirum*, ait S. Gregor. *quia tunc homo exultat lætitia secura, cùm simul percutitur divino timore.* Solet quibusdam contingere, ut dum se purgatos per satisfactionem reputant, ab internæ mentis custodia animum resolvant. Qui quidem suâ elatione depressi eò deteriùs corruunt, quò sibi de Indulgentia blandientes, vanæ spei securitatem promittunt. Inde est, quod Propheta exorat dicens: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Non dicit, lætetur, ut securus sim: ac si apertè dicat, ita me correctum facito gaudere de venia, ut me nunquam esse desinas securum de culpa. Sic & in hoc loco, postquam sibi reddi lætitiam salutaris Dei petit. Ne sibi dimissus ad inferiora prorueret, illicò junxit, *& spiritu principali confirma me. Sciebat enim, quia infirma est omnis anima, nisi S. Spiritus fuerit virtute firmata.* Auctor operis Imperfecti hom. 3. in cap. 3. Matth Peccator *nisi timuerit, peribit.* S. Aug. *Timor Domini, spes fortitudinis.*

§. 14. Timor Dei facit, ne Deum offendamus.

Erat Dan. 13. ℣. 2. Susanna valdè pulchra, venusta nimis, & gratiarum manibus formata puella; at licet talis pulchritudo sit voluptatis lenocinium, & quasi alter concupiscentiæ fomes, mirabilis tamen fuit illius continentia, quæ nec voluptatis illicio, nec famæ dispendio, nec certo vitæ discrimine potuit ad stuprum flecti, quo poterat omnia pericula evitare. Unde illi tantus animus? audiendus est sacer Historicus. *Joakim accepit uxorem nomine Susannam, pulchram nimis, & timentem Deum.* Cujus timor, fuit veluti frænum, quo casta Susanna cohibita fuit, ne peccaret. S. Chrysostom. hom. 26. in ep ad Hebr. *Adsit timor Dei, & nihil erit molestum, sive dixeris paupertatem, sive morbum, sive captivitatem,*

Digitized by Google

tem, sive servitutem, sive quidvis aliud molestum, sed & ipsa nobis afferent opem ad contraria, scilicet paupertas divitiis honestior, morbus sanitate firmior, captivitas & servitus libertate gloriosior ac potior erit. Quæ omnia patuerunt in Susanna. Addit apposite S. Chrysostomus, unde sit tanta timoris Dei vis ad cohibendos animos, & ait: *Timor Dei concupiscentias extirpat.* Certe concupiscentia malorum omnium radix est: hanc vero venenatam radicem Timor Dei ferè funditus eradicat, qua ablata, homo veluti concupiscentiæ exsors, & passionibus prope exemptus est; acsi Dei timor, vel Spiritus S. per donum timoris hominem resculpat, redintegret, aut refingat, & in felicem innocentiæ statum restituat. Quid ergo mirum, si Susanna valide tentata, in ea forma & ætate, in illis circumstantiis, nihilominus tantam tentationem vicerit, nam Timoris Dei ope, quasi concupiscentiæ expers inventa fuit. Nam castus Dei timor concupiscentias extirpat. Vel potius dicendum est, Spiritum S. id facere per donum Timoris.

Ideo Regius Psaltes Psalm. 118. v. 120. ita oravit, *Confige timore tuo carnes meas: à Iudiciis enim tuis timui.* id est, ait S. August, *hoc timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi, carnalia desideria mea comprimantur, à Iudiciis enim timui, cum mihi lex minaretur pœnam.* Eleganter S. Hieron. *Metuo futurum judicium, ideo carni tua configens omnes concupiscentias carnis, tibi convivere, tibi commori, tibi consepeliri desidero.* Quibus verbis innuitur, timorem Dei esse veluti Crucem, quam quisque tollere jubetur, ut in illa caro crucifigatur, ne manus ad vetita extendat, ne pedes ad voluptates exorbitent, ne transfixum pectus seu cor deliciis inhiet, & concupiscentiis exæstuet, quousq; per charitatem perfectam de hac timoris cruce deponatur, sepeliatur cum Christo, & cum eo à mortuis resurgat. §. 15. *Timor Dei, est quædam Crux.*

Ex dictis hac concione innumeras colligite causas Auditores, quas habemus ut ardentissimis precibus imploremus gratiam Spiritus S. ut tam eximium donum sui Timoris nobis largiatur. Vide apud P. Celada in Susannam. f. 139. Qui Dei timorem ab animo excussit, ingentibus expositus est periculis. §. 16. *Epilogus.*

Digitized by Google

CONCIO LXXI.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea, vere est cibus,

Joan. 6. v. 56.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QValem liberalitatem, & amorem; qualem dulcedinem, & & quam varios alios favores, in SS. Euchariſtia, nobis exhibeat Chriſtus D.

§. 1. *Chriſtus D. in SS. Euchariſtia, eſt mamilla Patris, qua lactamur & nutrimur.*

§. 2. *Amor matris erga filium, quem lactat.*

§. 3. *Cur ubera matris lactantis ſint pendula.*

§. 4. *Cur Chriſtus D. comparetur nutrici.*

§. 5. *Chriſtus D. in Euchariſtia mons pinguis.*

§. 6. *Chriſtus D. Aquila.*

§. 7. *Proſecutio.*

§. 8. *Bono paſcimur ſanguine.*

§. 9. *Pulli talis Aquilæ debent evolare in altum.*

§. 10. *Chriſtus D. in SS. Euchariſtia nos paſcit liliis.*

§. 11. *Ieremias prædixit delicias Euchariſticas.*

§. 12. *Euchariſtia eſt panis ſuaviſſimus.*

§. 13. *Chriſtus D. in Euchariſtia botrus.*

§. 14. *In SS. Euchariſtia, Cella vinaria Sponſi.*

§. 15. *Ad dignam manducationem hujus cibi requiritur puritas animæ.*

§. 16. *In ſumptione Euchariſtiæ oſculamur ſponſum. Hinc puritas.*

§. 17. *Epilogus.*

Signum

Digitized by Google

§. 1. *Christus D. in SS. Eucharistia est mamilla Patris, cujus lacte lactamur & nutrimur.*

SIgnum hujus amoris est, quod per institutionem SS. Eucharistiæ mirabili modo factus sit nutrix nostra; de quo gloriatur per Isaiam cap. 1. vers. 2. *Filios enutrivi, & exaltavi.* An non signum tenerrimi amoris, quod Deus Omnipotens, æternus, qui in cœlis à Seraphinis & omnibus Angelis adoratur & ter sanctus prædicatur, occupare se voluerit in nutriendis filiis; de quo Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagogi. cap. 6. *Nutrimentum, quo aluntur infantuli, est lac. itaque creator noster, ut simul esset altor, factus homo effudit pro nobis sanguinem suum, per quem, qui in Deum credimus, ad mamillam Patris, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum confugimus. Ille autem solus nobis infantibus lac dilectionis suppeditat.* (scilicet in SS. Eucharistia, in qua carnem ejus comedimus, & sanguinem bibimus) *iique vere sunt beati, qui hac lactantur mamilla.* Quid dulcius, quid suavius, quid admiratione & stupore dignius, quam æternum Patrem gloriari, se nutrire filios, & lactare infantes sua mamilla, hoc est, Verbo in Eucharistia, in qua quid sugunt tenelli infantes de mamilla Patris, nisi sanguinis nectar, nisi amorem, nisi ineffabiles delicias, & nectar charitatis immensæ, quod de paternis misericordiæ visceribus, quasi de amoris fontibus continuo fluit. O millies beatos, qui hac lactantur mamilla!

§. 2. *Amor matris erga filiolum, quē lactat.*

De uberibus lactantis matris hoc advertit Plutarchus lib. de amore parentum erga liberos; *Natura ubera & mamillas in pectore matris ita collocavit, ut expeditius, & osculari, & complecti liberos possint*; quasi hac ratione ostendere & indicare voluerit, pariendi, educandique finem, non ullam utilitatē, sed solum amorē existere. Et quæ Deo inde oritur utilitas, quod nos creaverit, quod sustentet, non tantum quoad corpus, sed animam quoque, & hoc tam suavi & admirabili modo; quænam inquam, inde Deo nascitur utilitas? Nulla prorsus. Sola pietas, maxima, eximia, & nimia Charitas fecit Deum altorem filiorum.

§. 3. *Cur ubera matris lactantis sint pendula.*

Phrasin horum verborum, *filios enutrivi*, variavit per Oseam Prophetam cap. 11. vers. 4. *Et declinavi ad eum, ut vesceretur.* Quæ verba ad nostram intentionem in hoc discursu ita exponit. *Mirabiliter in hoc est natura, mater gravida, antequam*

pariat, ubera gestat recta, in puerperio statim incipiunt pendere, & ad puerum inclinantur, ut quod à natura præparatum est infantulo alendo alimentum, scilicet lac, ad capiendum facilius exhibeatur, ad hunc finem ubera ad puerum placide se demittunt. Non aliter Deus postquam hominem creavit, & redemit, in institutione SS. Eucharistiæ, mamillam suam ad alendos homines inclinavit, de quo per Isaiam & per Oseam gloriari voluit; *filios nutrivi, declinavi ad eum, ut vesceretur.* Sed quænam Deo inde utilitas? nulla. Pietas, nimia Charitas Deum fecit altorem, imo matrem, & amantissimam nutricem.

§. 4. Cur Christus D. comparetur nutrici.

Christum D. veluti nutricem eleganter descripsit Stephanus Cantuar. in alleg. Tilmanni citatus, ad ea verba Oseæ cap. 11. vers. 3. *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Alij legunt. *Ego quasi nutrix. Sicut*, inquit, *nutrix frangit linguam suam, ut contemperet se parvulo balbutienti, sic Christus condescendit nostræ infirmitati, ut contemperaret se nobis. Sicut nutrix, munusculis, saccaro allicit puerum ad se amplexandum, sic Christus variis modis allicit nos ad suum amorem. Et hoc est, ego quasi nutrix Ephraim portabam eos in brachiis meis, in Cruce distentus: ibi enim extendit Dominus brachia sua ad complectendum nos, & portandum. Et sicut nutrix ad alliciendum parvulum plene extendit brachia, & quantum potest; cum tamen parvula extensione possit eum colligere; & amplecti. Sic & Christus fecit.* Sed non fuit hoc satis ejus amori; quia verissimum est illud D. Isidori Pelusiotæ ep. 108. *Siquidem lactis fontes partum confirmant; veri enim partus argumentum certissimum est lactis profluvium*: ita Christus D. partum, quo nos peperit in Cruce, peculiari signo amoris voluit confirmare, scilicet profluvio non lactis tantum, sed pretiosissimi sui sanguinis, quo in sumptione SS. Eucharistiæ, nos nutrit, & lactat.

§. 5. Christus D. in Eucharistia mons pinguis.

Psalm. 67. vers. 17. Regius Psaltes vocat Christum D. montem fœcundum, & pinguem, & uberrimum. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus.* S. Augustin. & S. Hil. legunt, *mons incaseatus*, id est, mons lacte plenus & vitali rore condensatus: quibus positis S. August. de Christo ait: *Ipse est mons incaseatus pro-*

pter

pter parvulos, gratiâ tanquam lacte nutriendos, mons uber ad roborandos, atque ditandos, donorum excellentiâ: nam & ipsum lac, unde fit caseus (vel placentulæ) *miro modo significat gratiam; manat quippe ex abundantia maternorum viscerum, & misericordiâ delectabili* (addamus, amore suavissimo) *parvulis gratis infunditur.* Ecce signa amoris in Christo D. dum instituit SS. Eucharistiam. Ex abundantia materni pectoris illa profluxit, cum profluvio lactis, mellis, dulcedinis, & cœlestium deliciarum, de quibus ipse sponsus gloriatur Cant. 5 ℣. 1. *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo: comedite amici & bibite.* Sanctus Nilus. *Sponsus, in quas animas ingreditur, eas nutrit, quasi pane quodam cum melle; virtute, cum cognitione, concessâ per gratiam* (& multò magis per cibum Eucharisticum) *divinitate.* Quid magnificentius infinitus & liberalissimus Christi amor nobis dare potuit?

Sed finem & causam simul oportet advertere, ob quam Christus D. suos pullos ita amat, defendit, & tam delicatè nutrit. Suggeret illam nobis cap. 32. Deuteronomii vers. 11. cùm Deus dilectum populum suum duceret ad terram promissionis lacte & melle manantem, ut dulcedinem amoris, & simul vigilantiam ostenderet, comparavit se Aquilæ. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans; expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Regiæ huic avi, volucrum Reginæ, inest generositas, dum in inaccessis rupibus nidum construit, dum in præruptis petris commoratur, præsertim dum pullis incubat, vel dum regio volatu sese in altum sustollit, ut cœlum attingere videatur. Veruntamen duplicem affectum penè contrarium, natura aquilarum ostendit erga pullos; nam inprimis amorem ostendit eximium & invictum, dum pro illorum defensione, jacula, vulnera, & mortem non timet. Glossa Lyræ. *Quando aquila vult transferre pullos suos de loco ad locum, portat eos super humeros suos: quia non timet à parte superiori, sed tantùm ab inferiori, ne emittantur sagittæ: & ideò ponit pullos super humeros, ut priùs ipsa recipiat sagittas, quàm pulli percutiantur.* Portentosi prorsus amoris argumentum. Alterum affectum inclementiæ, & argumentum acerbitatis, & crudelitatis, intuebe- § 6. Christus D. Aquila,

in nobis operetur, divinus & efficax ille Spiritus Sanctus, per donum Timoris, sive quam proficuus & salutaris ille nobis sit, in concione, quam in honorem & ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis exordior, percipietis. Spiritus Sanctus dignus est, ut quæ de illo dicturus sum, benevole audiatis.

§ 2. *Timor Domini est anchora salutis.*

S. Gregor. l. 6. moral. c. 17. *Anchora enim est pondus timoris*: Uti enim anchora figimus navigium, ne vi ventorum circumferatur, aut ad scopulos & syrtes allidatur, eadem prorsus ratione, immisso timore Deus hominum mentes contra insurgentes tempestates figit. S. Chrys. hom. 4. in c. 1. ad Rom. *Vt ne igitur hoc eveniat, Dei exactum timorem ante oculos habeamus. Nihil enim ita hominem perdit, quam si illum contingat ab hac anchora excidere, quemadmodum nihil contrà ita illum servat, quam continuus in illum aspectus*; scilicet cum timore.

§ 3. *Pædagogus animæ.*

S. Basilius in cap. 1. Isaiæ vocat timorem Dei, *animæ pædagogum*; ut enim pueris ne in vitia deflectant, honestis moribus vir quæritur, qui eum assidue comitetur, lateri adhæreat, gressus dirigat, motusque omnes corporis & animæ ordinet, atque componat; eadem prorsus ratione Deus optimus Maximus nobis timorem præfecit, qui nos coerceat, & intra officium contineat. S. Ambrosius hom. 24. in cap. 19. Actorum. *Quasi pædagogus quidam, metus assistit, ad omnia, quæ oportet, illum componens.* S. Basilius cit. *Attenta cogitatione nobis formidabilium quæ in tremendo judicio se offerent, timor inde ortus Pædagogus est, & ad perficiendam pietatem compellit.* Idem S. Basil. *Timor Dei est frænum animæ.*

§. 4. *Timor est instrumentum, quo impii quasi trahuntur ad pænitentiam.*

Pulchre S. Gregorius hic adducit verba illa Job. cap. 38. vers. 13. *Nunquid terruisti concutiens extrema terræ, aut excussisti impios in ea? Subaudi*, inquit S. Gregor. *ut ego? qui in suis ultimis sæpe peccatores territando & concutiendo teneo, & ab eorum cordibus impios cogitationum motus evello.* Ergo timor Dei est veluti quoddam instrumentum, quo homines à peccatis abducit. S. Chrisostom. in Psal. 127. *Nullum est enim malum, quod Dei metus non extinguat, nam quemadmodum ignis quodcunque ferrum cœperit contortum, vel rubigine confectum, id clarum reddit & pulchrum, rubiginem*

abstergens

Digitized by Google

abstergens, & quod in eo erat perversum & inflexum, perfectissimè corrigit, ita etiam Dei metus, vel exiguo tempore facit omnia - neque timentes Deum - ulla re humana frangi sinit.

Elegantissimè S Chrystom. hom. 14. ad pop. *Quid gehennâ gravius? sed hujus metu nihil utilius; gehennæ namque timor, regni nobis affert coronam. Ubi timor est, livor non est, ubi timor est, pecuniarum amor non vexat; ubi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correcta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicuti in domo, stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere prorsus audebit, sic & metu animas nostras detinente, illiberalium nulla nobis passionum subrepit, sed omnes fugiunt, expelluntur timoris imperio undique exacta.* §. 5. *Nihil est utilius metu gehennæ.*

Super ℣. 120. Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* S. Chrysost. timorem vocat clavũ, quo animus noster contra adversos casus quasi figitur. Sic ait: *Anima mea timorem tuum gerit, atqui corpus adversus eam impetum facit, idcircò ipsius quoque membra, hoc timore, tanquam clavis quibusdam configas quæso: quo ipsa peccatis mortua, & extincta, animæ ductum sequatur.* § 6. *Timor Domini clavus*

S. Paulus 2. Corinth. 7 ℣. 5. ait: *Foris pugnæ, intùs timores.* Advertunt aliqui sancti Patres, S. Paulum hîc dum persecutionum & malorum facere mentionem, non recensere novum aliquem dolorem, ortum ex timore, sed antidotum & remedium, quo contra ingruentes tempestates fulciebatur. Foris quidem pugnæ, intus timores, quasi diceret, malorum fluctus me obruunt, sed his tanquam inconcussam rupem Dei timorem objicio, intusque asservo, quo tutus evado. Et ideò beatus homo, qui semper est pavidus. §. 7. *Efficacissimum antidotum.*

Tum Deus proximus est, ut misereatur impii, cùm territat. Hoc deducit S. Chrysost ex v 13. Ps. 7. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum paravit, & tetendit illum*, id est, gladium quidem suum strinxit, sed non percussit peccatorem, tantummodò aerem verberavit, arcũ tetendit, non tamen sagittas jaculatus est, sed tantùm paravit illũ. Cùm Deus arma parat, & peccatorẽ timore percellit, tunc maximè à vulnere abest. audite impii; si metu trepidatis, securitatem vobis promitto. S. Chrys. ibid. *Arcum tetendit, gladium* §. 8. *Dum Deus nobis incutit timorẽ, est maximè misericors.*

Digitized by Google

gladium vibrabit, quod si hæc essent furoris & excandescentia, non prædiceret eis, quos est invasurus. - Hostes, qui volunt supplicium infligere, non modò id non dicunt, sed etiam celantes invadunt, ne qui sunt puniendi, si resciverint, caveant. At non sic Deus; sed è contrario & prædicit, & differt, & verbis terret, & nihil non facit, ut quæ minatur, non inferat; milites quidem armantur, ut puniant; Deus autem non sic, sed ut cum metu reddiderit modestiores, manum abstineat à supplicio. Ne ergò conturbemur, est enim terror verborum maxima clementia, & quo dicit intolerabiliora, eò ea dicit ex majori mansuetudine.

§. 9. *Quæ causa conversionis boni Latronis in cruce.* Uterque latro, qui à dextris & à sinistris cum Christo fuerat affixus crucibus, probris Dominum impetebat; sed alter repente mutatus socium repressit illis verbis Luc. 23. v. 40. *Neque tu times Deum? qui in eadem damnatione es, & nos quidem justè, nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Quænam causa tam subitæ mutationis? ut paulò ante blasphemus, latro; Christum cruci affixum agnoscat Deum? Latro ipse causam retulit ad timorem, illis verbis: *Neque tu times Deum?* O magna timoris virtus, qui absque mora longius errantem oviculam ad caulam Dominicam reduxit. D. Chrysostom. in Ps. 127. *Quid fuit latrone miserius? sed repentè evasit omnium beatissimus. Mille mortes fecerat, & erat mortis supplicio damnatus, totum tempus fuerat consumptum, & vita transacta erat in scelere: sed quoniam exiguo tempore, ut oportuit, Christum timuit, beatus factus est, dicendo: Neq; tu times Deum? Nullum enim est malum, quod non extinguat Dei metus.* l. 1. Reg. c. 2. *Deducit ad inferos, & reducit.* Ubi S. Gregor. *Deducit ad inferos, quando terrorem incutit peccatori mortis æternæ: reducit autem, quando petenti spem vitæ perennis præbet.*

§. 10. *Timens Dominum dicitur crucifixus.* Ad Galat. 5. ℣. 24. ait Apostolus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Id est, qui sunt Christi, qui illum diligunt, non peccant. Ut enim ille, qui clavis stipiti affixus est, non potest inde se movere, neque à ligno evellere, eâdem prorsus ratione nos ipsos clavis crucifigamus, ne post mundi concupiscentiam abeamus. Sed ô beate Apostole! quis

Digitized by Google

quis nobis dabit illos clavos? quibus fixi non recedamus à cruce vel Christo Domino. Consule Davidem Psal. 118. 120. *Configé timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui.* S. August. hîc. *Crucifixerunt autem carnem cum passionibus suis, & concupiscentiis, qui sunt in Christo Iesu. Vnde autem crucifixerunt, nisi timore illo casto permanente in sæculum sæculi, quo cavemus offendere illum, quem toto corde, totâ animâ, totâ mente diligimus.* S. Basilius. *Quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem vitant.* Deinde, ubi timor habitat, ibi omnis animæ residet munditics, omnis iniqua noxiaque actio fugatur, membris corporis ad enormes actus moveri (quod timore quasi quibusdam clavis confixa sint) nequentibus. Sicut enim, qui clavos corpori affixos habet, doloribus pressus non facilè quidquam agere potest, ita Dei timore confixus non facilè peccabit.

§. 11. *Timor Domini firmat virtutes tanquam aurea basis.*

Amicitiam cum Deo, gratiæ divinæ perfectionem, charitatem, Dei amorem, & omnes reliquas virtutes firmat, roborat ac stabilit timor Domini. Psalm. 118. ℣. 38. ait David: *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo;* id est, firmum redde; fac stabilem. Ex mente S. Ambrosij innuitur nobis similitudo sumpta à marmoreis vel æneis statuis, quæ aureis vel marmoreis basibus impositæ majorem inde accipiunt fortitudinem, & pulchritudinem; ita virtus, amor Dei, si timori superponatur, stat firmiùs. *Initium sapientiæ timor Domini*, id est, ait Ambros. *Basis vel fulcrum virtutis, quo ipsa sustentatur, est timor Dei*, ideoque Isaias, cum cap. 11. Spiritus S. dona commemoravit, ultimo loco timorem posuit, tanquam si huic veluti basi reliquorum omnium moles sit imponenda, ut si ipsum timorem nobis velimus proponere tanquam statuam, dicere possimus ex cap. 5. Cant. ℣. 15. *Crura ejus columnæ marmoreæ, super bases argenteas.* S. Ambros. *Basis quædam est timor sanctus, à quo virtus habet standi firmitatem, & robur.*

§. 12. *Timor Domini fida statio, sive portus.*

Idem verbum statue, aliud continet timoris Domini eximium elogium, à statuo derivatur vocula statio, quæ nil aliud est, quàm fidus locus, & tutus portus, cui nautæ credunt navigia, hîc neque flatus ventorum desævient, neque fluctus maris conturbant,

Digitized by Google

bant, æquora tuta silent, statio fidissima nautis. Ergo ex his verbis patet, timorem Dei esse stationem fidissimam & securum portum, ad quem tempore ingruentis tentationis confugere possumus. Quicunque extra hunc portum virtutum gazas deducit, periculo exponit, hîc in tuto sunt.

§. 13. *Timor Domini est Spiritus principalis.* Psalm. 50. ℣. 14. ait David: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Expende hoc verbum, *confirma*; quod labentem hominem, & timore percussum fulcire significat: Igitur, qui petit sibi dari gaudium, cur statim assumit personam infirmi vel pavidi? *Nimirum*, ait S. Gregor. *quia tunc homo exultat lætitia secura, cùm simul percutitur divino timore.* Solet quibusdam contingere, ut dum se purgatos per satisfactionem reputant, ab internæ mentis custodia animum resolvant. Qui quidem suâ elatione depressi eò deteriùs corruunt, quò sibi de Indulgentia blandientes, vanæ spei securitatem promittunt. Inde est, quod Propheta exorat dicens: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Non dicit, lætetur, ut securus sim: ac si apertè dicat, ita me correctum facito gaudere de venia, ut me nunquam esse desinas securum de culpa. Sic & in hoc loco, postquam sibi reddi lætitiam salutaris Dei petit. Ne sibi dimissus ad inferiora proruerct, illicò junxit, *& spiritu principali confirma me. Sciebat enim, quia infirma est omnis anima, nisi S. Spiritus fuerit virtute firmata.* Auctor operis Imperfecti hom. 3. in cap. 3. Matth. Peccator, *nisi timuerit, peribit.* S. Aug. *Timor Domini, spes fortitudinis.*

§. 14. *Timor Dei facit, ne Deum offendamus.* Erat Dan. 13. ℣. 2. Susanna valdè pulchra, venusta nimis, & gratiarum manibus formata puella; at licet talis pulchritudo sit voluptatis lenocinium, & quasi alter concupiscentiæ fomes, mirabilis tamen fuit illius continentia, quæ nec voluptatis illicio, nec famæ dispendio, nec certo vitæ discrimine potuit ad stuprum flecti, quo poterat omnia pericula evitare. Unde illi tantus animus? audiendus est sacer Historicus. *Joakim accepit uxorem nomine Susannam, pulchram nimis, & timentem Deum.* Cujus timor, fuit veluti frænum, quo casta Susanna cohibita fuit, ne peccaret. S. Chrysostom. hom. 26. in ep. ad Hebr. *Adsit timor Dei, & nihil erit molestum sive dixeris paupertatem, sive morbum, sive captivitatem,*

Digitized by Google

tem, sive servitutem, sive quidvis aliud molestum, sed & ipsa nobis afferent opem ad contraria, scilicet paupertas divitiis honestior, morbus sanitate firmior, captivitas & servitus libertate gloriosior ac potior erit. Quæ omnia patuerunt in Susanna. Addit apposite S. Chrysostomus, unde sit tanta timoris Dei vis ad cohibendos animos, & ait: *Timor Dei concupiscentias extirpat.* Certe concupiscentia malorum omnium radix est: hanc vero venenatam radicem Timor Dei ferè funditus eradicat, qua ablata, homo veluti concupiscentiæ exsors, & passionibus prope exemptus est; acsi Dei timor, vel Spiritus S. per donum timoris hominem resculpat, redintegret, aut refingat, & in felicem innocentiæ statum restituat. Quid ergo mirum, si Susanna valide tentata, in ea forma & ætate, in illis circumstantiis, nihilominus tantam tentationem vicerit, nam Timoris Dei ope, quasi concupiscentiæ expers inventa fuit. Nam castus Dei timor concupiscentias extirpat. Vel potius dicendum est, Spiritum S. id facere per donum Timoris.

§. 15. *Timor Dei est quædam Crux.*

Ideo Regius Psaltes Psalm. 118. v. 120. ita oravit, *Confige timore tuo carnes meas: à Iudiciis enim tuis timui.* id est, ait S. August, *hoc timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi, carnalia desideria mea comprimantur, à Iudiciis enim timui, cum mihi lex minaretur pœnam.* Eleganter S. Hieron. *Metuo futurum judicium, ideo carni tua configens omnes concupiscentias carnis, tibi convivere, tibi commori, tibi consepeliri desidero.* Quibus verbis innuitur, timorem Dei esse veluti Crucem, quam quisque tollere jubetur, ut in illa caro crucifigatur, ne manus ad vetita extendat, ne pedes ad voluptates exorbitent, ne transfixum pectus seu cor deliciis inhiet, & concupiscentiis exæstuet, quousq; per charitatem perfectam de hac timoris cruce deponatur, sepeliatur cum Christo, & cum eo à mortuis resurgat.

§. 16. *Epilogus.*

Ex dictis hac concione innumeras colligite causas Auditores, quas habemus ut ardentissimis precibus imploremus gratiam Spiritus S ut tam eximium donum sui Timoris nobis largiatur. Vide apud P. Celada in Susannam f. 239. Qui Dei timorem ab animo excussit, ingentibus expositus est periculis.

Digitized by Google

CONCIO LXXI.

FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caro mea, vere est cibus,

Joan. 6. v. 56.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QValem liberalitatem, & amorem; qualem dulcedinem, & & quam varios alios favores, in SS. Eucharistia, nobis exhibeat Christus D.

§. 1. *Christus D. in SS. Eucharistia, est mamilla Patris, qua lactamur & nutrimur.*

§. 2. *Amor matris erga filium, quem lactat.*

§. 3. *Cur ubera matris lactantis sint pendula.*

§. 4. *Cur Christus D. comparetur nutrici.*

§. 5. *Christus D. in Eucharistia mons pinguis.*

§. 6. *Christus D. Aquila.*

§. 7. *Prosecutio.*

§. 8. *Bono pascimur sanguine.*

§. 9. *Pulli talis Aquila debent evolare in altum.*

§. 10. *Christus D. in SS. Eucharistia nos pascit liliis.*

§. 11. *Ieremias prædixit delicias Eucharisticas.*

§. 12. *Eucharistia est panis suavissimus.*

§. 13. *Christus D. in Eucharistia botrus.*

§. 14. *In SS. Eucharistia, Cella vinaria sponsi.*

§. 15. *Ad dignam manducationem hujus cibi requiritur puritas animæ.*

§. 16. *In sumptione Eucharistiæ osculamur sponsum. Hinc puritas.*

§. 17. *Epilogus.*

Signum

Digitized by Google

§. 1. *Christus D. in SS. Eucharistia est mamilla Patris, cujus lacte lactamur & nutrimur.*

SIgnum hujus amoris est, quod per institutionem SS. Eucharistiæ mirabili modo factus sit nutrix nostra; de quo gloriatur per Isaiam cap. 1. vers. 2. *Filios enutrivi, & exaltavi.* An non signum tenerrimi amoris, quod Deus Omnipotens, æternus, qui in cœlis à Seraphinis & omnibus Angelis adoratur & ter sanctus prædicatur, occupare se voluerit in nutriendis filiis; de quo Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagogi. cap. 6. *Nutrimentum, quo aluntur infantuli, est lac. itaque creator noster, ut simul esset altor, factus homo effudit pro nobis sanguinem suum, per quem, qui in Deum credimus, ad mamillam Patris, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum confugimus. Ille autem solus nobis infantibus lac dilectionis suppeditat.* (scilicet in SS. Eucharistia, in qua carnem ejus comedimus, & sanguinem bibimus) *iique vere sunt beati, qui hac lactantur mamilla.* Quid dulcius, quid suavius, quid admiratione & stupore dignius, quam æternum Patrem gloriari, se nutrire filios, & lactare infantes sua mamilla, hoc est, Verbo in Eucharistia, in qua quid sugunt tenelli infantes de mamilla Patris, nisi sanguinis nectar, nisi amorem, nisi ineffabiles delicias, & nectar charitatis immensæ, quod de paternis misericordiæ visceribus, quasi de amoris fontibus continuo fluit. O millies beatos, qui hac lactantur mamilla!

§. 2. *Amor matris erga filiolum, quē lactat.*

De uberibus lactantis matris hoc advertit Plutarchus lib. de amore parentum erga liberos; *Natura ubera & mamillas in pectore matris ita collocavit, ut expeditius, & osculari, & complecti liberos possint*; quasi hac ratione ostendere & indicare voluerit, pariendi, educandique finem, non ullam utilitatē, sed solum amorē existere. Et quæ Deo inde oritur utilitas, quod nos creaverit, quod sustentet, non tantum quoad corpus, sed animam quoque, & hoc tam suavi & admirabili modo; quænam inquam, inde Deo nascitur utilitas? Nulla prorsus. Sola pietas, maxima, eximia, & nimia Charitas fecit Deum altorem filiorum.

§. 3. *Cur ubera matris lactantis sint pendula.*

Phrasin horum verborum, *filios enutrivi*, variavit per Oseam Prophetam cap. 11. vers. 4. *Et declinavi ad eum, ut vesceretur.* Quæ verba ad nostram intentionem in hoc discursu ita exponit. *Mirabiliter in hoc est natura, mater gravida, antequam*

Digitized by Google

pariat, ubera gestat recta, in puerperio statim incipiunt pendere, & ad puerum inclinantur, ut quod à natura præparatum est infantulo alendo alimentum, scilicet lac, ad capiendum facilius exhibeatur, ad hunc finem ubera ad puerum placide se demittunt. Non aliter Deus postquam hominem creavit, & redemit, in institutione SS. Eucharistiæ, mamillam suam ad alendos homines inclinavit, de quo per Isaiam & per Oseam gloriari voluit; *filios nutrivi, declinavi ad eum, ut vesceretur.* Sed quænam Deo inde utilitas? nulla. Pietas, nimia Charitas Deum fecit altorem, imo matrem, & amantissimam nutricem.

§. 4. *Cur Christus D. comparetur nutrici.* Christum D. veluti nutricem eleganter descripsit Stephanus Cantuar. in alleg. Tilmanni citatus, ad ea verba Oseæ cap. 11. vers. 3. *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Alij legunt. *Ego quasi nutrix. Sicut*, inquit, *nutrix frangit linguam suam, ut contemperet se parvulo balbutienti, sic Christus condescendit nostræ infirmitati, ut contemperaret se nobis. Sicut nutrix, munusculis, saccaro, allicit puerum ad se amplexandum, sic Christus variis modis allicit nos ad suum amorem. Et hoc est, ego quasi nutrix Ephraim portabam eos in brachiis meis, in Cruce distentus: ibi enim extendit Dominus brachia sua, ad complectendum nos, & portandum. Et sicut nutrix ad alliciendum parvulum plene extendit brachia, & quantum potest; cum tamen parvula extensione possit eum colligere; & amplecti. Sic & Christus fecit.* Sed non fuit hoc satis ejus amori; quia verissimum est illud D. Isidori Pelusiotæ ep. 108. *Siquidem lactis fontes partum confirmant; veri enim partus argumentum certissimum est lactis profluvium*: ita Christus D. partum, quo nos peperit in Cruce, peculiari signo amoris voluit confirmare, scilicet profluvio non lactis tantum, sed pretiosissimi sui sanguinis, quo in sumptione SS. Eucharistiæ, nos nutrit, & lactat.

§. 5. *Christus D. in Eucharistia mons pinguis.* Psalm. 67. vers. 17. Regius Psaltes vocat Christum D. montem fœcundum, & pinguem, & uberrimum. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus.* S. Augustin. & S. Hil. legunt, *mons incaseatus*, id est, mons lacte plenus & vitali rore condensatus: quibus positis S. August. de Christo ait: *Ipse est mons incaseatus propter*

pter parvulos gratiâ tanquam lacte nutriendos, mons uber ad roborandos, atque ditandos, donorum excellentiâ: nam & ipsum lac, unde fit caseus (vel placentulæ) *miro modo significat gratiam; manat quippe ex abundantia maternorum viscerum, & misericordiâ delectabili* (addamus, amore suavissimo) *parvulis gratis infunditur.* Ecce signa amoris in Christo D. dum instituit SS. Eucharistiam. Ex abundantia materni pectoris illa profluxit, cum profluvio lactis, mellis, dulcedinis, & cœlestium deliciarum, de quibus ipse sponsus gloriatur Cant. 5. ℣. 1. *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo; comedite amici & bibite.* Sanctus Nilus. *Sponsus, in quas animas ingreditur, eas nutrit, quasi pane quodam cum melle; virtute, cum cognitione, concessâ per gratiam* (& multò magis per cibum Eucharisticum) *divinitate.* Quid magnificentius infinitus & liberalissimus Christi amor nobis dare potuit?

Sed finem & causam simul oportet advertere, ob quam Christus D. suos pullos ita amat, defendit, & tam delicatè nutrit. § 6. *Christus D. Aquila.* Suggeret illam nobis cap. 32. Deuteronomii vers. 11. cùm Deus dilectum populum suum duceret ad terram promissionis lacte & melle manantem, ut dulcedinem amoris, & simul vigilantiam ostenderet, comparávit se Aquilæ. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans; expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Regiæ huic avi, volucrum Reginæ, inest generositas, dum in inaccessis rupibus nidum construit, dum in præruptis petris commoratur, præsertim dum pullis incubat, vel dum regio volatu sese in altum sustollit, ut cœlum attingere videatur. Veruntamen duplicem affectum penè contrarium, natura aquilarum ostendit erga pullos; nam inprimis amorem ostendit eximium & invictum, dum pro illorum defensione, jacula, vulnera, & mortem non timet. Glossa Lyræ. *Quando aquila vult transferre pullos suos de loco ad locum, portat eos super humeros suos: quia non timet à parte superiori, sed tantùm ab inferiori, ne emittantur sagittæ; & ideò ponit pullos super humeros, ut priùs ipsa recipiat sagittas, quàm pulli percutiantur.* Portentosi prorsus amoris argumentum. Alterum affectum inclementiæ, & argumentum acerbitatis, & crudelitatis, intuebe-

ris in aquila, dum pullos recens in lucem editos rostro vulnerat, alis percutit, ut excitet ad volandum, & intuendum solem; quod verba illa claré innuunt: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Nam ut Plinius ait lib. 10. c. 3. *Aquila implumes etiamnum pullos suos percutiens, cogit adversos intueri solis radios, & si conniventem, humectantemq; invenerit, præcipitat è nido, velut adulterinum, atque degenerem; illum, cujus acies firma contra steterat, educat.*

§. 7. *Protectio.* Utramque Aquilæ propensionem erga suos manifestat Christus D. super brachia sua assumit hominem, ut à terra suspendat: super alas, quasi pullos nos sustollit, ut ad cœlum levemur; expandit alas suas in cruce Dominus Jesus, ut scapulis suis nos obumbret, & onus omnium susciperet peccatorum; Insigne amoris est & generositatis in aquila, dum impavidum pectus offert sagittis, ut pullos suos à morte defendat, (documentum exhibens Regibus & Principibus, quales esse debeant pro suis subditis) Rex Regum Dominus noster, vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra; & ut hominem ab hostibus defenderet, & in libertatem filiorum Dei, & immortalitatem assereret, clavis & lanceâ vulneratus est. Sed quænam in Christo Domino erga pullos severitas? ea, quod non tantùm uberibus nutriat, & sanguine pascat, sed simul tribulationibus percutiat, fatiget laboribus, ut illos excitet ad intuendum Solem justitiæ; ut generosos illis Spiritus infundat, confortetque oculos, ut profunda Divinitatis & Humanitatis Christi mysteria, sine hæsitatione, certo & puro fidei intuitu contemplentur. Eum verò, qui regiam & generosam stirpem non æmulatur, de divino corporis & sanguinis Domini alimento, magnanimitatem non ostendit, sed humi repit, & terrenis inhiat, filium non recognoscit, sed velut adulterinum, è nidis SS. suorum vulnerum præcipitat.

§. 8. *Dino pascimur sanguine.* Filium, qui quasi pullus ab Aquila, à Christo nutritur, oportet alimento efferri, Dei sanguine & regiâ stirpe gloriari. Ad hanc sanctam animi elationem nos hortatur Clemens Alex. lib. 1. Pædagog. cap. 6. *Omni ergo ratione nos in omnibus Christo conjungimur, & familiares reddimur; & in cognatione per sanguinem ejus, quo redimimur, & in mutua affectione, & consensione per nutritionem, quæ*

ex

Digitized by Google

ex verbo efficitur. Unicuique nostrum, qui infantes sumus, licet Domino gloriari, & dicere: Patre bono æquè bono me sanguine glorior esse, deinde: Deifico sanguine glorior.

§. 9. *Pulli talis Aquilæ debent evolare in altum.*

Restat adhuc unum de aquilarum natura, cujus mentionem facit S. Matthæus c. 24. ℣. 28. *Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* In quæ verba S. Chrysostom. hom. 24. in ep. 1. ad Corinth. egregiè ponderat, quantam cogitationum sanctarum celsitudinem humanis cordibus ingeneret corporis & sanguinis Christi suavissimum alimentum. Sic enim ait: *Ad hoc nos inducit sacrificium illud formidandum, & admirabile, ut aquilæ in hac vita facti, ad ipsum cœlum evolemus, vel potiùs supra cœlum. Ubi enim cadaver, inquit, illic & aquilæ. Cadaver, Domini Corpus propter mortem, nisi enim ille cecidisset, nos non surrexissemus. Aquilas autem appellat, ut ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra ei debere esse commune; neque ad inferiora trahi, & repere, sed ad superiora semper volare, & in solem justitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere.* Qui aquilarum instar Corpus Christi, & sanguinem bibimus, tanquam generosi magnæ aquilæ pulli, velocissimo volatu, ad cœlum tendamus. Nutrit tam suaviter, tam amorosè nos Dominus ad cœlestia regna, ad gloriam, ad immortalitatem.

§. 10. *Christus D. in SS. Eucharistia nos pascit liliis.*

Cùm sponsa voluit insinuare, quàm delicatè pasceretur dilectus suus, dixit illum pasci inter lilia, & quærere pascua bona. Nobis obtigit illa felicitas, quod idem sponsus nos quoque pascat & nutriat liliis, ducatque ad pascua bona. Postquam inter alios sanctus Nyssenus hom. 7. in Cant. quæsivit, quænam sint illa pascua, quodnam sit delicatum illud nutrimentum confectum ex liliis, respondet: *Pascua autem locus bonus & pinguis; ea autem est cor; in eo pascentes, & purarum cogitationum flores ex eo legentes, pinguescunt.* Loquitur Vir sanctus de corde Jesu veluti de delicato cibo, quo nos pascere & nutrire, veluti de suavissimo fonte, ex quo purissimos latices haurire & bibere possumus; nimirum in sanctissima Eucharistia; & quâ ratione Christo D. intimiùs conjungi possumus, quàm manducando dulcissimum cor ejus? & quomodo benignissimus Jesus ardentiorem erga nos amorem de-

demonstrare potuit, quàm cum SS. Corpore offerendo nobis cor in cibum, & divinissimum sanguinem in potum?

§. II. *Jeremias prædixit delicias Eucharisticas.*

Hoc suavissimo epulo hominem omnibus deliciis satiandum prædixit Jeremias cap. 31. vers. 12. *Et venient, & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini super frumento & vino.* Quem locum de convivio Eucharistico accipit S. Hieron. inquiens: *Super frumento & vino, de quo conficitur panis Domini, & sanguis ejus impletur typus, & benedictio sanctificationis ostenditur.* Victor in catena Græcorum PP. *Ecclesia frumentum habet, granum quod mortuum est, ex quo panis confirmans hominis cor, & vinum illud lætificans.* Subjicit Jeremias vers. 14. *Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur.* Chaldæus ita vertit: *Satiabo animam sacerdotum deliciis, & populus meus bono meo, quod dedero eis, saturabitur.* Ob quam causam sponsa de suo dilecto dixit Cant. 2. ℣. 3. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Speciale hoc est in pomo, quod omnes sensus *oblectet*, mollitie tactum, odore odoratum, colore oculos, sapore gustum. *Talis est*, inquit Theodoretus in Cant. *Dominus noster, & Salvator, & Sponsus, qui convivio suo sensus omnes nostros explet suavitate.* Sed quiddam sublimius adhuc sponsa agnovit in pomo. Etenim cum torculari exprimitur; mellitus liquor defluit, gutturi gratissimus. Sic Dominus Jesus, sicut malum pendens in arbore, & in torculari crucis expressus, cœlestis vitæ & immortalitatis latices è percusso pectore effudit. Psellus de pomo: *Si fortè à quopiam comprimatur, liquorem sanguineum, & aqueum emittit, & proinde innuit fontes illos salutares, qui ex latere Verbi & Salvatoris emanârunt.* Lignum quoque pomi jucundum præbet umbraculum, suis enim ramis & frondibus speciem concamerationis exhibet, opacam præbens & amœnam umbram, quæ solis ardores arcet. Et Christus D. in SS. Eucharistia, sicut malus in horto infrigerationis umbram prætendit, cùm æstuantes & ignitos vitiorum radios diabolus exsufflat. S. Nilus. *Umbra omninò Christi, in aqua, qui desiderio est confirmatus, cupidinum æstu non comburitur.* Sed de hoc alibi.

Redeo

Digitized by Google

Redeo ad dulcedinem cibi Eucharistici, propter quam Psa. 83. qui totus versatur in mysterio SS. Eucharistiæ, hunc habet præfixum titulum. *In finem, pro torcularibus.* Ubi Theod. ait. *Torcularia Ecclesias apellat, in his enim ecclesiis, cælestis vitis proprium affert fructum, salutareq; vinum conficimus, quod vere fidelium cordi lætitiam affert. Pinguis enim est panis Eucharisticus* & (Gen. 49. v. 20.) *præbebit delicias Regibus.* Quæ verba valde illustrat S. Cyrill. *Ipse dabit alimentum Principibus. Est panis pinguis, hoc est, valde opimus, & ad alendum efficacissimus. Alit enim, & nutrit nos, Salvator noster Iesus Christus, non sensibile manna præbens, sicut olim Israelitis, sed se ipsum in animas fidelium immittens per Spiritum Sanctum.* Hæ voculæ, *per Spiritum Sanctum*, ita intelligendæ sunt, quod Spiritus S. in Incarnatione efformaverit Christi Corpus, ut assumeretur à verbo, & verbum in utero Virginis fieret Caro, & in eodem veluti clibano igniverit, & suis flammis decoxerit panem vitæ, ut postmodum consecratus esset panis fidelium, & suavissimus panis. §. 12. *Eucharistia est panis suavissimus*

Dixi antea titulum Psalmi 83. hunc poni; Pro torcularibus; quæ autem sint illa torcularia, & quale vinum quod de uva exprimitur, graviter expendit S. Athanasius quæst. 110. dicens; *qualia dicit torcularia! Ecclesias in quibus vinum funditur, veluti sacrosanctus Iesu Christi Domini nostri sanguis effunditur; & sanctum Corpus ejus immolatur; dicimus autem & hoc, quod botrus & uva Christus est, qui se ipso comminuto, voluntarie pressus est, & ex morte sua distillavit divinum mustum, suoque se ipsum rubere sanguine fecit.* Ob quam fortassis causam, Sponsa dilectum suum vocavit *candidum & rubicundum.* §. 13. *Christus D. in Eucharistia botrus.*

Non possum exprimere complacentiam, qua legi dictum S. Greg. Nysseni super v. 4 cap. 2. Cant. in quo sponsa gloriatur se à sponso fuisse introductam in cellam vinariam, sic enim ait in persona Sponsæ; *Introducite me in cellam vinariam*, quod sponsa dixit, quia sitivit. Tanta enim ejus fuit sitis, ut ad sedandam sitim non satis putet, etsi totus crater in os infundatur - *sed rogat ut deducatur ad ipsam cellam vinariam, & ipsis torcularibus os subiiciat, & dulce vinum scatens aspiciat, botrumque qui* §. 14. *In SS. Eucharistia, Cella vinaria.*

exprimitur in torcularibus. O potatricem sponsam! anhelat animus ad dulcem craterem, ipsoque exhausto non quiescit, donec torcularia ingrediatur, os apponat botri scissuris & cicatricibus, & de scatentibus sanguinis fluentis inebrietur; ad vini fontes stetit in ijsque deliciatur. Subjungit Nyssenus. *Illud autem omnino vult videre mysterium, quemadmodum Sponso calcanti torcular rubrafiant vestes, de quo dicit Propheta, quamobrem rubra sunt vestimenta ejus & indumenta, sicut ejus, qui calcat torcular. Propter hac & qua sunt hujusmodi, cupit ingredi domum, in qua est vini mysterium ac Sacramentum.*

§ 15. *Ad dignam manducationẽ hujus cibi requiritur puritas anima.*

Sed advertendum est monitum Ecclesiastis cap. 9. vers. 7. *Vade ergo, & comede cum lætitia panem tuum; & bibe cum gaudio vinum tuum, - omni tempore sint vestimenta tua candida.* Candor vestium, symbolum est puritatis, qua nitere debent illæ animæ, quæ comedunt carnem & bibunt sanguinem Filij Dei. Ut D. Greg. Nyssenus ostendat hanc puritatem simul esse effectum Eucharistiæ in anima sancta, supponit SS Christi D. Humanitatẽ, accidentibus Hostiæ tectam, esse lucidissimum speculum, & ait: *Si diligenti, & accurata vita sordes cordi illitas, & obductas rursus ablueris, resplendebit in te divina pulchritudo. Quemadmodum ij, qui in speculo solem vident, etiamsi cœlum ipsum fixis oculis non contueantur, nihilo secius in splendore speculi solem videt, quam illi qui ipsum orbem solis intuentur. Ita nos ad contemplandum lumen inaccessum; Puritas enim, & vitiorum, affectuumque vacuitas, & ab omni malo abalienatio, Deitas est. Si hæc in te sunt, Deus prorsus in te est.* Sanctimonia, puritas, lucidi divinæ naturæ splendores sunt, per quos Deus videtur. Aptius loqueris, si Christum D. in altari oblatum, speculum voces. Quid purius? quid sanctius? quid ab omni sceleris concretione alienius, quam Caro illa Spiritu sanctificata, operatorio Sacerdoris sermone consecrata? speculum sane est sine macula Dei majestatis, *& candor lucis æternæ,* (Sap. 7. vers. 26.) fulgores Divinitatis in animas inijciens; inflammans simul animas, & improbos affectus exurens. Ita & candida illa accidentium nube, quæ utrumque solem divinitatis & Humanitatis tegit, fulgura luminis & fulgetra amoris Jesus jaculatur, ut si paremus corda pura & munda, charitatis vulneribus illa sauciet.

Sponsa


Digitized by Google

Sponſa his telis ſaucia ingentem auſa fuit petere gratiam, dum dixit, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, & obtinuit hoc oſculum. Quæſtio oritur, quando & quomodo nos quoque oſculemur Chriſtum D. & reſpondet Theodoretus in Cantica. *Conſideremus, quomodo Sponſi corpus ſuſcipientes, eundem complectimur, & oſculamur, & cordi imponimus, atque ipſum (charitate timorem foras eiiciente) nos amplexari putamus & ſuaviari.* O ſuavia oſcula, quæ nobis in Euchariſtia offert cœleſtis ſponſus, ut puriſſimis ſuis labiis ſanctitatem & puritatem nobis propinet. Sicut enim in ſe oſculantibus fit quædam animorum & Spirituum transmigratio, ſic oſculantibus Dominum Spiritus Chriſti transfunditur. Spiritus autem Chriſti immaculata puritas eſt. *Et qui omnibus* (D. Gregor. Nyſſ hom. 1. in Cant.) *ſcatere facit vitam & vult omnes eſſe ſalvos, neminem vult eſſe expertem hujus oſculi. Eſt enim ejus oſculum, purgamentum cujusvis ſordis* Felices animi! beata corda! quæ tali oblectantur nectare, & vitali ſanguinis fonte, qui de latere immaculati Agni ſcaturit, dealbantur. Quisquis ſacram ſynaxin ſumit, ad ſcaturiginem puritatis accedit, ut ſordes abluat, & ſole ipſo appareat ſplendidior & pulchrior. Quî fieri poteſt, ut talis non reddatur nitidus & purus, ex crebris ipſius puritatis oſculis, quando corpus Chriſti oſculatur & ſanguinem lambit. §. 16. *Inſumptione SS. Euchariſtia oſculamur Sponſum. Hinc puritas.*

Eja Animæ ſanctæ, *apprehendite diſciplinam.* Sic unus textus legit verſum 12. Pſalmi 2. Sed Herbæi ita verſum vertunt. *Oſculamini Filium, frumentum, vel faſciculum ſpicarum*, quidni addam, oſculamini faſciculum myrrhæ; nonne hæc placent? oſculari Filium Mariæ, ut talia placeant magis, juxta lectionem aliorum, *Oſculamini pure puritatem.* Oſculamini puritatis fontes, roſea quinque Vulnera, ut hæc puritatis oſcula nos excitent ad Angelicam puritatem, & ita cum lætitia comedite panem veſtrum. §. 17. *Epilogus.*



Digitized by Google



CONCIO LXXII.

FESTO NATIVITATIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Joannes est nomen ejus,

Lucæ c. I. v. 63.

SYNOPSIS CONCIONIS.

AGit de eximia pulchritudine & excellentia gratiæ sanctificantis quæ expulso peccato originali, per Maria præsentiam, ejus animæ fuit infusa. Vel Sanctificatio S. Joannis in utero fuit eximia gratia, à B. Virgine, illi collata. S. Maria; suos clientes protegit à peccatis.

Ingens

Digitized by Google

INgens adhuc in utero Matris existenti S. Joanni Baptistæ fuit collatum beneficium, dum in adventu Mariæ Matrem ejus Elisabetham visitantis ad præsentiam Verbi Incarnati, in Virginali utero latitantis, depulso peccato originali fuit sanctificatus; quod contigit per gratiam sanctificantem, quâ nihil est sublimius, & excellentius; & quæ omnem excedit creatæ pulchritudinis ornatum & elegantiam. *§. 1. Gratiâ divinâ in anima hominis nihil pulchrius.*

Pretiosi sanguinis à Christo D. in cruce effusi, fructus est, hæc gratia per quam anima peccatoris velut in lavacro tingitur, & super nivē dealbatur. Ex purpura sponsi, nascitur sponsæ pulchritudo; ut ejus toga, in sanguine Agni lota, non tantùm radiet & splendescat, sed animæ talis species & venustas nitidius fulgeat, quàm cœli aut siderum splendor, aut solis claritas & lunæ; ideò hæc sanctificatæ animæ species & venustas, etiam cœlestium spirituum admirationem concitavit, in illis verbis Cant. cap. 8. vers. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum*; LXX. legunt. *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata.* Ubi Theodoretus. *Non dicit albam, sed dealbatam. Cùm esset denigrata, propterea quod illam sol respexisset, dealbata est, & candoris sponsi particeps effecta, qui sicut lux existens ipsam lucidam reddidit, & appellavit. Ideò adolescentulæ eam contuentur.* Ita momento, formosa & nitida apparet anima, per inhabitantem in ea Spiritus S. gratiam: ita cùm sponsus supra fulgores solis emicans; & animam irradians, in ea exoritur, momento induitur diploide justitiæ, niveo candore, & sereni cœli specie ornatior, & formosior rutilat. Habet enim anima, etiam deformibus atrata & inquinata sceleribus, pietatis fluenta, fontemque solis, in quo abluatur, & sole reddatur purior; quod potissimum fit in Sacramento pœnitentiæ, vi & efficaciâ sanguinis Salvatoris. *§. 2. Lux superat solem, & cœli sidera.*

S. Joanni Baptistæ, & quoad locum, & quoad tempus, aliasque circumstantias, adhuc in utero matris existenti, hæc gratia longè excellentiori modo fuit communicata. Jacebat anima pueri veluti in obscuro antro miseræ captivitatis, denigrata & atrata, turpissimâ leprâ & maculâ peccati originalis; & ecce, dum pulcherrima Aurora (Mariam intelligo) in ædes infert lucidissimum solem, *§. 3. Quod patuit in anima S. Ioannis Baptistæ, dum in utero matris fuit sanctificatus.*

Solem, Verbum sive Filium Dei in utero suo incarnatum; aspexit Parvulum sol, & anima ejus momento fuit dealbata; momento fuit facta particeps candoris sponsi; qui sicut lux existens, ipsam quoque lucidam reddidit, & appellavit. Ideò adolescentulæ, ideò cœlestes genii, eam contuiti, cum Elisabethæ vicinis, attoniti, quærere potuerunt. *Quis putas puer iste erit?* cui in utero matris, ante tempus à natura fuit constitutum, tanta gratia sanctificationis fuit collata. Illo momento species & venustas animæ S. Joannis nitidius fulsit quàm cœli & siderum splendor, aut solis claritas, & nitor. Momento, quo Spiritus Sanctus per inhabitantem in illa anima gratiam possedit: momento, quo sponsus supra fulgores solis emicans, parvuli animam irradiavit, diploide justitiæ fuit indutus, & niveo candore rutilavit. Anima S. Joannis, licet immani & deformi peccati originalis sanie esset deformata & inquinata, in fonte solis, momento abluta, sole facta est purior.

§. 4. *Gratia pulchritudo superat cādorem nivis.*

De admirabili gratiæ candore & pulchritudine locutus fuit regius Psaltes Psal. 67. ℣. 15. *Nive dealbabuntur in Selmon.* In quem locum Arnobius ait: *Selmon locus est, in quo purificabantur Proselyti, vel hi, qui fatebantur gravioribus se maculis inquinatos. Itaque Selmon appellare possumus omnem locum, in quo hi, qui nigricaverunt peccatorum sordibus, dealbentur; si super Phœnicium fuerint nigri, tanquam lana candida facti, quasi nix dealbati sunt in Selmon; in loco purificationis, in quo omnia peccata lavant.* Per hunc locum Sancti Patres intelligunt Sacramentum pœnitentiæ; per candorem nivis, gratiam sanctificantem, quam operatur. Quo sensu, citatum Psalmi versum, usurpat S. Augustinus, eumque connectit cum verbis Isaiæ juxta versionem LXX. *Vt ergo* (supple justi) *discernantur ab impiis, accipiunt remissionem peccatorem ab illo, qui ait, si fuerint peccata vestra, sicut Phœnicium, tanquam nivem dealbabo. Ecce, quomodo dealbabuntur in selmon, in gratia Spiritus Sancti.* Et postea subdit: *Nive dealbabuntur in Selmon, gratiâ candificabuntur in protectione corporis Christi.* Gratia, protectio, decor, & spiritualis animæ ornatus, ab omnium gratiarum scaturigine, & Christo D. præsertim vivifico ejus sanguine proveniunt. A gratia autem ineffabilis splendor & pulchritudo animæ sanctificatæ.

Ex

Ex his clare percipere possumus eximiam gratiam, quæ S. Joanni Baptistæ in utero Matris existenti collata fuit. Nigricabat sordida ejus anima ob sordes peccati originalis, atra instar carbonis, sed momento, quo domus Elisabethæ conversa fuit in Selmon, in locum, in quem pervenerunt omnis puritatis, sanctitatis & gratiarum fontes, Jesus & Maria, anima S. Joannis, nigra super Phœnicium, tanquam lana facta est candida; ad conspectum solis & lunæ Jesu & Mariæ, quasi nix fuit dealbata. Ut præcursor Christi, ut amicus sponsi in utero fieret sanctus, accepit remissionem peccati originalis, ab illo qui ait: *Si fuerint peccata vestra super Phœnicium, tanquam nivem dealbabo*; ab illo, de quo postmodum dixit, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ita anima S. Joannis dealbata fuit, in gratia Spiritus Christi, super nivem facta est candida, sive candificata à gratia, in protectione corporis Christi; in præsentia Jesu & Mariæ. A gratiarum fonte Christo, à pietatis scaturgine, Maria super Joannem potectio, gratia sanctitas. A gratia, in anima S. Joannis, ineffabilis ejusdem splendor & pulchritudo. §. 5. *Quod patuit in sanctificatione animæ S. Ioan. Bapt.*

Quam cœlestis sponsus in anima sanctificata, postquam à vitiorum sordibus est absterſa & expedita, & adeo recognoscit, ut illam non dedignetur appellare verbis, quibus compellavit dilectissimam sponsam Cant. 1. v. 14 *Ecce tu pulchra es amica mea.* Magna emphasis latet in vocula, *Tu*, quasi dicat sponsus; hoc non est mirandum, quod ego existam decorus, quod ego sum pulcher, &c. quia essentialiter sum pulcher & candor lucis æternæ, & speculum sine macula; qui nullius maculæ etiam levissimæ sum capax. Hoc admiratione dignum est, & cœlestes Spiritus reddit attonitos, quod *Tu! tu!* ante tam deformis, peccatorum attrata fuligine, quod jam per gratiam pulcherrima forma resplendeas, hoc omnem exsuperat admirationem. Adverte præterea, dum pulchram vocat, simul appellat amicam; *Ecce tu pulchra es amica mea.* LXX. addunt, *Proxima mea.* S. Nyssenus, *Propinqua mea.* Ut sciamus, totum beatitutis cumulum, & dignitatem in anima, ex hoc resultare, quod mediante, tam nobili qualitate, qualis est gratia, ad primariam Verbi pulchritudinem appronpinquet. Ita S. Greg. §. 6. *Pulchritudo animæ gratiosa summopere placet cœlesti Sponso.*

in

Digitized by Google

in Cant. homil. 4. *A mali quidem societate recedens, mihi appropinquasti; appropinquans autem primariæ & exemplari pulchritudini, ipsa quoque pulchra facta es, veluti quoddam speculum conformata meo charactêri.* Et subjungit: *Quoniam ergo expulso à tergo vitio, expurgata à verbo anima, solis circulum in se suscepit, & simul reluxit cum luce, quæ in ipsa apparuit, propterea ei dicitur. pulchra facta es, quæ meæ luci appropinquasti; per appropinquationem attrahens dispensationē pulchritudinis.* O quam speciosa cœlitibus apparet anima, quàm Solis æterni circulus ambit, quæ sole ambitur, habens pro indumento Jesum, qui sedens in cordis thalamo, lumine suo omnia illustrat & complet; & quò propinquior est huic soli; eò in oculis cœlestis sponsi est pulchrior & amabilior.

§. 7. *Pulcherrimi effectus gratiæ, in parvulo Ioanne.*

Omnes hæ gratiæ fuerunt collatæ S. Joan. Baptistæ in utero Matris, dum B. Virgo salutavit Elisabeth. Ille! ille parvulus jacens in sordibus peccati originalis. Ille niger carbo! ille sordidus! deformis in oculis Dei; momento factus est pulcher, & per gratiā pulcherrimâ formâ resplenduit. Ille parvulus hostis Dei! objectum iræ ejus & abominationis, momento factus est amicus, & proximus; & propinquus; primariæ scilicet pulchritudini; & pulcherrimum speculum, conformatum charactêri, signaculo, sive gratiæ Spiritus S. Parvulus Joan. expulso vitio labis originalis, Solis sive Verbi Incarnati, circulum in se suscepit, & simul reluxit in luce, quam suscepit, ut dicere illi possimus: O beatissime Parvule, ecce tu pulcher es! ecce tu es amicus Jesuli! ecce tu es filius pulcherrimæ Virginis! ecce tu Jesu & Mariæ es propinquus.

§. 8. *S. Ioannes in utero fuit illuminatus à lumine Christi, ornatus annulo signatura Spiritus S.*

In utero Matris S. Joan. Bapt. contigit illa gratia, quæ hodie in Sacramento pœnitentiæ, confertur animæ pœnitenti. Cùm Pater filii prodigi, in perditi & reducis filii rueret amplexus & oscula, ante omnia turpia providit nuditati, unde servis ait, Lucæ 15. vers. 22. *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum.* Quænam sit illa stola, & pretiosus añulus inserendus digito, expēdit Macharius in Cat. Græcornm PP. dicens: *Vt animam pœnitentem videt, statim suscipit, traditque illi stolam luminis Christi, & annulum signaturæ Spiritus S.* Quo ut electi signantur, ut Dei filii & hæredes regni. Hoc nobiliori modo hodie accidit in ædibus Elisabethæ. Quamprimū Verbum Incarnatū, per cancellos Virginei uteri

vidit

Digitized by Google

vidit parvulum Joannem, suscepit illum: statim tradidit illi stolam sui luminis, & vestem nuptialem gratiæ. Statim illum ornavit annulo signaturæ Spiritus Sancti, & pulcherrimo hoc signo illum signavit, veluti Filium Dei, & hæredem regni. *Sancto amictum Spiritu, & nova gratia gloriosum.*

Miratus fui primum Guilhelmum Parisiensen, qui ait, Virginem ingredientem ædes Elisabethæ, potuisse de se dicere ex c.24. Eccl. v. 23. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Sed placuit mihi postquam accuratius perpendi ejus verba, ita enim ait. Ser. 1. de intem. concept. V. Virgo Sacratissima comparat se viti dicens, *Ego quasi, &c. Vitis enim dum floret, hanc virtutem habet, quod solo odore suo, aut expellit, aut extinguit bufones aut serpentes. Ita & Virgo hæc sanctissima, in sua intemerata Conceptione tantum redolevit per charismatum abundantiam & Sanctimoniam, ut in ea penitus extinctum fuerit venenum Serpentis antiqui; quod in cæteros homines quodammodo transfudit, videlicet peccatum originale, à quo penitus præservata fuit ex specialissimo Dei dono.* Sine dubio specialissimo, quia soli & unicæ huic Virgini, tanquam Dei Matri, hæc gratia concessa fuit. Per illam vero, licet serius, eadem collata fuit Verbi Incarnati Præcursori S. Joanni Bapt. Quam primum Maria, gestans in utero Verbum Incarnatũ, ingressa fuit ædes Elisabethæ, hanc virtutem operata fuit, quod statim ex anima Joannis suo odore, expulerit & extinxerit bufonem & serpentem peccati originalis. Tantum redolevit per abundantiam charismatum, & Sanctimoniam, quod ad ejus præsentiam in anima Joannis statim penitus extinctum fuerit venenum serpentis antiqui, quod in S. Joannem transfusum fuerat. Et hoc specialissimo dono.

§. 9. *Maria Vitis*

Ut in utero Matris adhuc delitescens anima S. Joannis dicere potuerit cum sponsa, ***nigra fui***, sed sum formosa Nigra fui per vitium; formosa nunc sum per gratiam, quæ abluit omne delictum. Nigra fui quia peccavi in Adamo; formosa sum, quia jam me diligit Christus (sunt fere verba S. Ambr.) gratiam quam in me relegavit Eva, recepi ex Virgine, suscepi ex Maria Gratulamur tibi, felicissime puer! Totum jam, quod in te est, pulchrum est, & nihil

§. 10. *S. Joannes niger & formosus.*

inest tibi, quod sit sordidum; in toto gratus, in nullo ingratus es; in toto places, in nullo displices; pulcherrimus per gratiam. O qualis Societas! totus pulcher Jesulus te totum pulchrum sibi sociat. Tota pulchra Maria, ineffabilibus gratiarum donis te implevit.

§. 11. B. Maria S. Joanni benevola.

Causam advertit Canisius l.1.c.13. de Deipara. *Ut primum anima corpori Virginis est infusa, replevit illam Spiritus S. ex singulari quadam sanctificatione, illam sibi in Sacrarium elegit, ut velut rosa sine spina, & tanquam lucifer in mundum oriretur.* Hæc gratia, specialissimo dono, Virgini collata fuit in primo Conceptionis instanti tanquam Matri Dei: S. Joanni B. in gradu longe inferiori, sexto post Conceptionem mense fuit collata, ut primum enim Maria cũ Verbo Incarnato ingressa fuit ædes Elisabethæ. ad primam salutationem, animam Joannis, Spiritus S. replevit singulari quadam Sanctitate, illamque sibi in Sacrarium elegit, ut velut rosa sine spinis, & tanquam Lucifer in mundum oriretur, futurus solis Justitiæ præcursor & prænuntius. Momento per gratiam, *luna pulchrior, sole splendidior, auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suavior, margaritis carior,* ait S. Laur. Justin. Momento, cœlestis sponsi, *inexplicabile monile, & pretiosa regni cœlestis margarita.* Talis margarita est anima justi, per inhabitantem & sanctificantem gratiam Spiritus Sancti.

§. 12. Maria gratia plena, gratiarum pelagus & gratia redundant in alios.

Unde in S. Joanne tanta gratia nisi à Maria? Luc. 1. v. 32. Archangelus Gabriel B. Virginem sic salutavit, *Ave gratia plena. Ita,* ait S. Aug. Ser. 18. de Sanctis, *impleta est gratia: Eva vero vacuata est culpa.* Huc allusit S. Bern. Ser. de aquæductu. *Altius intueamini, quanto devotionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria;* Et S. Hier. de Ass. V. *Bene plena, quia Mariæ se tota infudit plenitudo gratiæ. - In Mariam totius gratiæ plenitudo, quæ in Christo est, venit.* S. Athan. homil. de Deipara. *Ita Spiritus S. descendit in Virginem, cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus S. omnibus gratiis abundarit, tanquam* (S. Damasc.) *Spiritus S. thalamus, gratiarum pelagus.* S. Petrus Dam. Serm 3. in Nat. Virginis. *Quid enim sanctitatis, quid Iustitiæ, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse*

deesse potuit, quæ totius divinæ gratiæ charismate plena fuit, - quæ plenitudinis totius Divinitatis meruit esse sacrarium. Hujus plenitudinis & abundantiæ gratiarum, ante omnes mortales post Verbi Incarnationem, primus factus est particeps S. Joannes Baptista. Nam ad salutationem vocis Mariæ, sive quamprium Maria Virgineum os aperuit, simul aperuit pelagum & abyssum gratiarum, ex quo in animam S. Joannis sese effudit gratia Spiritus S. cum ejusdem donis; qui evacuata Evæ culpa, eandem animam ita imbuit, ut subito in omnibus fuerit tota gratiosa, & sacrarium Divinitatis. Cum tanto solatio, ut præ gaudio Infans exultaverit in utero Matris.

Occasione illorũ, quæ hoc discursu dixi, præsertim quod præsentia B. V. liberarit Joan. B. à peccato Originali, & quod ab eadem obtinuerit gratiam, qua firmatus deinde nunquam actualiter peccavit. Moneo omnes, ut qui peccatum oderunt, maluntque mori, quam graviter peccare, quod ad salutem est necessarium; peculiari devotione confugiant ad Mariam. Sicut enim lux insidias pandit, dum tenebras illustrat, & patefacit, in quibus insidiæ absconduntur; sic Maria insidias diaboli devotis suis patefacit, ne decipiantur. Sicut etiam lux securitatem parit, nam homines, qui de nocte pavescunt, in die securi sunt & ambulant; & hoc inde procedit, quia non timent offendiculum, similiter illi, qui B. Virginem sequuntur, & ei adhærent per devotionem, illuminantur & proteguntur ab ea, ut neque cadant peccando, neque à dæmonibus decipiantur. §. 13. *Qui vult vitare peccata, amet Mariam.*

Quod B. Virgo suis clientibus promittit Ecclesiastici 24. v. 30. *Qui audit me non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt.* P. Cornelius. *Perire enim, & damnari nequit qui tantam apud Deum Patronam habet, nisi quis ultro se in scelera & gehennam præcipitet.* Et Maraccius Lucensis. *Adeo enim efficax est sanctæ Dominæ patrocinium, ad vincenda peccata, ut qui eo utuntur, sint fere à peccatis invincibiles, & quasi reddantur impeccabiles. Qui operantur in me, id est, qui meo servitio mancipati, opera faciunt ad cultum & gloriam meam, inquit Deipara, non peccabunt, quia inter* §. 14. *Profectus.*

 alia

Digitized by Google

alia bona, requirent præservationem à peccatis, ne in ea labantur. Idem confirmat Richardus à S. Laurentio l. 4. de laud. V. super vers. 8. cap. 24. Eccl. *In fluctibus maris ambulavi, &c. id est, cum familiaribus meis, ut ipsos eriperem à naufragio peccatorum.* Imo penetrat profundum abyssi, ut ibi succurrat suis clientibus. Proinde (Fulbertus Carnotensis Ser. de 1. Nativ. B. V.) *qui inter fluctus hujus sæculi, attendit ad maris stellam Mariam, quæ supremo rerum cardini Deo proxima est, non frangetur scopulis adversorum; non absorbebitur scyllea voragine voluptatum.* Omnium elegantissime Leo Imper. orat. 1. *At, O Virgo salutis nostræ gloriatio, de qua salutis nostræ anchora pendet, largire nobis, ut peccatorum tempestatem vincamus, largire etiam ut hostium procellæ nihil noceant, datoque nobis veluti clavo, patrocinio tuo, in tranquillum portum filii tui omnes deducito.*

§. 15. *Quo sensu Maria sit Mater pulchræ dilectionis.* Modum, quo in clientibus hanc gratiam operatur, insinuat in citato aliquoties capite Eccles. 24. vers. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Quid vero est esse matrem pulchræ dilectionis exponit Richardus à S. Laurent. lib. 6. de laud. V. *Maria, per dilectionem, qua diligit hominem, colligat ipsum hominem sibi ipsi, & quasi conglutinat, ne diffluat per vitia, & peccata: dicitur enim dilectio quasi duos ligans, & dilectio est quasi quædam unio.* Quis non ambiat, ut Maria, sit nobis Mater talis dilectionis, &c. Quis non ambit, ut animam suam, ad hanc spem alliget, non secus atq; ad firmissimam quandam anchoram, cui S. Ephrem hoc elogium inscripsit, *Peccantium adjutrix, spes desperatorum.*



CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXIII.

FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Constitues eos principes super omnem terram,
Ps. 44. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit ex SS. Patribus, & sacris literis, eximias laudes Doctoris gentium, S. Pauli Apostoli.

§. 1. *Eximiæ laudes S. Pauli.*
§. 2. *Ortus S. Pauli.*
§. 3. *Ejus indoles.*
§. 4. *S. Pauli suavis & mirabilis vocatio.*
§. 5. *S. Pauli sapientia, & scientia.*
§. 6. *Prosecutio.*
§. 7. *Quanam ipse S. Paulus proferat de sua sapientia.*
§. 8. *Eximiæ S. Pauli virtutes.*
§. 9. *Ejus humilitas, pœnitentia, castitas, contemptus mundi, amor crucis.*
§. 10. *Amor Christi; conversatio in cœlis.*
§. 11. *Gratitudo, studium orationis, gloriæ Dei Zelus.*
§. 12. *Charitas erga proximum.*
§. 13. *Votum S. Augustini.*
§. 14. *Epilogus.*

EXimias laudes S. Pauli Apostoli, quas hâc Concione vobis proponam (insignia elogia S. Petri celebro alibi) doctissimus SS. Scripturæ Interpres P. Cornelius à Lapide, reducit ad 8. capita. Primum est, præclara S. Pauli natura & indoles. Secundum, mira ejus vocatio, & gratia. Tertium, rara ejus — §. 1. *Eximiæ laudes S. Pauli.*

ejus sapientia. Quartum, heroicæ ejus virtutes. Quintum, efficacica & fructus in evangelizando. Sextum, illustre ejus martyrium. Septimum, miracula. Octavum, ejus fama & gloria.

§. 2. *Ortus S. Pauli.* Primum quod attinet, S. Paulus nobili Judæorum prosapiâ fuit ortus, è tribu Benjamin, natus in civitate Tarsi, ut ipse affirmat Actor. 22. vers. 3. *Ego*, inquit, *sum vir Judaus, natus in Tarso Cilicia.* Fuit autem Tarsus hujus provinciæ, nimirum Ciliciæ, metropolis, consecuta à Romanis jus municipale, hoc est, Tarsenses censebantur Romani, & civium Romanorum privilegiis fruebantur; unde Paulus Act 16. c. ℣. 37. dum ejus hostes ei minarentur flagella, exclamavit: *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare.* Cumque tribunus diceret: *Ego multâ summâ pecunia civitatem hanc consecutus sum*, respondet S. Paulus; *Ego autem & natus sum*, &c.

§. 3. *Ejus indoles.* In sua patria Paulus jam adolescens liberaliter & nobiliter fuit educatus, atque Græcorum literis & liberalibus disciplinis egregiè excultus; quo tempore Tarsenses (teste Strabone) in studiis superârunt Athenienses & Alexandrinos. Tarso sanctus Paulus profectus fuit in Judæorum metropolim Jerosolymam, ut ibi à Gamaliele sacris disciplinis erudiretur; ita ait Actor. 22. vers. 2. *Nutritus sum in ista civitate, secus pedes Gamaliel, eruditus juxta veritatem paterna legis amulator legis, sicut & vos omnes.* In tantum verò in literis profecit, ut sectâ fuerit Pharisæus, quæ inter Judæos erat nobilissima & præstantissima, ipsomet teste Actor. 26. vers 5. *Secundum certissimam*, vel ut græcus textus sonat, *diligentissimam, exactissimam, religiosissimam sectam nostra religionis, vixi Pharisaus.* Insignis verò, magnanima & heroica ejus indoles eluxit in ardenti ejus zelo, & pugnâ pro Judaismo, quo errans licet, putavit se obsequium præstare Deo, si persequeretur Christianos. Vide vers. 3. cap. 8. Actuum. & vers. 1. cap. 9. vers. 13. cap. 1. ad Galat. Post conversionem verò quis in Evangelio toto orbe propagando animos & ignes Pauli æquavit? quis in laboribus pluribus? quis in carceribus abundantius? quis in crucibus & plagis majoribus? quis in periculis

Digitized by Google

culis tam interritus? quis in arduis tam audax & excellus? quis tanta, non dicam moliri, sed cogitare ausus fuit? quanta molitus est, fecit, & confecit S. Paulus.

§. 4. S. Pauli suavis & mirabilis vocatio.

Illustris gratia & admirabilis, pia, suavis & efficax vocatio sancti Pauli in hoc elucet, quod à Christo immortali & glorioso fuerit vocatus, tum enim, cùm cum Christo quidem duellum iniret, Christi odio flagrans, in ipsa persecutione Christus D. illum prostravit in terram, vicit, subegit; quam primùm enim vox de cœlo (Act. 9. ℣. 6.) insonuit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* mox ille; *Quis es Domine*, & rursum Christus; *Ego sum Jesus, quem tu persequeris; durum tibi est contra stimulum calcitrare.* Cui statim dans manus, inquit: *Domine quid me vis facere?* Quàm valida fuit hæc Christi cum Paulo contentio? quàm potens vocatio? quàm efficax gratia? quæ in momento cor Pauli hostile, sibi subditum, amicum & obsequens fecit, quæ Saulum in Paulum, lupum in agnum, persecutorem in prædicatorem, Judæum in Apostolum commutavit. Et qualem, quantumque Apostolum? audi, *Vas electionis* (sive aptum instrumentum & electum organum) *est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus.* Quantum ipse hanc sui vocationem & gratiam fuerit admiratus. Vide ep. 1. ad Timoth. cap. 1. vers. 15. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Vide ep. ad Eph. c. 3. ℣. 8. ep. 1. ad Timoth. c. 2. ℣. 7. ep. 1. ad Cor. c. 15. ℣. 10. 1. ad Cor. c. 4. ℣. 9. ep. 2. ad Cor. c. 11 ℣. 23.

§. 5. S. Pauli sapientia & scientia.

Quoad tertium, sive eximiam sancti Pauli sapientiam, passim in ejus epistolis illa conspicua est. Ipsæ enim continent medullam fidei, & religionis Christianæ. Sanè de gratia, prædestinatione, de Christi redemptione, & totâ ejus in carne œconomia, de matrimonio, de cælibatu, de Venerabili Sacramento, de sacrificio, de muniis Episcoporum, Presbyterorū, Diaconorum, totoq; ordine hierarchico, nullus ita planè, graviter, exactè & sapienter disseruit ac S. Paulus. Taceo naturalem & græcam ejus scientiam,

in

in qua tam eximiè excultus fuit, ut tradat S. Chrysostom. hom. 3. in ep. 1. ad Cor. apud Ethnicos disceptatum fuisse, an Paulus Platoni, cujus doctrinæ gravitatem & subtilitatem illi imprimis venerantur, præferendus esset.

§. 6. Prosecutio.

Quod S. Paulus, veluti in cœlesti schola fuerit eruditus, ipse asseverat, cùm ad Galatas scribit, se Evangelium non ab homine accepisse, & didicisse, sed per revelationem Jesu Christi. Rursum quod 2. Cor. 12 ℣. 4. se raptum asserat ad tertium cœlum, scilicet in Paradisum, *ibiq; audiverit arcana verba, quæ non licet loqui, quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt*; ut dicere possimus S. Paulum non in terrena, sed cœlesti scholâ fuisse eruditum, ibique quasi creatum & consecratum Magistrum Evangelii, & Doctorem orbis; ut S. Dion. Areopag. benè illum vocaverit *Communem solem, & abyssum sapientiæ*, & S. Joan. Chrysost. *mare sapientiæ purissimum & profundissimum.*

§. 7. Quanam ipse S. Paulus proferat de sua sapientia.

Addo unicum elogium S. Hieronymi ex epist. 61. ad Pammachium. *Paulus vas electionis, tuba Evangelii, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium gentibus ignoratum, & profundum divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei aperuit & prædicavit: quem quotiescunque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua, & rugitum leonis.* Omnia similia elogia SS. PP. excedit illud testimonium, quod dictante Spiritu S. sibi ipse perhibuit, cùm scripsit ad Eph. 3. ℣. 4. *Prout potestis intelligere prudentiam meam, in Christo: mihi sanctorum omnium minimo data est hæc gratia, in gentibus evangelizare, ut innotescat Principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam* (puta per me Ecclesiæ Doctorem) *multiformis sapientia Dei secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.* Et ep. 1. ad Cor. cap. 2. ℣. 4. *Prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei; sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam verò non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit.* Hæc breviter de eximia S. Pauli sapientia.

Pro-

Digitized by Google

Progredior ad eximias ejusdem virtutes, quarum illustre fuit speculum & exemplar, quippe quas docuit non tam verbis, quam factis. Ipsomet teste ep. 2. ad Cor. 6. v. 4. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in Verbo Veritatis, in Virtute Dei, per arma Iustitiæ à dexteris & sinistris.* Placent mihi SS. PP. qui per vitam S. Pauli, & eximias ejus virtutes atque relictas nobis epistolas veluti Paradisum quendam inambulantes, undique exmiarum virtutum decerpunt flores & fructus. Insistamus obiter pulcherrimis vestigiis. §. 8. *Eximiæ S. Pauli Virtutes.*

Vis violam humilitatis? 1. Corin. c. 15. v. 9. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Novissime omnium tanquam abortivo visus est mihi Christus. Mihi omnium Sanctorum minimo data est hæc gratia. Et blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus.* Vis myrrham pœnitentiæ? ad Timoth. 1. 15. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Castigo corpus meum; & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 1. Corint. 4. 11. *Vsque in hanc horam esurimus & sitimus.* Vis lilia castitatis? 2. Corinth. 11. 2. *Æmulor vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro, Virginem castam exhibere Christo.* 1. Corinth. 7. 25. *De Virginibus præceptum non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Volo omnes homines esse sicut me ipsum.* Vis palmam contemptus mundi, humanæ laudis & vituperii? Gal. 1. vers. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem; mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico, qui autem judicat me, Dominus est.* Vis amaranthum Crucis. Gal. 6. 14. *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.* §. 9. *Ejus humilitas, pœnitentia, castitas, contemptus mundi, amor crucis.*

Digitized by Google

§. 10. *Amor Christi; conversatio in cælis.* Vis rosam aculeatam amoris Christi? Gal. 2. v. 20. *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Mihi vivere Christo est & mori lucrum.* Ob quam eandem causam, singulis sæpe periodis nomen Jesu vel Christi repetit & personat, utpote quod plus quam adamantinis literis cordi inscripserat. Si cui Sanctorum, certe Paulo Jesu, erat mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Vis Hyacinthum cœlestium cogitationum & desideriorum? *Fratres* (Ephes. 2. v. 19.) *jam non estis hospites & advenæ; sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei, non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, nostra conversatio in cælis est, unde & salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Verbo, omnia verba & dicta in ep. S. Pauli spirant cœlestes animos & ignes. Neque aliud in illis agit Paulus quam ut doceat omnia terrena despicere, concupiscentiæ turbines sedare, carnis amores restinguere; mentem ad cœlestia & Deum avocare, illi unire, & sociare!

§. 11. *Gratitudo, studium orationis, gloria Dei Zelus.* Vis Heliotropium gratitudinis, orationis & devotionis? ad Ephes. 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi* (vide pulcherrimum locum,) in quo S. Paulus, quasi in quodam mari, gurgites, fluctus & flumina gratiarum & laudum convolvit & revolvit, eructat & regurgitat in Deum omnium fontem Vis malogranata invincibilis constantiæ, & insuperabilis charitatis erga Deum & proximum? Rom. 8. vers. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi?* (notus est elegantissimus locus) *Hac charitate armatus Paulus,* inquit S. Chrysostomus, *Neronem omnesque tyrannos, quasi culices æstimavit; hac charitate labores, pericula, cruciatus, mortem, mille supplicia ludum putavit puerorum.* Hac charitate Paulus vinctus Jesu Christi magis quam diademate coronatus gloriatur: *Ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Neque hic amor Pauli stetit, sed quotidie celsior assurgens, & quasi incorporeus, imo igneus ad omnes labores, quæ retro sunt oblivilscens, ad ea vero quæ priora sunt, extendens se ipsum, ad destinatum persequebatur bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu; nec ante destitit,

stitit, quam amori divino vicem reddens, illi vitam, cum sudore & sanguine refudit & profudit. Miremur jam Paulum Dei amoro ab Oriente in Occidentem pervolasse. Miremur eum sua charitate totum mundum esse complexum; miremur eum terras & maria oberrasse. Nimirum consecrarat se ipsum Deo & amori Christi, ideoque illi omnes homines totumque orbem offerre, & ex hominibus Angelos efficere impensa sudoris & sanguinis sui satagebat, ac velut ignis, ventusque validissimus, totum mundum percurrit, percurrendoque purgavit.


Ardentem ejus charitatem erga proximum & zelum animarum paucis, sed elegantissimis verbis descripsit S. Chrysostom. homil. 3. de laudibus S. Pauli. *Sicut ferrum missum in ignem, totum ignis efficitur; sic Paulus charitate succensus; totus factus est charitas.* Unde nunc per epistolas, nunc per exhortationes, nunc per preces, nunc per minas, nunc per se, nunc per suos, omni studio conabatur erigere laborantes, stantes firmare, humi jacentes attollere, sanare contritos, torpentes animare, hostes retundere, more optimi ducis, militis & medici, omnium officiorum personas & munia unus ipse obibat. Quo non devenit charitas S. Pauli, ut in gratiam suorum hostium Judæorum, qui illum omnibus modis persequebantur, postquam Deum, Christum, Spiritum S. & conscientiam suam invocasset in testem, dixerit, *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Quid agis?* (quærit doctissimus P. Cornel. à Lapide) *nonne desipis; nonne contra charitatem, contra Christum pro cæcis Iudæis pugnas? Nequaquam*, (respond. nomine S. Pauli,) *sed pro charitate contra charitatem connitor & tendo, optabam & opto anathema esse à Christo, opto pro charitate Christi à Christo divelli; opto pro salute Iudæorum non ab amore, sed à benedictione & gloria Christi, à Christo & cœlo, etiam in æternum, si opus sit, exul excludi, deposco pro eis esse anathema, deposco diris devotum esse caput; dempto peccato, & charitatis naufragio, deposco mihi æternum eorum exitium. Opto, oroque Domine, omnia irarum tuarum fulmina Iudæis imminentia, ut eis parcas, in meum caput retorqueas, vibres, effundas, exhaurias,*

§. 12. Charitas erga proximum.

me, me, adsum qui feci, in me convertito ferrum. Non habeo quod addam.

§. 13. *Votum S. August.* Tam eximiæ virtutes, tantusque zelus in S. Paulo fuerunt radix admirabilis in prædicando, agendoque efficaciæ, qua homines quoquoversum potuit impellere. Quod S. Augustino præbuit ansam optandi tria. 1. Videre Christum in carne conversantem. 2. Romam in flore, præsertim triumphantem. 3. audire Paulum in sede & cathedra fulminantem. Et multis suadent SS. PP. ut qui zelosi & eximii volunt esse Concionatores, eximij S. Pauli sint latores, æstimatores & cultores. Fructum suæ prædicationis ipse in suis epistolis sæpius exponit. Ne longior sim; claudat hunc paragraphum testimonium S. Joann. Chrysost. homil. 4. de laudibus S. Pauli. *Sicut radiis solis orientibus fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures & latrones: sic prædicatione fulgente, & Evangelium disseminante Paulo, fugabatur error, veritasque remeabat; idolatria, ebrietates, commessationes, stupra, adulteria, aliaque dictu fœda defecerunt atque consumpta sunt, instar ceræ, ignis vapore pereuntis, & instar palearum, quæ subito cremantur incendio.* (si hæc in concione aliqua panegyrica S. Pauli fusius velles deducere, percurre epist. S. Pauli, & advertes, quam acriter omnis generis vitia insectetur.)

§. 14. *Epilogus.* Martyrium S. Pauli legi potest in vitis SS. Sicut & miracula, de quibus ait cap. 19. Act. vers. 11. *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & Spiritus nequam egrediebantur.* Vide multa apud R. P. Cornel. à Lapide. Sicut & de fama & gloria S. Pauli.



CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXIV.

FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS.

Exurgens Maria, abiit in montana,
Luc.1.cap. v.39.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXimii favores, à Jesu & Maria, collati in S. Joannem Baptistam, adhuc in utero Matris existentem.

§. 1. *Per peculiarem gratiam S. Joannes Baptista in utero Matris à peccato originali fuit liberatus.*

§. 2. *Quare gressus Mariæ vocentur pulchri.*

§. 3. *Prosecutio.*

§. 4. *Gressus Mariæ conculcârunt, contriverunt caput serpentis.*

§. 5. *Exponitur modus, quo id præstitit.*

§. 6. *Pari victoriâ liberavit S. Ioannem Bapt. à peccato originali in utero Elisebethæ.*

§. 7. *Eodem momento Maria à Ioanne abstulit amaritudinem mortis.*

§. 8. *Innovatio omnium creaturarum per Mariam.*

§. 9. *In particulari S. Ioannis Baptistæ.*

§. 10. *Modus Immaculatæ Conceptionis B. Virginis.*

§. 11. *Applicatur S. Ioanni Bapt.*

§. 12. *S. Ioannis gaudium & exultatio.*

§. 13. *Quibus verbis Maria salutaverit Elisabetham. Illorum efficacia.*

§. 14. *Infantis in utero saltus.*

§. 15. *Affectuosus Epilogus.*

Digitized by Google

§. 1. *Per peculiarem gratiã S. Ioannes Baptista in utero Matris à peccato originali fuit liberatus.*

INgens beneficium, & peculiaris gratia à Deo in Joannem Baptistam parvulum, in utero Matris adhuc latentem, collata, fuit liberatio à macula & culpa peccati originalis; quo sublato, consequenter in utero Matris fuit sanctificatus, & tantâ gratiâ cumulatus, ut deinde in Nativitate, mater ejus Elisabeth, non sine causa voluerit illum appellari Joannom, quæ vocula gratiam significat. Quâ ratione, Spiritus S. (cui beneficium sanctificationis, & communicatio gratiæ peculiariter attribuitur,) per præsentiã Mariæ tantum mysterium hodiernâ die operatus fuerit; in honorem magnæ Dei Matris, paucis exponam.

§. 2. *Quare gressus Mariæ vocentur pulchri.*

Pro præsentis discursus fundamento, pono ỷ. 1. capitis 7. Canticorum, in quo cœlestes genii, sive filiæ Sion, cœlesti Sponsæ, his verbis applaudunt: *Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis filia Principis!* Innuunt hæc verba, subesse peculiarem rationem, ob quam sancti Angeli laudant gressus Mariæ, quam advertit Rupertus, dum ait, omnes filios & filias Adæ, in prima conceptione mundum hunc ingredi, pedibus nudis & discalceatis, veluti servas & ancillas; nuditas enim servilem arguit conditionem, & (quod in sensu mystico innuitur,) animam hominis esse nudam à gratia, ob virus & labem peccati orignalis, quæ summa est ignobilitas, & plusquam servilis egestas. Et ob eandem causam, infernalis serpens omnium hominum gressus & pedes, in prima conceptione, mordet & inficit, ut proinde tales gressus, sordidi, maculati, non possint dici pulchri. Idem serpens maculavit, læsit, momordit pedes S. Joannis Baptistæ, dum in utero Elisabethæ fuit conceptus. Sine hoc morsu, sine hoc vulnere, nullus filiorum Adæ progreditur in hunc mundum, dum Adam in paradiso peccavit, in omnes suos posteros, originariæ labis virus, & sceleris reatum transfudit.

§. 3. *Prosecutio.*

Sed aliter cœlestes genii loquuntur de Maria, dum ajunt; *Quàm pulchri sunt gressus tui*; q.d. ô sordidos posterorum Adæ pedes! O turpes gressus, quàm fœtida omnium conceptio! Tui verò gressus ô Maria, sunt pulcherrimi! tua conceptio est immaculata. Pulchrè Alanus. *Tu autem es principalis filia Principis, Dei videlicet, qui est Princeps Principum, & Dominus Dominantium,* qui

Digitized by Google

qui te specialiter per gratiam genuit, specialiter informavit, ita tamen Dei filia, quod & Mater intacta. Maria etiam in prima conceptione, per gratiam benè calceata, hunc mundum fuit ingressa, in calceis tam pulchris, ut illorum pulchritudinem admirati Angeli illi acclamaverint: *Quàm pulchri sunt gressus tui*: quibus caput infernalis serpentis, hoc est, peccatũ originale, victrix conculcasti. Compatior parvulo Joanni Baptistæ, qui in utero matris jacet in serpentis hujus faucibus; verùm benè spera, Virgo Maria ædes Elisabethę ingreditur gressibus tam pulchris, ut non dubitem, mox mox conterendum virulentum illius serpentis caput.

Quàm pulchri sunt gressus tui: advertit nobilis Interpres, in significatione hebraica hujus voculæ, sermonem esse, de gressu pedis *calcantis, contundentis, conterentis*; ut sit allusio, ad verba illa Geneseos c. 3. ℣. 13. Ubi Deus dixit ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* Quæ verba, (ex mente doctissimorum Interpretum) propriè conveniunt B. Virgini, quæ (tanquam filia Jacob, hoc est, supplantatoris, luctatoris) supplantavit & decepit dæmonis malignitatem, qui incepit insidiari illi ab initio, hoc est, ab instanti conceptionis illius, volens eam mordendo inficere veneno originalis culpæ; sed ipsa cautior vicit eum, ut non prævaleret ei, & hoc est, quod dictum est figurativè serpenti Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Quæ eleganter confirmat Rupertus l. 3. in Genes. c. 19. *Certissimè igitur, hìc illius semen mulieris promittitur, quod est Christus, per quod sexus idem, qui deceptus est, deceptoris caput, omne trivit, quando ad destructionem peccati beata Virgo sine peccato, novum hunc & cælestem hominem mundo edidit.* §. 4. *Gressus Mariæ conculcarunt, contriverunt caput serpentis.*

Mox gratulabor parvulo Joanni de insigni victoria, postquam unicum adhuc locum adduxero, super citatum versum Geneseos, ex doctissimo quodam Interprete Dominicano, qui ait: *Serpens ille antiquus & callidus, solitus erat crudelibus faucibus strangulare singulos filios Adæ, impingendo in illos originalem culpam, in primordio conceptionis, sed dum tortuosus ille serpens aggressus est strangulare Virginem Mariam, sicut cæteros filios Adæ, nihil mali passa est ab eo, quinimò ipsa ab instanti conceptionis, tantâ gratiâ & virtute dotata est, ut* §. 5. *Exponitur modus, quo id præstitit.*

capus

caput ejus gloriosè conculcaverit, & contriverit. Vbi advertendum, quod caput serpentis infernalis, originale peccatum designat, quia sicut serpens naturalis, ingrediens locum aliquem primò præmittit caput, deinde paulatim totum illuc corpus pertrahit; ita & dæmon totus serpentinus volens habitare per peccatum, in anima rationali, primò præmittit caput, originalis culpæ, deinde pertrahit ad deteriora, videlicet ad actualia peccata. At verò Virgo Maria, in sua sanctissima Conceptione, dono gratiæ contrivit caput ejus, ut non tangeret, nec morderet eam, per originalem culpam, nec ex consequenti per actualem. Hæc ille doctissimus Interpres de B. Virgine.

§. 6. *Pari victoriâ liberavit S. Ioannem Bapt. à peccato originali in utero Elisabetha.*

Infelicior fuit sors Joannis Baptistæ in sua conceptione. Serpens ille antiquus & callidus, repetitâ victoriâ, quam in Paradiso contra Adamum & Evam obtinuerat, crudelibus faucibus, hunc parvulum strangulavit, impingendo in ipsum originalem culpam, per eandem ingressus fuit virulento capite in animam Joannis, habitavitque in illa, veluti gratissimo sibi domicilio in sextum mensem, habitassetque ulterius, nisi cœlum huic puero veluti futuro Præcursori Salvatoris, de peculiari aliquâ gratiâ providere voluisset. Et ecce, post verbi in utero Virginis Incarnationem, Maria Mater Dei Deo plena exurgens abit in montana cum festinatione, vix Elisabethæ ædes pulcherrimis gressibus, in calceamentis filiæ Principis, fuit ingressa, cùm subitò victricibus pedibus contrivit, confregit, conculcavit caput serpentis sive originalis peccati, quo Parvulus strangulabatur, à cujus potestate parvulus se liberum sentiens, præ gaudio exultavit, & exiliens in utero Matris, Deum Salvatorem suum in utero Mariæ latentem, adoravit, & magnificavit.

§. 7. *Eodem momento Mariæ à Ioanne abstulit amaritudinem mortis.*

Momento, quo Joannes per præsentiam Mariæ fuit liberatus, & à gratia Spiritus Sancti sanctificatus, dicere potuit cum sponsa vel cùm Virgine Maria. Cant. c. 2. ỷ. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Quæ verba Rupertus exponit de mysterio Incarnationis, quando B. Virgo facta Mater Dei dulcedinem arboris vitæ, suo in utero plantatæ prima gustavit, ut dicere potuerit: *Fructus ejus dulcis gutturi meo, idest, cordi meo. Quis vestrum nescit, quod sit fructus ejus dulcis?*

expulit

Digitized by Google

expulit enim à nobis amaritudinem mortis, & vitæ æternæ dulcedinem indidit. Hunc fructum Maria in primo ingressu in ædes Elisabethæ communicavit S. Joanni Baptistæ. Benedictus ille fructus, quem in utero gestabat, O quam fuit dulcis cordi parvuli Joannis, hoc est, S. Joannes præ lætitia exultavit in utero matris, infans, cum irradiatus splendoribus Lunæ, quam videbat ingredi ædes matris suæ, & illustratus luce solis Justitiæ, quem oculis fidei sentiebat latere in utero Mariæ, agnovit venire ad se mundi Salvatorem. Aspectus Mariæ, & fides in Christum, momento cum peccato originali expulerunt ab illo amaritudinem mortis, & vitæ æternæ dulcedinem indiderunt. Perge ô beata Elisabetha, repete millies; *benedicta tu in mulieribus*, nos millies addemus, *& benedictus fructus ventris tui Jesus!* qui Joannem à morte peccati per præsentiam Matris suæ liberavit.

O felicissimum S. Joannem, qui quasi primus sensit optatissimam renovationem omnium creaturarum, quæ contigit per mysterium Incarnationis, & illa die qua Maria per Incarnationem facta est Mater Dei. De qua mundi innovatione elegantissime ait mellifluus S. Bern. tom. 1. S. 61. art 1.. c. 9. *Deus quidem, licet in mundi creatione nihil produxerit imperfectum, sed omnia perfecta, sicut eorum exigebat natura: tamen ultimæ perfectionis consummatio, usque ad partum Virginis dilata est, & soli Virgini reservata. Omnia namque entia, unum ens nobilissimum appetebant, viventia unum nobilissimum vivens, sentientia unum nobilissimum sentiens, rationalia singularissimum rationale, spiritualia excellentissimum spirituale, & breviter omnes creaturæ appetebant unum quoddam optimum creatum. His sic existentibus imperfectis, provisum est mundo de una fæmina super omnes benedicta, quæ unico suo partu omnibus generibus rerum summam & ultimam perfectionem adduxit. Omnes mundi perfectiones ultima sua perfectione Virgo sacra implevit*, ita S. Bernardinus fuit locutus de toto universo.

§. 8. *Innovatio omnium creaturarũ per Mariã.*

Doctissimus P. Arcones in particulari sic loquitur. *Optabant v. g. cœlestes orbes aliud cœlum, purius, augustius, & divinius, quod cœlorum creatorem suo gremio contineret.* Hoc cœlum fuit Maria, quæ quamprimum ædes Elisabethæ fuit ingressa,

§. 9. *In particulari S. Joannis B.*

Digitized by Google

parvulus Joannes mox sensit admirabiles hujus cœli influentias. Sol desideravit videre lucidiorem Solem, hunc solem huic mundo intulit Maria, quamprimum illum intuitus fuit Joannes, pulcherrimis ejusdem radiis fuit illuminatus. Luna desideravit videre pulchriorem Lunam, matrem Solis; Luna hæc fuit Maria; & luna plena radiis omnium gratiarum. Ingressa ædes Elisabethæ, in parvulum effudit rivos gratiarum. Mare desideravit videre pulchrius mare, in quod influerent omnia flumina gratiarum; & vocaretur Maria, cujus superfluens plenitudo, post Incarnationem statim in Joannem redundavit. Fontes desiderarunt videre pulchriorem fontem. Fons pulcherrimus est Maria, ex quo Joannes B. adhuc in utero Matris salutares hausit latices gratiarum.

§. 10. *Modus immaculatæ Conceptionis B. Virg.*

Modum, quo S. Joannes à peccato originali fuit liberatus, & sanctificatus nobis proponit versus 9. cap. 3. Cant. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani*, hoc est Cedris. Scio SS. Patres, hæc verba intelligere de B. Virginis immaculata Conceptione: ita enim ait Jacobus Christopolitanus Episcopus. *Rex Salomon & pacificus Christus fecit sibi lectulum & ferculum; & tabernaculum maternum ex lignis candidissimus, & purissimis Libani, scilicet ex carne Sethuna incorruptibili: quam ante animationem sanctificavit, & ex anima Cedrina veneni serpentis fugativa, quam in illa carne creando sanctificavit, & omnibus gratiis & virtutibus ornavit; & totam personam, in eodem instanti creationis, unguento myrrhæ suæ passionis perunxit: quia illa gratia, qua anima Virginis in principio sui esse, fuit sanctificata, & infusa, ipsi data fuit ex meritis Passionis Christi.*

§. 11. *Applicatio S. Joanni B.*

Scio S. Joanni Baptistæ non esse collatam gratiam immunitatis ob originaria labe, in prima conceptione. Scio, ut superius dixi, fuisse strangulatum ab infernali serpente; scio illum per totos sex menses jacuisse in morte, & densis tenebris turpissimæ illius labis. Soli Virgini Mariæ Matri Dei debebatur hæc laureola. Sed quia Christus D. suo præcursori peculiarem aliquam gratiam conferre voluit, hodierna die, qua Maria ingressa fuit ædes Elisabethæ, pacificus Salomon & sponsa ejus Maria corpus & animam Joannis converterunt in candidissima ligna montis Libani,

hoc

hoc est, perempto per gratiam venenato verme peccati Originalis, carnem sive corpus Joannis fecerunt incorruptibile, & animam ejus sanctificarunt, & omnibus gratiis & virtutibus ornaverunt, & totam personam Joannis Christus D. perunxit unguento myrrhæ suæ Passionis. Illa enim gratia, qua Joannes in utero matris, & in præsentia Mariæ fuit sanctificatus, ipsi data fuit ex meritis Passionis Christi. Et ita in utero Matris, fuit factus lectulus, ferculum & tabernaculum divinæ gratiæ.

§.12. *S. Joannis gaudium & exultatio.*

Hinc in parvulo tantum gaudium & tripudium. Quaprimum enim Mariæ vocem, matrem salutantis audivit, in hominem cœlestem mutatus est, terrena omnia fastidientem. Lucæ cap. 1. vers. 41. *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus.* Pro exultavit, legit Cardinal. Cajetanus. *Saliit, seu subsiliit in exultationem*; additque, *describitur motus infantis saltantis in utero.* Describit Evangelista ordinem effectuum; & primum effectum salutationis, ex ore B. Virginis, explicat esse saltum Joannis Baptistæ in utero. Ad Mariæ vocem, in præcordiis pueruli resultantis, ineffabile fuit ortum gaudium.

§. 13. *Quibus verbis Maria salutaverit Elisabetham. illorum efficacia.*

Quæ autem fuerit salutatio Mariæ, ad cujus auditum Joannes præ gaudio exiliit, pie & sapienter aperit P. Salmeron tom. 2. tract. 10. scribens. *Licet, quibus eam verbis salutaverit, ignoremus, verisimile tamen est, ipsam dixisse, Pax tibi. Quidam referunt illam dixisse : Pax tibi! magni Prophetæ, & vocis clamantis in deserto dignissima Mater, pax huic domui. Ita post orbis diluvium & ruinam, in illius renovationis exordio, venit Maria signum divinæ reconciliationis ostendens, & symbolum misericordiæ portavit, veluti ramum olivæ virentibus foliis in ore suo dicens: Pax huic domui, & toti terrarum orbi. Quid enim Columba cœlestis, volitans per montana Iudææ, dum in domo Elisabeth quievit, ore & verbis suis, nisi pacis insigne præferret? Itaque Maria totius lætitiæ nuntio, Zachariæ domum implevit, personuit cœlestis psaltria, suavissima lætitiæ vocibus; suaves voces reponit Elisabeth; unde mihi hoc, ut mater Domini veniat ad me? solvitur in novum melos muta dudum Zachariæ vox, iterum Virginali voce dulcissima Virgo, mellea sua lingua decantat dulce melos, Magnificat anima mea Dominum, & exultavit*

Digitized by Google

Spiritus meus in Deo salutari meo; quid mirum, quod etiam parvulus in utero exultet, saliat, & exiliat in exultationem, tantarum gratiarum à Jesu & Maria factus particeps.

§. 14. *Infantis in utero saltus.* De quo arcano, & virtute pleno saltu, pulchre ait S. Greg. Thaumat. Serm. 2 in annunt. Mariæ. *Vox igitur Mariæ efficax fuit, & Spiritu S. replevit Elisabeth: ac velut ex perenni quodam fonte, instrumento linguæ, flumen charismatum, per prophetiam Cognatæ suæ immisit, & pedibus infantis in utero colligatis, saltum & exultationem suppeditavit, quod quidem miraculosi tripudii symbolum, signumque erat.* Saltus enim hic non tam infantis, quam gigantis fuit, terrena omnia transilientis, & ad cœlestia, vel ad Jesum, aspirantis. Qui ad summum bonum cupit pervenire, transilit omnia, saltus hic nil aliud fuit, quam signum ardentis desiderii, quo parvulus jam in utero ardebat laudandi Jesum ac Mariam, saltus hic fuit tessera suavissimi amoris, quo parvulus sensit se accendi ad amandum dulcissimum Cor Immaculatæ Virginis. Hoc saltu infans voluit demonstrare, se sic totum, & præcipue corculum suum offerre Jesu & Mariæ.

§. 15. *Affectuosus Epilogus.* In hoc præcipue hodie imitemur S. Joannem, ut & nos corda nostra ex asse dedicemus amori dulcissimæ Mariæ. Quo solatio id fecerit mellitus Bernardus, refert sermone super Salve Regina in illam voculam. *Dulcedo. O Domina quæ rapis corda hominum dulcore, nonne cor meum Domina rapuisti? ubi quæso posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? O raptrix cordium, quando restitues mihi cor meum? quare sic corda simplicium rapis? quare violentiam facis amicis? nunquid ipsum semper vis tenere? cum illud postulo, mihi arrides, & statim tua dulcedine consopitus conquiesco. Cum in me reversus iterum illud postulo, me complecteris dulcissima, & statim inebrior tui amore: tunc cor meum non discerno à tuo, nec aliud scio petere nisi tuum, sed ex quo, est cor meum tuo dulcore sic inebriatum, guberna illud cum tuo, & in sanguine Agni conserva, & in latere filii colloca: tunc assequar, quod intendo, & possidebo quod spero, quia tu es spes nostra.* Quid gratius, quid suavius, quid amabilius hodie vobis possum proponere? probate, gustate, quoniam suavissima est Maria! Dulcedo dulcedinum est Maria!

CON-

CONCIO LXXV.

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Erat in civitate peccatrix,
Luc. 7. ℣. 36.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVàm subitò, & quàm fervènter; quo fervore & perfectione S. Maria Magdalena se converterit ad Dominum Deum suum. Perfectissimum veræ conversionis exemplar.

§. 1. *Quid significet aqua crassa conversa in ignem. lib. 2. Mach. cap. 1.*

§. 2. *Quod per gratiam contigit in conversione B. Mariæ Magdalenæ.*

§. 3. *Maria Magdalena Phœnix divini amoris, in deponendis transactæ vitæ exuviis.*

§. 4. *Cur S. Magdalena capillis suis se alligaverit ad pedes Iesu.*

§. 5. *Magdalena, exemplo sponsæ abjicientis tunicam suam, perfectam nos docet conversionem.*

§. 6. *S. Petri Apostoli.*

§. 7. *Et S. Magdalenæ perfecta contritio, & lacryma.*

§. 8. *Pœnitentis Magdalenæ fiducia erga Christum D.*

§. 9. *Iterati ejus affectus amoris, erga eundem.*

§. 10. *Admirabilis fervor Magdalenæ, ementis pretiosa unguenta.*

§. 11. *S. Maria Magd. palàm, & in publico confugit ad Christum D.*

§. 12. *Prosecutio.*

§. 13. *Cum ingenti consolatione.*

§. 14. *Quam Deus largitur pœnitentibus.*

§. 15. *Præsertim S. Mariæ Magdalenæ.*

Digitized by Google

§. 1. Quid significet, aqua crassa, conversa in ignem l. 2. Mach. c. 1.

MIrabilis modus, quo ignis altaris, ante Babylonicam captivitatem, in spelunca absconditus, & in aquam crassam commutatus, post reditum populi in patriam, à Sacerdotibus, inflammante Domino fuerit reaccensus, refertur l. 2. Machab. cap. 1. à ✠. 19. *Cùm in Persidem ducerentur Patres, Sacerdotes, qui tunc Dei cultores erant, acceptū ignem de altari, occultè absconderunt in valle, ubi erat puteus altus, & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus.* Post reditum verò, & liberationem ex captivitate Babylonica, non repererunt ignem, sed aquam crassam; Tum Sacerdos Nehemias *jussit altaribus imponi sacrificia, & aspergi illâ aquâ, quam hauserant ex puteo, sicut & ligna. - Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Quæ verba Stephanus Cantuariensis in alleg. Tilmanni accipit, pro renovatione animæ, quæ fit per pœnitentiam in conversione peccatoris. *Accensus est ignis magnus post aspersionem aquæ: quia cùm pœnitens bene recordatur peccati* (addo, cùm ex apprehensione turpitudinis scelerum, cor contritum aspergit aquâ lacrymarum) *accenditur in eo fervens dilectio Dei. Bene autem dicitur ignis magnus; quia ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Sed sciendum est, hoc sacrificium contriti cordis non inflammari, neque exardescere ignem divini amoris, nisi oriente sole, ut tempus affuit, quo sol refulsit, accensus est ignis magnus; à sole crassa illa aqua, accepit vivificos igniculos, quibus accensa rursum fuit conversa in ignem; ut advertamus conversionem peccatoris, in omnibus ascribendam esse Soli justitiæ, qui est Christus Jesus, benedictus in sæcula.

§. 2. Quod per gratiam cōtigit in conversione B. Mariæ Magdalenæ.

Ingens hoc miraculum hodie innovatum cernimus in conversione S. Mariæ Magdalenæ; nam cor ejus fuit veluti puteus, in quo ignis divini amoris per turpem concupiscentiam conversus fuit in aquam crassam & putridam turpissimorum scelerum; ut palàm in urbe Jerosolyma audiret, peccatrix; donec affuit tempus, quo ejusdem cor melioribus fuit aspersum aquis, lacrymis scilicet contriti cordis, ex agnitione gravissimorum scelerum; & dum eodem tempore illi refulsit sol; hoc est, dum bonus Jesus, tem-

Digitized by Google

tempore opportuno, in ferventi Concione, benevolis illam respexit oculis; accensus in illa fuit ignis magnus ardentissimæ dilectionis erga Jesum Salvatorem. Ignis, inquam magnus, quia ubi *abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Quod aliquot punctis hâc Concione vobis ostendam.

Laudo illum Interpretem, qui S. Mariam Magdalenam, in sua conversione vocavit *Phœnicem divini amoris*; cùm ei conveniant omnes circumstantiæ admirabilis illius innovationis, quâ mirabilis hæc avis, postquam consenuit, iterum juvenescit. Ut juvenescat, dum ad rogum se parat, veteres abjicit & excutit pennas. Ut S. Maria Magd. foret exemplar & forma, plenæ & perfectæ renovationis internæ, quam in conversione peccatoris operatur gratia Spiritus Sancti & ignis divinissimi Solis, Christi Jesu Salvatoris; statim, illo momento, quo affulsit illi sol, veteris & sceleratæ vitæ exuvias, nunquam resumendas, deposuit ad pedes Christi. Modum descripsit S. Lucas cap. 7. vers. 38. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, capillis capitis sui tergebat; & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Ita omnia lascivi cupidinis spolia, arcus & sagittas; illa illecebrarum retia, quibus tot animas cœperat, & illaqueaverat oculos, manus, unguenta, labia, aureumque capillamentum; statim novo & dulcissimo amori suo Jesu gemebūda dedicavit. Quod dulcissimo eloquio fusiùs describit S. Greg. M. hom. 33. in Evang. his verbis: *Liquet, fratres, quo illicitu actibus prius mulier intenta, unguentū sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat: sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.* Inter hæc omnia, cùm primis hoc laudandum est, quod felicissima hæc peccatrix, celeri cursu, & statim sine omni mora, hæc spolia & transactæ vitæ exuvias, detulerit ad Jesum. Ex quo radius amoris, & fulgor gratiæ in Magdalenæ præcordiis illuxit,

§. 3. Maria Magdalena Phœnix divini amoris, in deponendis transactæ vitæ exuviis.

xit,

Digitized by Google

xit, statim illi displicuit, vita priùs exacta; & in signum perfectæ conversionis, omnem vestium sæculique pompam à se abjiciens, aufugit ad pedes Jesu.

§. 4. *Cur S. Magdalena capillis suis se alligaverit ad pedes Christi.*

Exod 38. ait vers. 8. *Fecit & labrum æneum de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Ubi Lyra. *Istæ erant mulieres devotæ, quæ veniebant frequenter ad ostium tabernaculi ratione cultus divini; & in signum, quod nolebant amplius intendere ornatui exteriori, obtulerunt specula sua, quorum quædam erant ænea, & de illis factum est vas prædictum. Et specula illa æreis clavis ita fuerunt affixa, & adaptata, ut amplius divelli ad usus prophanos non possent.* Advertite causam, ob quam Maria Magd. postquam specula, gemmas, annulos, catenas, &c. à se abjecit, non solum accurrat ad Jesum: sed quare ad ejusdem pedes, capillis suis se alliget, & velut affigat; ut nimirum ostendat, nolle se amplius intendere prioribus vanitatibus; nolle se amplius indulgere deliciis; sed hærere semper ad pedes Jesu, quibus profectò, non tantùm capillis suis, sed aureis funiculis, & vinculis, ardentissimæ charitatis ita cor suum alligavit, ut deinceps nunquam à sponso suo potuerit separari. Hoc est, perfectè converti ad Dominum Deum suum.

§. 5. *Magdalena exemplo sponsæ, abjiciens tunicâ suam, perfectam nos docet conversionem*

Hoc, quod Maria Magdalena, ut sol illi affulsit, statim à se abjecerit vestes vanitatis, videtur didicisse à sponsa Cant. 5. v. 3. Nocte intempestâ adest sponsus, pulsat ostium, petit sibi apetire portam; addit causam, quod caput suum sit plenũ rore, & capilli guttis noctium. Probabile est, sponsum hoc petivisse suavibus & mellifluis verbis, quibus nihilominus sponsa dura reponit. *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos.* Quid ais, ô sponsa! Sponsus cœlestis adest, stans ad ostiũ & pulsans; & dilectissimo tuo candido, & rubicundo, electo ex millibus non vis reserare ostiũ? surge sponsa! aperi, rue in amplexus sponsi. O si videres! non rore, sed sanguine madidi sunt crines ejus; ob spineum sertum, ejus caput sanguineo irroratur imbre. Propera sponsa, ne dilectus tuus fugiat & avolet, instar hinnuli cervorum salientis super montes. Surge! fortassis in vanum deinde clamabis: *Revertere, revertere dilecte mi!* Sed altissimã sapientiam sponsæ in hac mora subtiliter advertit S. Ambr. l. de Isaac & anima c. 6. *Veretur*

[illegible] *enim*

enim, ne iterum in tentationes resurgat, ne iterum in culpam redeat, atque peccatum: & egressus suos, virtutumque processus, terrenis incipiat vestigiis inquinare Et subdit. *Exui tunicam meam, quomodo induam eam? Exuit enim tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam & Eva post culpam; tunicam corruptelæ, tunicam passionum. Quomodo induam eam? Non requirit ut induat; sed ita significat abjectam, ut jam indumento sibi esse non possit.* Ita exuit & abjecit, ut induere amplius non velit (Describe pulchre, quomodo hæc præstiterit pœnitens Mag. abjecta ad pedes sponsi.) Hoc est, perfecte converti.

Qualis fuerit conversio & pœnitentia B. Magdalenæ ostendunt lachrymæ, quibus lavit pedes Jesu Salvatoris. Post turpissimũ commissum scelus, S. Petrus, ex domo Caiphæ *egressus foras, flevit amare*! Lucæ 22. v. 62. Nimirum statim ut Jesus respexit Petrum, ex corde & oculis ejus elicuit lachrymas. Bonus Jesus suo intuitu, velut jaculo amoris cor Petri momento ita vulneravit & sauciavit, ut in lachrymas defluxerit. Quia ille intuitus Jesu simul fuit jaculum ignitum, quod cor Petri ita accendit, ussit & liquefecit, ut per lachrymas illud obtulerit suo Salvatori. Tanti doloris, tanti amoris, tot lachrymarum causam advertit S. Chrys. hom. 5. in c. 2. ad Rom. *Si Christum sic amaremus, ut amare certe oportet; judicaremus utique amati offensionem, gehenna esse graviorem. Audi igitur, ut Petrus illius amore ustus ardeat, & anima, & vita, & omnibus rebus illum anteponens; quem dum abnegasset, non ob supplicium luxit, sed quod, quem amabat, eum abnegasse se vidisset.* § 6. *S. Petri Apostoli.*

Eodem prorsus modo discurramus de dolore & lachrymis S. Mag. Dum enim jacens ad pedes ejus, simul perpendit dilectissimi sui Jesu offensam, uritur, succenditur; hinc lachrymæ: dum plus dolet, plus diligit: resultat de dolore amor, & de amore dolor! hinc lachrymæ, & dum iterum obversatur animo tantorum criminum memoria; rursum angitur, cruciatur, dolore conteritur: sed dolore dulci, amore dulcissimo. Ecce binos lachrymarum fonticulos, dolor & amor. O si & nos Christum ita amaremus, ut amare certe oportet; exemplo Petri & Mag. judicaremus utique amantissimi nostri Jesu offensam gehennæ cruciatibus esse graviorem. Utique, &c. implora gratiam Spiritus S. ut tibi suggerat tener- § 7. *Et S. Maria Magd. perfecta contritio, & lachrymæ.*

rimum affectum amoris, ex dolore & purissimo amore Dei, & dilectissimi tui Jesu profectum.

§. 8. *Pœnitentis Magdalenæ fiducia, erga Christũ D.* Ingentem fiduciam Mariæ Magdalenæ erga Christum D. inter affectus doloris & amoris, nobis proponit S. Chrysost. postquam enim quasi rimatus fuit intima pectoris, dolore & amore saucii, ait in persona pœnitentis Magdalenæ, tom. 6. *Et ego appropinquabo Deo? sed vereor ego peccatrix accedere ad eum, qui omnis peccati est expers: cœnum ego ac limus; ad ipsum unguentum? at habeo arrhabonam misericordiæ, ipsius vocem dicentem, Venite ad me omnes peccatores.* Peccatrix sum; itaque non me abijciet à facie sua, non repellet à pedibus suis. Eja anima mea surge, propera, appropinqua Christo, stringe fortiter pedes ejus; & quis me separabit? Paulo post S. Chrys. iterum inducit Magdalenam, excitatam ad spem veniæ, exemplo Rahab meretricis. *Novi Rahab meretricem in porta civitatis, misericordiam sui peccati obtinuisse: verum ipsi exploratores filiorum Israel suscipiens pro hospitalitatis mercede vitam recepit. Qui enim servavit illam, Jesus filius. Nunc figuram veri Iesu referebat, bona meretrici pro opere bono donans retribuensque! Si igitur tunc Nomen Iesu, salutem & remissionem peccatorum tribuit; nunc verus Iesus ipse, me peccatricem*! si ad ipsum confugiam, si pedes rigem lachrymis, si unguentis ungam, si capillis tergam · *à se repellet? nec peccata condonabit*? minime certe, surgam, &c. (fiat affectuosa repetitio.)

Atqui ibi Rahab dimisit à se exploratores; ego vero retinere eũ conabor, quem desideravi tanquam Salvatorem animæ meæ.

§. 9. *Iterati affectus amoris erga Christum D.* Venit enim ovem morbidam visitare, errantemque suis humeris invehere, & cœlestibus consecrare. Tandem subjungit S. Chrys. *His affectibus anima aquior facta cucurrit in salutis fontem.* His affectibus flevit, his affectibus, fide, humilitate, dolore, amore, fiducia, lachrymis rigavit pedes ejus, capillis tersit, & millies fuit exosculata. Et ita reperit peccatrix fontem salutis.

§. 10. *Admirabilis fervor Magdalenæ ementis pretiosum unguentum.* Post hæc ex aureo ore S. Chrysostomi fluit aureus sermo Mariæ Magdalenæ ad pharmacopolam, à quo pretiosum emit unguentum; spirans inflammatum ejus amorem erga Christum D. ita ait S. Chrys. *Magdalena puro atque sincero proposito venit ad venditorem unguenti, & dicere cœpit ipsi; quoniam magnus mihi amicus præ cunctis*

ctis filiis hominum advenit, si egregium atque præstantissimum aliquod unguentum habes, da mihi; ut pro dignitate offeram ei, qui merito à me amatur, quique cor meum, ac renes accendit, atque inflammavit; de pretio autem non sit tibi cura. Si oportuerit me cuncta etiam usque ad corpus, & ossa vendere, & dare tibi, promptissime faciam; ut saltem modicum quid habeam, quod illi offeram; qui sic me à peccatorum sordibus purgaturus est. Cumque unguentarius expavesceret ad tantam fidei & desiderii fervorem, & animi alacritatem, de amatore suo perquisivit, quis esset, cujus amore ita flagraret, cujus decorem tanto amore concepto concupisceret; respondit Magdalena, ut S. Chrysostomus pie meditatur. *Hic est Filius David secundum carnem; & propterea conspicuus est, atque spectabilis speciosus forma præ filiis hominum. Hic idem autem est Filius Dei, & Deus ipse! hunc cum non vidissem, audissem tamen de ipso; vulnerata ejus amore sum, ac desiderio. Davidis quidem desiderio, capta Michol filia Saul, regiam reliquit: ego omnes divitias cupio vendere, ut à te unguentum emam - - dummodo præstans sit. Ita accurram ad eum, qui ex David semine propter me pauper factus est. Et accepto unguento, cucurrit fidelis peccatrix, tanquam vocata ad domum Pharisæi.* Quid illustrius? itaque ubi sacra amasia Seraphicis tedis succensa, alabastro, mirificis repleto odoribus fuit instructa, accurrit instar cervæ mugigientis ad fontem, ad Christum D. accumbentem mensæ in domo Pharisæi, totum triclinium replens odoribus, ad abolendum fœtorem suorum criminum, & ita veniam captet, odoraque illecebra Christum apprehendat.

Mox Magdalena majorem ostendit fervorem & audaciam amoris, quam fecerit fœmina hæmorrhoissa, cum à Christo D. obtinuit sanitatem corporis, de qua S. Chrysologus ait Serm. 36. *Inter Dominum & mulierem, furtivæ salutis agitur tam grande commerciũ. Beata, quæ talem reperit accessum, cui nullus possit obsistere.* Et Philo Carp. *Vide mulierem quæ quidem corpore erat imbecillior, sanguinis enim fluxum patiebatur: sed animæ fide valentior, ac fortior: quæ cum extrema vestimentorum Iesu tetigit, sanguinis profluvium sistit & suæ infirmitatis morbo finem imposuit.* Et iterum eleganter S. Chrysologus Serm. 33. *Inter bella cogitationum, solam salutis viam, ut furaretur,*

§. II. S. Maria M. palam & in publico confugit ad Christum D.

furaretur, invenit. Vt raperet tacita, quod petere non valebat: & quæ non merebatur corpore, corde perveniret ad medicum: fide Deum, manu tangeret vestimentum, sciens hanc fraudem, non solum veniam, sed & remedium præstituram. Pium latrocinium, quod ministra fide, fide attrahente committitur. Ita felix mulier apud Christum D. reperit remedium & sanitatem, tangendo fimbriam vestimenti.

§. 12. *Magdalena.* Alio modo hanc gratiam apud Christum D. reperit Magdalena. Ecce non furtive, & in occulto; sed palam in domo Pharisæi, in publico triclinio, inter Dominum & Magdalenam peragitur grande mysterium salutis. O Beatam Magdalenam, quæ talem reperit accessum, quem nullus potuit impedire. Fide firma, spe & fiducia fortis, ardens charitate, fragrans Seraphicis desideriis; non vestimenta tantum Jesu tangit, sed pedes rigat lachrymis, tergit capillis, stringit & ita gravissimæ infirmitatis morbo, & sanguineo scelerum profluvio finem imponit. Inter timidas ob gravia scelera cogitationes & timores hanc invenit salutis viam; accurrere ad Jesum gemere, flere, lachrymari, rigare pedes, tergere capillis & inter suavia basia odoratissimis inungere unguentis. Humiliato & contrito corde, demisso ad pedes corpore, pervenit ad medicum, & audire meruit desideratas voces, *Remittuntur ei peccata multa, quia multum dilexit.* Gaudet bonus Jesus his mediis se pie & suaviter cogi, ad recipiendos peccatores, & perditas oviculas. Ita Magdalena reperit salutem.


§. 13. *Cum ingenti consolatione.* Non sine ingenti solatio. Nam juxta v. 19. Ps. 93. Magdalena *secundum multitudinem dolorum* suorum *in corde suo, consolationes ejus lætificaverunt animam ejus.* Juxta mensuram pœnitentis cordis, & juxta modum & numerum lachrymarum, bonus Jesus fuit illi impertitus consolationes. D. Hier. *Hoc regius Psaltes dicere voluit: cogitemus idem dicere Magdalenam: Quoties egi pœnitentiam, toties me consolatus es: Vnam fudi lachrymam: unam merui consolationem, decem fudi lachrymas, decem merui consolationes. Quantumcumque fuit pondus pœnitentiæ, tantus fuit consolationum numerus.* In Mag. impletum fuit illud S. Ambrosii in Ps. 47. *Pius Iesus in illud cor, in quo innumerabilium peccatorum germina pullulabant; ubi erat mæror, tristitia, & gemitus, exultationem diffudit. Magdalena conscientia,*

qua

quæ ante flagitiorum suorum gurgitibus demersa lugebat; nunc per indulgentiam Christi, & remissionem peccatorum, metu absoluta lætatur. Talia oblectamenta secum deportat in cor contritum & humiliatum, dulcis hospes animæ, dulcissimus Jesus.

Quam munificentiam, peccatori recens converso collatam, admiratus David, ait Ps. 8. ℣. 5. *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Visitationem vocat solatium, & levamen; quo Deus pœnitentiam à mœrore, & anxietate erigit. Piè & acutè S. August. *Hic filius hominis est homo novus, quem pænitentia parturit, cum dolore & gemitu.* Tum ait: *Visitat verò filium hominis, cui sub protectione alarum suarum posito: prætendit misericordiam suam; & in lumine suo, lumen præbet; & eum deliciis suis potat, & inebriat ab ubertate domus suæ, ad obliviscēdas ærumnas, & errores præteritæ conversationis.* O felicem peccatricem Magdalenam! quamprimùm abjecit se ad pedes Jesu; bonus Jesus, &c. (fiat ex dicta sententia pius affectus. v.gr. Maria Magd. inebriata cœlestibus deliciis, oblita scelerum, totam se impendit amori sui dulcissimi Jesu.) §. 14. *Quam Deus largitur pœnitentibus.*

Quod S. Greg. M. l. 23. c. 13. dixit: *Consideranti menti, & sese per pænitentiam laceranti, quædam plagæ percussionis, sunt lamenta compunctionis, &c. Sed perfectam animam, ista compunctio, afficere, familiariùs solet.* Deinde his plagis & percussionibus pœnitentiæ, quanta lætitia & gaudium accedat, aperit dicens: *Vnde aliquando ad inusitatam dulcedinem interni saporis admittitur, ac raptim aliquo modo, ardenti spiritu afflata renovatur. Tantoq; magis inhiat, quantò magis, quod amet, degustat; atq; hoc intra se appetit, quod sibi dulce sapere intrinsecus sentit.* Et miramini? Magdalenam se prosternere ad pedes Christi? hoc contrito ejus cordi dulce sapit! illam flere, profundere lacrymas? hæ lacrymæ dulce sapiunt! Et suspirare? dolendo? amando? hæc suspiria dulce sapiunt, &c. hoc modo fiat affectuosissimus Epilogus; Consideranti Magdalenæ, &c. est locus pro pulchra repetitione, &c. §. 15. *Solando peccatrices pœnitentes, præsertim Mariā Magdalenam.*



CONCIO LXXVI.

FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?
Matth. 20. ỳ. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS.

Bibere calicem paſſionis, ſive, pati pro Chriſto, eſt glorioſiſſimum.

§. 1. *Nihil eſt glorioſius, quàm pati pro Chriſto.*

§. 2. *Spiritus glorioſus requieſcit ſuper illos, qui patientes ſunt in tribulationibus.*

§. 3. *Crux, gloria Chriſti Domini, & merces.*

§. 4. *Elegans apoſtrophe ad Chriſtum D.*

§. 5. *Tribulatio, aurea catena in collo & pectore ſponſæ.*

§. 6. *Vincula S. Pauli glorioſiſſima.*

§. 7. *Vincula pro Chriſto tolerata, ſunt margaritæ.*

§. 8. *Sponſa, quare comparetur lilio.*

§. 9. *Sanctis Martyribus glorioſum fuit pati.*

§. 10. *Tribulatio confert regiam dignitatem.*

§. 11. *Tribulatio perficit omnes virtutes. Quod per ſimile demonſtratur.*

§. 12. *Tribulatio auget ſuavem odorem virtutum.*

§. 13. *Epilogus.*

§. 1. *Nihil eſt glorioſius, quàm pati pro Chriſto.*

Dignius nihil, nihil illuſtrius in hoc mundo excogitari poteſt, quàm bibere calicem, quem bibit Chriſtus D. hoc eſt, tribulationes pro Deo & Chriſto Jeſu perpeti. Ita viſum fuit Apoſtolorum Principi S. Petro, cùm dixit

ep. 1.

ep. 1. cap. 4. ℣. 14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.* Ita visum S. Paulo, cùm in vinculis gloriatur; cùm ad Galat. ausus fuit dicere, *absit mihi gloriari, nisi in cruce Christi.* Ita visum fuit Senecæ, cùm dixit l. de provid. c. 4. *Avida est periculi virtus, & quò tendat, non quid passura sit, cogitat. Quoniam quod & passura est, gloriæ pars est. Militares viri gloriantur vulneribus.* Vir militaris sub vexillo S. Crucis fuit v. gr. S. Paulus, ideò gloriatur vinculis; Vir militaris & generosus athleta fuit S. Laurentius, ideò gloriatur assatus super prunas. Gloriosus pugil S. Jacobus, ideò gloriatur se bibisse calicem Domini. Emphasis latet in citatis S. Petri verbis: *Quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, & ejus Spiritus.* Id est, vera & animata gloria est pati pro Deo, quasi reliqui honores, & ornamenta sint gloria fucata, ementita, & emortua, præ honore crucis Christi. Unde, ut ante dixi, S. Paulus dixit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Christi*; quod est dicere, absit, ut alia mihi gloria sit, vel gloriatio, nisi quam præ se fert Crux Christi. S. August. serm. 20. de verbis Apost. *Poterat Paulus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret, poterat in majestate, in potestate, & verum diceret, sed dixit in cruce, ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit.* Ita & hodie in paupertate v. g. pauperes spiritu reperiunt thesaurum, in morbis reperiunt thesauros (sic de aliis persecutionibus) S. Stephanus reperit thesaurum inter lapides, S. Laurentius inter prunas, S. Paulus in vinculis, S. Jacobus in calice Christi. Sed quare? respondet Cyrillus Hierosol. Catechesi 13. *Gloriatio gloriationum est crux, quod sciens Paulus ait, mihi absit gloriari, nisi in cruce Christi.* Ac si diceret, ideò Paulus non gloriatur in sapientia, in potestate, quia quicquid est honoris & gloriæ, & majestatis, & virtutis nomen in iis, cumulatissimè in cruce reperitur, quæ gloriatio gloriationum est. Unde S. Chrysostom. *Qui in cruce Christi non gloriatur, omnium insipientissimus est.* Et Drogo de Sacr. Dom. Pass. ad Christum Dominum. *Crux gloria tua! qui erubescit crucem tuam, erubescit gloriam tuam.* Cùm benevolos spectem Auditores, hunc discursum fusiùs exornabo.

Verba

Digitized by Google

§. 2. *Spiritus gloriosus, requiescit super illos, qui patientes sunt in tribulationibus.*

Verba posteriora S. Petri ex citat. versu 14. cap. 4. ep. 1. *Et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit*, Syriaca lectio eleganter sic vertit: *Beati estis, cùm tribulamini - quoniam Spiritus Dei gloriosus requiescet super vos.* At quis ille Dei gloriosus Spiritus? non alium credimus, quàm Spiritum S. qui extrinsecè gloriosissimum se exhibuit, cùm super Christum, crucem & mortem patientissimè perferentem, requievit. Qui Spiritus Sanctus sanctissimam Christi Humanitatem animavit, ut atrocissima tormenta perferret pro redemptione humani generis. Quo cit. Cyrillus Catech. 13. trahit illa verba S. Joannis. c. 12. v. 13. *Venit hora, ut clarificetur filius hominis*; ad hunc modum. *Non quod prius non haberet gloriam, glorificatus enim erat gloriâ ante mundi constitutionem, sed glorificabatur, tanquam Deus semper, nunc verò glorificatus est, patientia ferens coronam.* En Spiritum Dei gloriosum, qui super justos, & præsertim super ipsorum antesignanum Christum requiescit. Unde S. Paulus dicere voluit, quid mihi gloriosius, honorificentiusque esse potest, quam cruci Christi affigi, ut Spiritus Dei gloriosus super me requiescat.

§. 3. *Crux gloria Christi Domini, & merces.*

Profunda est speculatio SS. PP. præsertim S. Chrysostomi, qui meditantur crucem vel mortem crucis Filio à Patre fuisse præparatam, tanquam magnam gloriam, & immensum quoddam pretium, in compensationem illius amoris, quo pro genere humano voluit mori. Fundant hunc discursum in verbis S. Pauli ad Hebr. c. 2. ℣. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. His verbis ostendit S. Paulus*, (inquit S. Chrysost. hom. 4. ep. ad Hebr.) *quod crux sit honor & gloria, quomodo quidem certè, & ipse eam sæpe vocat, dicens, ut glorificetur filius hominis*; subdit rationem Apostolus: *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum, per passionem consummare.* Ut hæc verba clarè intelligantur de Christo D. S. Athanasius illa sic transfert: *Decebat enim eum - multos filios in gloriam adducentem, cùm Princeps auctorq; salutis eorum esset, passionibus consummari*; quod verbum sive activè, sive passivè sumatur, nil aliud est, quàm aliquem perfectum & gloriosum reddere, vel reddi. Unde is resultat sensus, ut S. Paulus

voluerit

Digitized by Google

voluerit, maxime conveniens dignumque fuisse, ut is, propter quem glorificandum Deus omnia creavit; summa hac & inenarrabili gloria afficeretur, ut pro Dei honore crucem subiret. S. Chrysostom. *Fecit quæ digna erant sua benignitate, quod omnibus illustriorem fecerit primogenitum.* Subdit. *Si ergo Deus hoc primum eum honoravit, quod per passiones deduxerit, carnem suscepisse, eaque suscepta passum esse, est longe majus, quam revera mundum fecisse & ex nihilo produxisse.*

Super verba illa Christi D. Joan. 17. v. 5. *Clarifica me pater*, ita illum alloquitur S. Chrysostom. hom. 5. de Job. tom. 1. *Quid dicis? ad Crucem duceris cum latronibus, maledictam sufferre crucem, conspuendus colaphis, & hæc gloriam appellas?* ita inquit, *pro dilectis patior, meritoque hac eadem gloriam existimo.* Et infert. *Si enim Dominus meus miseros & ærumnosos amans, gloriosam rem vocat pati multo ipse magis hac gloriam existimare debeo.* Et ita S. Paulus vincula sua existimavit ingentem gloriam. §. 4. *Elegans apostrophe ad Christũ D.*

Jucunda est quæstio, quidnam vel quale donum sponsus promiserit sponsæ, cum illi ait Cant. 1. v. 10. *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Conveniunt præcipue Interpretes, murænulas fuisse ornamentum colli, quod dicitur torques vel aurea catena, singularis honoris insigne. Premo præcipue, cur sponso placuerit aurum, cur non aliud quoddam metallum, cur non gemmæ, respondet Tertullian. de hab. mul. *Aurum, terræ nomen in igne reliquit, atque exinde de tormentis ad ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores, metalli refuga mutatur.* Petrus Cellensis ait, *aurum igne clarescit, malleo proficit, passione dulcescit, morte virescit, & in pretio, omni pretio pretiosius elucescit.* Advertis sponsum desiderare à sponsa, ut si velit esse formosa & ornata, si gloriosa, si decora, ut per ignem tribulationis fiat similis auro. Vis id enucleatius intelligere, subdit sponsus. *Vermiculatas argento.* LXX. legunt, *cum variis notis, sive stigmatibus.* Quæ vero hæ notæ, sive stigmata sint, dilucide explicat Sanctus Paulus ad Gal. cap. 6. vers. 17. *Ego enim stigmata Domini IESV in corpore meo porto.* Philo. *Nam quod* §. 5. *Tribulatio, aurea catena in collo & pectore sponsæ.*

Digitized by Google

de Martyribus intelligat, vide notas argenti, seu puncta, sive stigmata esse apposita post aurum; quæ quidem stigmata, ac notæ, flagella ac tormenta pro Christo Iesu passorum apertissime declarant. Quod & Paulus confirmat, cum dicit, *ego gloriabor in infirmitatibus meis.* Ergo flagella, vibices, plagæ Paulo inflictæ, vincula injecta regius illi torques, & summæ dignitatis insigne est, in quo merito gloriatur; unde ipse emphatice dixit, *Porto*, ut ibi annotavit S. Chrysostom. *Non dixit habeo, sed porto, tanquam aliquis de trophæis glorians, signisque regalibus* (applicentur hæc aureo calici S. Jacobi.)

§. 6. *Vincula S. Pauli gloriosissima.*

Idem S. Chrysost. hom. 9. in cap. 4. ad Ephes. augustiorem & magnificentiorem sibi esse Pauli catenam, quam regiam pompam atque ornamenta sic affirmat: *Magna est vis catenæ Pauli, sufficit pro omnibus hoc spectaculum, Paulum videre vinctum, & educi è carcere, videre vinctum & intus sedentem; quæ voluptate non est hoc majus? quo pretio rem non æstimaverim? non videtis Reges & consules curru gestari? & aurum gestare, & satellites omnia habentes aurea aureas lanceas, aureos clypeos, equos aureis ornatos ephippiis? quantum est hoc spectaculum illo jucundius? mallem semel videre Paulum è carcere exeuntem cum vinctis, quam millies illos deductos cum illa satellitum stipantium caterva.* Alio in loco plus rem auget, ipsismet paradisi gaudiis & honoribus Pauli vincula longe anteferens. *Non eum* (ait homil. 5. de patient. Job) *sic dico beatum, quod tertium usque cælum, & in paradisum raptus est, quemadmodum quod in vincula conjectus sit, non enim beatum dico, quod audierit arcana verba, quemadmodum quod vincula sustinuerit, etenim hac illis longe majora; eligibilius namque mihi est, mala pati pro Christo, quam honorari pro Christo.*

§. 7. *Vincula pro Christo tolerata sunt Margarita.*

Quod si in præfato Cantic. loco pro, *muranulis aureis*, legas cum Pagnino *margaritas aureas*, vincula apprime exprimis ex Sancto Ignatio Martyre; ep. ad Eph. eo nomine vincula sua sic compellans: *Is* (Christus) *mea gloriatio, & denique indeficientes meæ divitiæ, in quo vincula, à Syria ad Romam usque circumfero, spirituales margaritas.* Cujus vestigia premens S. Cyprianus

Digitized by Google

prianus MM. ſic alloquitur: *Impoſuerunt quoque compedes pedibus veſtris, & membra ſelicia, & Dei templa infamibus vinculis ligaverunt, quaſi cum corpore ligetur & ſpiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur: dicatis Deo hominibus, & fidem ſuam religioſa virtute teſtantibus, ornamenta ſunt iſta, non vincula, nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam.* Certe hac ratione ad confeſſorum vincula, dum in carcere detinebantur, oſculanda primævos Chriſtianos nonniſi proſtratos ac reptantes, tanquam ad rem ſacram acceſſiſſe, abunde ſcimus ex Tertulliano. Applaudit iterum S. Cyprianus ep. ad Thibaritanum. *Prꝫliantes nos & fidei congreſſione pugnantes ſpectat Deus, ſpectant Angeli, ſpectat & Chriſtus! Quanta eſt gloriæ dignitas, quanta felicitas præſente Deo congredi, & à judice Chriſto coronari.* (ornetur Calix S. Jacobi elegantibus margaritis.)

Hinc ſponſa variis tribulationibus divexata, Cantic. 2. verſ. 2. cum lilio pulcherrimo, & in ſceptri formam conſurgente, ſic componitur: *Sicut lilium inter ſpinas, fic amica mea inter filias.* Ubi Chaldæa paraphraſis de tribulationibus ac tormentis ſic expreſſe accepit. *Comparata ſunt roſæ, quæ germinat inter ſpinas, à quibus perferuntur, & rumpuntur folia ejus,* at quam egregiam claritudinem & gloriam lilii imago præ ſe fert? audi Chriſtum Matth. 6. verſ. 29. *Nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis. Ubi Rex opulentiſſimus* (ſunt verba S. Ambroſ.) *& ſapientiſſimus inferior judicatur, quam floris hujus pulchritudo eſt.* Hæc & talia dicenda potius ſunt, qui pro Chriſto vincula & tribulationes patiuntur; quod fecit S. Cyprianus allocutus Martyres per totum annum in carcere detentos. *Eant nunc Magiſtratus & Conſules, ſive Proconſules, & annuæ dignitatis inſignibus, & 12. faſcibus glorientur. Ecce dignitas cœleſtis in vobis honoris annui claritate ſignata eſt, & jam revertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ dignitate transgreſſa eſt.* §. 5. *Sponſa quare comparetur lilio.*

Cum auctor vitæ S. Fulgentii enarraſſet beatum illum virum pro Chriſti fide crudeliter ab impio Atrii miniſtro una cum §. 6. *Sanctis Martyribus*

 Socio

Socio Felice diverberatum, subindeque abrasis per contumeliam capillis, ablatisque vestimentis, nudos ludibrio, & ignominiæ expositos fuisse ejectos, scite ait. *Sed nec illa decalvatio, viris Sanctissimis turpitudinem, nec nuditas attulit confusionem, quia tolerata propter amorem religionis injuria, prima jam confessionis decoraverat ornamento.* Acsi diceret, quonam modo indecori aut nudi videri poterunt, qui regio tribulationis amictu, splendentique plagarum, quas pro Christo pertulerant, purpura jam ante circum ornati erant.

§. 10. *Tribulatio confert regiam dignitatem.* Similem locum invenies Cantic. 4. vers. 3. Ubi sponsæ genæ, quæ ex mente Interpretum gloriosos Martyres adumbrant, fragmini mali punici comparantur, *sicut fragmen mali punici genæ tuæ. Ostendit* (inquit Beda) *colorem puniceum* (scilicet Ecclesiæ) *in genis, cum prima & eminentiora ejus membra; id est, Martyres sancti sanguineum fundunt pro Christo.* Sed cur Martyres cum malo punico, corona ornato comparentur, quid aliud quam regia eorum dignitas, & ornamentum designatur, ita Greg. Nyss. lib. de beatitud. *Beatus judicatur, qui persecutionem patitur, quippe ea persecutione regiam dignitatem illi conciliante.*

§. 11. *Tribulatio perficit omnes virtutes Quod per similia demonstratur* Utilitas tribulationis ingens, sine qua vix ulla virtus maturescit. Tribulatio omnes virtutes perficit. Pulchris utuntur auctores similibus. v. g. Plinius. *Ficus prædulcis, scalpenda est ferreis unguibus, aliter non maturescit.* Seneca lib. de Provid. cap. 4. *Quid miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit; fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt.* Ita de viro justo, veluti viti, loquitur. S. S. Zeno. Veron. Episcopus. *Vi tempestatis, solis, atque imbris ad maturitatem cogitur.* S. Cyprianus lib. de bono patientiæ. *Tolle charitati patientiam, & desolata non durat* (idem dic de quavis virtute) *tolle sustinendi, tolerandique substantiam, & nullis radicibus ac viribus perseverat.* Elegantissime S. Gregor. hom. 15. in Eu. *Sic non calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur. Sic oliva contusionibus expressa amurcam suam deserit,*

rit, & in olei liquorem pinguescit; sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perveniunt. Quisquis ergo appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare, ut tantò post ad Iudicem mundior perveniat, quantò nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat. (Applicantur hæc iterum calici S. Jacobi.)


Quæ videtur fuisse mens Sponsi Cant. 3. vers. 6. cùm perfecti viri animum cum virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris componit, nam virgula, non utcunque sumpta, sed accensa, exusta, & ex incendio fumante, suavem exhalat odorem, ut innuatur animam absque igne tribulationis esse marcidam, ac velut emortuam! at verò cum labore aduritur, novam veluti vitam accipere, & suavissimum virtutis emittere odorem. certè ut virgulæ aromatum, dum non accenduntur, marcidæ & velut emortuæ sunt; at verò cùm ardent, sic spirant, ut vivere videantur, sic virtus igne tribulationis non purgata & accensa, languida est & remissa, accensa autem flagrat, reviviscit, floret, spirat, splendensque conspicitur. Ita S. Ambros. de quibusdam sanctis Martyribus. *Granum sinapis Martyres nostri sunt, habebant odorem fidei, sed latebant; venit persecutio, colla flexerunt, contriti gladio, per totius terminos mundi gratiam sui spiravere martyrii.* Lactantius hoc utitur simili. Sicut aqua semper jacens & quieta, insalubris & magis turbida est, sic animus immotus & torpens inutilis est, etiam sibi. S. Ambros. serm. 1. S. Laurentium eleganter componit, & ait: *Granum sinapis cùm teritur, accenditur; Laurentius, cùm patitur, inflammatur: illud fervorem attritionis suæ evomit, hic ignem plurimâ vexatione suspirat* (applica sancto Jacobo.) §. 12. *Tribulatio auget suavem odorē virtutum.*

Solatio plena sunt verba Senecæ lib. de provid. cap. 4. *Gubernatorem in tempestate; in acie militem intelligas*; unde possum scire, quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis affluis? unde possum scire, quantum adversus ignominiam & infamiam, odiumq; populare constantiæ habeas, si inter plausus senescis? si te omnium favor sequitur? En virtutum scintillas latentes, donec adversitatibus excutiantur. Ad hunc finem in hodierno Evan- §. 13. *Epilogus.*

 gelio,

Digitized by Google

gelio, S. Jacobo, & nobis omnibus à Christo D. propinatur calix passionis. (potest fieri affectuosus epilogus, v.gr. Hunc calicem bibite, & eritis gloriosi, cum simili dictorum repetitione gestabitis in collo murænulas aureas.)



CONCIO LXXVII.

FESTO S. IGNATII, SOC. JES. FUNDATORIS.

Sint lumbi vestri præcincti,
Luc. 12. ℣. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS.

LAudat eximiam S. Ignatii charitatem erga proximos, præsertim miseros & egenos: imò inimicos.

§. 1. *S. Ignatius alter Elias in vita & morte.*
§. 2. *Propositio.*
§. 3. *Charitas & misericordia erga proximum reddunt nos Deo similes.*
§. 4. *Igneum in S. Ignatio desiderium imitandi Christum.*
§. 5. *Præsertim in compassione erga afflictos; quam Christus D. verbis & exemplo nos docuit.*
§. 6. *Quanta hujus charitatis perfectio in S. Ignatio.*
§. 7. *Prosecutio.*
§. 8. *Dicta & facta S. Ignatii plena charitate.*
§. 9. *Prosecutio.*
§. 10. *S. Ignatii mira erga inimicos benevolentia.*
§. 11. *Magna ejusdem erga omnes miseros dilectio.*
§. 12. *Sancti, sicuti cæli sidera fulgent pulcherrimis radiis virtutum, ut in illas conjiciamus oculos.*

Ho-

Digitized by Google

HOdiernum diem solenni celebramus festivitate; eò quod hâc eâdem luce gloriosus S. Ignatius, in lectulo doloris divinâ providentiâ solus, ab omnibus inter ardentes preces & ignita suspiria, & ferventissimos actus divini amoris relictus, nominando dulcissimum nomen Jesus, per SS. mortem, mundissimam animam suam, tradiderit in manus Salvatoris; à quo inter applaudentium Angelorum choros; inter suavissimos odores, ad cœlestem Paradisum, ad paratum solium ingentis gloriæ, deducta & collocata fuit. Eusebius Emissenus triumphalem Christi D. ascensum ad cœli palatia, eleganter conferens cum ascensione Eliæ ait hom. 7. de Paschate. *Legimus beatum Eliam curru igneo ad superna præreptum: hæc omnia implentur in Christo, ecce iterum Elias noster igneo Divinitatis vehiculo ascendit in cœlum.* Ignis scilicet & divinitas hanc habent qualitatem, & insignes sunt vectores, ut sursum elevent, & ad cœlestia rapiant. Liceat mihi hodie simile aliquid dicere, de igneo & gloriosissimo meo Ignatio. Elias igneo curru raptus est in cœlum, dico, hoc impletum fuisse in morte S. Ignatii. Totâ vitâ suâ S. Ignatius à prima conversione, fuit igneus Elias, proinde etiam in morte in igneo curru divini amoris, & charitatis erga proximum, per beatissimam mortem zelosissima & ignea ejus anima rapta fuit in altum, ad conspectum Sanctissimæ Trinitatis, cujus gloriæ in terris tanto zelo, tam ardentibus suspiriis semper desideravit. Divini amoris flamma, seraphicus ardor, quo semper flagravit, igneus fuit illi currus, in quo ad superos evolavit. Ab hoc curru puto cecidisse, veluti scintillas, lucidissimas illas stellulas, quibus sancti Angeli, loco florum, sanctum ejus cadaver in tumba asperserunt; ut illæ cœli gemmæ, nobis essent lucidissima specula, eximiarum virtutum, quibus S. Ignatius nobis præluxit in terris, & lucebit in omnem æternitatem. *§. 1. S. Ignatius alter Elias in vita & morte.*

Lucidissima stella in S. Ignatio fuit v.g. profundissima illius humilitas; lucidissima stella, cœca obedientia; lucidissima stella, invicta patientia; lucidissima stella, Seraphicus in Christum D. amor, lucidissima stella, divinæ gloriæ infatigabilis zelus, quarum stellarum, quarum virtutum pulcherrimum splendorem aliàs meis *§. 2. Propositio.*

Digitized by Google

meis Auditoribus spectandum præbui. Et ecce dum pectus S. Ignatii curiosis, sed piis oculis intueor, venustissimam aliam conspicio stellam, hoc est, ardentissimam S. Ignatii charitatem erga proximum, & præsertim erga pauperes, egenos, ægros, afflictos; in qua, quam S. Ignatius, dum vixit in terris, fuerit eximius, in præsenti panegyri fusiùs exponam. Dum video me versari inter stellas; occurrit mihi, quod legi in P. Nadasi 28. Jan. in anno cœlesti, de S. Joanne Abbate, cujus precibus quidam Theubertus, diu mutus, usum linguæ rursum obtinuit; hoc modo. *Igniculus quidam, instar ardentis stellæ, è sepulchro sancti Abbatis prodiens, claustrum oris, ictu validissimo percussit, & cepit loqui.* O sancti Angeli, qui pompam funebrem S. Ignatii suavissimâ melodiâ ornastis; qui ejus cadaver stellulis aspersistis; unicâ tali stellulâ; (sed cupio ut ardeat, & ut ardere me faciat) percutite linguam meam, ut de S. Ignatii erga proximum dilectione loquatur gloriosa. Et hoc ad majorem Dei gloriam.

§. 3. *Charitas & misericordia erga proximum reddunt nos Deo similes.*

Suppono, verissima esse, quæ Sancti Patres dicunt de perfectione; excellentiâ & præstantiâ illius virtutis, quæ vocatur charitas, dilectio, pietatis affectus & compassio erga miseros, sive corporis, sive animarum miserias spectemus. Et ut multa paucis constringam, placet mihi S. Chrysostomus, dum t. 5. hom. 33. de arte misericordiæ ait: *Quid opus est, omnia particulatim dicere artis hujus merita? Hæc namq; te docet, quomodo possis Deo similis fieri, quod est omnium summa bonorum.* - Hæc dilectio - *inabsumptos parat thesauros - facit ut mors superetur, diabolum cohibet, Deo reddit similes.* Tomo 2. in S. Matth. c. 11. hom. 38. super illam sententiam: *Estote misericordes, sicut & Pater vester*, ait: *Cùm pleraque alia dixit* (hoc est, Christus D. varias commendavit virtutes) *de nullo id, præterquam de misericordia dixit: sitis misericordes, sicut Pater vester: nihil enim certè nos usq; ad similitudinem Dei sic effert, atque extollit, quemadmodum libera beneficia, & copiosa collatio.* Eadem inculcat t. 4. 2. ad Timoth. c. 2. hom. 6. *Solum denique pietatis, ac miserationis est studium, quo Deo æquales* (suo modo) *evadere possumus - - non enim ait, si jejunaveritis, aut oraveritis, - Patri vestro similes eritis, nihil enim hujusmodi in Deũ cadit, neq; aliquid tale operatur Deus. Sed quid? estote*

Digitized by Google

estote misericordes, sicut Pater vester, qui in cœlis est. Istud Dei opus est: hoc si desit, quid habes? Misericordia est proprius character filiorum Dei; Et Clemens Alexandr. lib. 4. strom. cap. 3. *Misericordia est quid divinum. Ad Deum proxime accedunt, qui proximi miserentur.* Quæ de Deo dicuntur, intelligenda sunt de Christo D. Quomodo illi possimus fieri similes; hæc dilectio docet. Nihil ad illius similitudinem hic effert, atq; extollit, quemadmodum libera & copiosa beneficia egenis collata. Istud fuit opus Christi D. ideo factus est homo, ut hujus virtutis exemplum nobis proponere posset.

Quale & quam incensum desiderium imitandi Christum D. in hac virtute fuerit in S. Ignatio, patet ex undecima regula summarii, ubi ait: *diligenter animadvertant oporret* (magni faciendo, summique momenti id esse, ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri,) *quantopere juvet ac conferat, ad vita spiritualis profectum omnino & non ex parte abhorrere ab omnibus quæ mundus amat, & amplectitur, & admittere concupiscere totis viribus quidquid Christus D. noster amavit & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt & quærunt magna cum diligentia, honores scilicet, famam, sicut mundus eos edocet, sic qui procedunt in Spiritu, & serio Christum D. nostrum sequuntur; amant & ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria sunt, indui nimirum eadem veste, atque insignibus Domini sui pro ipsius amore, ac reverentia; adeo ut* (citra culpam) *omnia pati, ac stulti haberi velint*; Tandem S. Pater addit causam, ob quam à suis filiis tantam, tam sublimem & arduam exigat perfectionem, eo quod exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque vestibus & insignibus indui; quandoquidem illa ipse, propter majorem profectum nostrum spiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus quoad ejus fieri poterit, divina gratia aspirante, eum imitari & sequi, cum vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus. In hac regula vir sanctissimus posuit solidissimum fundamentum, supra quod deinde erexit spiritualem domum tam sublimium, & eximiarum virtutũ, inter quas charitas & comiseratio,

§. 4. *Igneum in S. Ignatio desiderium imitandi Christum.*

Digitized by Google

erga pauperes & afflictos, Ignatii cor, pectus, manus, pedes, verbo totum Sanctum Ignatium occupavit. In cujus virtutis exercitio Christum Jesum dies noctesque veluti speculum & exemplar habuit præ oculis.

§. 5. *Præsertim in compassione erga afflictos, quam Christus D. verbo & exemplo nos docuit.*

Requisitus Jesus, quis proximo exhiberet verum amorem; postquam de Levita & sacerdote quodam dixisset, quod homini à latronibus vulnerato, nullam exhibuissent compassionem, ait: *Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & videns eum misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus; infundens oleum & vinum, & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit.* S. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 5 per hunc Samaritanum intellexit Christum D. *qui supra jumentum suum* (hoc est, super humeros suos ut mox dicam,) *imposuit vulneratum, in quo ejus peccata vexit omnia, nec ovem pastor despexit errantem.* Vere Samaritanus, hoc est, *custos infirmorum.* Unde cum Pharisæi, acerrimi Christi hostes, duo illi obiicerent, quod haberet dæmonium, & quod esset Samaritanus, contra primam contumeliam se defendit, ad alteram subticuit. S. Augustin. *Non se negavit infirmi custodem*, & talem se ostendit, *dum* (Hugo Cardinal.) *appropians mente ac corpore alligavit vulnera ejus, necessaria tribuendo, infundens oleum compassionis, & vinum consolationis*, (pretiosissimus enim sanguis, quem piissimus Samaritanus pro nobis effudit, nunquid est pretiosum oleum, & præstans vinum?) *& imponens illum in jumentum suum, id est, portans per compassionem, & subventionem onus ejus.* Pulchre Asterius Episcopus. *Quid autem est jumentum, quo semivivum ac animam agentem ad hospitium Salvator deduxit, nisi Caro, in qua ad nos venire dignatus est; quæ fuit quasi vehiculum quoddam aut divini Verbi jumentum; in qua & per quam omnia sustinens, ac tolerans, pro plena morbi depulsione, ad hospitium, id est, Ecclesiam, ubi perfecta vulnerum curatio consummatur, deducit.* Hæc est parabola in qua Christus Dominus verbo & exemplo, nos docere voluit charitatem & dilectionem erga proximum, præsertim in miseriis constitutum.

Legite

Digitized by Google

Legite in vita S. Ignatii, quænam post institutam Societatem, Romæ, Venetiis, Bononiæ, per se, per suos egerit ad demonstrandum amorem erga pauperes & miseros, v. g. cum aliquando in urbe frumenti tanta esset caritas, ut multi aut fame interierint, aut viribus consumpti in plateis passim jacerent, an non S. Ignatius ut huic malo quantum posset, mederetur, per se, per suos undique corrogavit pecuniam, an non panem conquisivit, an non herbas in pulmentum conscidit? deliciæ Ignatii erant, mendicorum hominum maximam cogere turbam, perducere domum, abluere pedes, inedia affectos cibo reficere, ulcerosos curare, nullum denique officium omittere, quod tum ad corporis, tum ad animi curationem pertineret. Unde aliquando accidit, ut tota domus ita compleretur, ut vix caperet, cum trecenti quadringentive in strato humi fœno jacerent. O pulchrum spectaculum, videre Ignatium, veluti cœlestem Samaritanum, velut imitatorem Jesu, appropiantem ad pauperem maxime fœtidum & ulcerosum. Tum enim ex visceribus cordis, movebatur ad misericordiam & compassionem. Hos accedebat, alligabat vulnera, infundens oleum compassionis, & vinum consolationis. Imo factus est jumentum, dum suis humeris ægros portavit de lecto ad lectum. *Communis omnium Pater* (quod S. Chrysostom. de Jobo affirmavit) *communis omnium portus, communis omnium medicus, calamitosorum atque egentium omnium commune perfugium, cæcorum oculus, claudorum pes, juvamen & auxilium omnium, qui manci, membris capti, ac debiles erant, providendo iis in necessitatibus*, ait Abulensis. § 6. *Quanta hujus charitatis perfectio in S. Ignatio.*

Ex variis circumstantiis colligere licet, qualis & quam eximia fuerit S. Ignatii charitas erga afflictos. Flebat super iis, qui afflicti erant, & compatiebatur anima ejus pauperibus. Cum illis charitatem possibilem exhibuisset, & tamen videret genus quoddam hominum, quorum malum non erat sanabile, nec ullum reperiebatur humanum remedium, nihilominus hujusmodi etiam hominibus, quod poterat, tribuebat, communem sensum doloris, *cum lachrymis & gemitibus*, & omnes alienas miserias, ducebat esse proprias, ut miseriarum omnium fieret § 7. *Prosecutio.*

 particeps

Digitized by Google

particeps. Iterum ad imitationem Christi D. de quo S. Greg. M. ait, *Quam videlicet pietatis formam, mediator nobis Dei & hominum, dedit: qui cum posset etiam nobis non moriendo succurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit: quia nos videlicet minus amasset, nisi & vulnera nostra susciperet; nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret.* Talis fuit charitas S. Ignatii, quæ non tantum proximi necessitatibus voluit succurrere, sed sentire, & cum illis pati; præsertim cum aliter juvare non potuit.

§. 8. *Dicta & facta S. Ignatii plena charitate.* Quam sublimis fuerit Ignatii charitas erga proximum, ex hoc colligite, quod dixerit; si quid ad proximi bonum, præsertim salutem animarum pertinere sciret, se paratissimum esse, nudis pedibus, carnibusque onustum per plateas incedere; nullum denique recusare habitum aut ridiculum ac probrosum vestimenti genus, quod esse utile hominibus posset: quod re ipsa sæpius ostendit. - Ætate jam profecta nominatim rogatus, ut hominem moribundum juvaret, tametsi corpore morbis erat fracto, essentque permulti alii, qui labore illum levare possent, tamen operam suam negare noluit, ergo per totam noctem homini adfuit, & ad sanctam mortem disposuit. Talia præsertim tentavit Ignatii charitas, cum proximum videret versari in periculo æternæ damnationis. Ut Lutetiæ miserum hominem à turpibus amoribus abstraheret, in frigidissimum lacum sese conjecit, corporeque gelidis aquis immerso, capite tantum extans, transeunti dixit: *Perge miser! impendentem capiti tuo ruinam non vides? Hic ego pro te, me tam diu macerabo, donec justissimum DEI furorem in te paratum avertam.* Sic servavit & convertit sceleratum juvenem. Et quæ major charitas desiderari in S. Ignatio potuit?

§. 9. *Prosecutio.* Hanc suam charitatem S. Ignatius, ad supremum evexit apicem perfectionis, cum nulli pro malo malum reddidit, imo vicit in bono malum. An non ignea illa verba, & plena charitatis, quæ uni ex inimicis scripsit, *Tu meos cremandos curaturum dicis, ego vero id dico & opto, ut tu charitate flagres, & amici tui, non solum*

qui

Digitized by Google

qui in Hispania, sed qui in universo terrarum orbe sunt, Spiritus S. igne inflammentur, & ardeant; ut divinam gloriam augeant magis & magis. An non exarsit charitas Ignatii, cùm tridui iter Parisiis Rhotomagum nudis pedibus atque ita jejunus percurrit, ut ne aquam quidem gustaret; eo fine, ut benefaceret illi, qui auferendo pecuniam maximas illi causaverat molestias. An non exarsit charitas Ignatii, cum pro bono proximi, sæpe integro triduo nihil gustavit cibi, sed dies & noctes perseveravit in oratione (vide multa similia in historia S. Ignatii.)

In hoc S. Ignatius sibi dictum putavit illud Prov. cap. 25. ℣. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput ejus.* LXX. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Per prunas intelliguntur beneficia, quæ furorem hostis mitigant, cor induratum, flammis amoris emolliunt, ad compunctionem provocant, & ad meliorem vitam transferunt. *Beneficiis enim tuis victus* (ait sanctus Anselmus) *dolebat injurias se tibi fecisse, à quo bona recepit, & convertetur ad pænitentiam, sicque lucraberis eum Christo.* Et post pauca: *Hoc potiùs in hac sententia jubemur, ut misericordiam facientes egentibus inimicis, emolliamus fomentis beneficiorum duritiem cordis eorum, & ad redimendum, nos in Domino studeamus inflammare illos, adhibito dilectionis igne, ut virtutem patientiæ, & mansuetudinis nostræ mirantes, incipiant imitari, rejectisque vitiis ad virtutum opera convertantur.* De quo effectu Isidorus Pelusiota, postquam dixit, fortiter ferendam calumniam, benefaciendum inimico, pulchrè ait: *Contrà ille animi tui magnitudine, tanquam telo sauciabitur: aut etiam aliquando, à peccandi studiosa mente, ac linguâ in melius laudabitur, tibique ut hujusce mutationis auctori, gratiam habebit.* Quod frequentissimè accidit S. Ignatio (vide vitam, præsertim historiam, cum Parisiis virgis debuit cædi, & de illis à quibus Compluti, Salmanticæ fuerat incarceratus.) § 10. *S. Ignatii mira erga inimicos benevolentia.*

Insuperabile hoc robur, quod Deus indidit dilectioni S. Ignatii erga omnes miseros, meo judicio benè exposuit sapientissimus Salomon, cum Cant. c. 6. ℣. 8. dixit: *Lampades ejus, lampades ignis, atq; flammarum.* Versio Græca Theodoreti sic habet: *Scintillæ* § 11. *Magna ejusdem in omnes miseros dilectio.*

Digitized by Google

tillæ ejus, scintillæ ignis, alæ ejus, alæ ignis; pruna ignis, flamma ignis. Quibus positis Theodoretus, præstantiam & æstuosam vim charitatis perspicuam facit his verbis: *Ita fortis est charitas, quia primùm volucris est,* (hoc est, celer, festinans, avida) *deinde circum alas suas habet flammam ignis, & scintillas ejaculatur; Quid autem cum tam ignea, flammeaque sit, eâ possit esse vehementius? præsertim, cùm ignis ejus sit ex eo genere ignium, qui non extinguuntur.* In omnibus rebus arduis, accensa charitas, invictum exerit robur, ad superandum omnes difficultates. Talis meo judicio fuit charitas sancti Ignatii, erga miseros & afflictos, lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. (potest fieri pulchra applicatio, cum conglobata dictorum repetitione.

§. 12. *Sancti, sicut cœli sidera fulgent, pulcherrimis radiis virtutum, ut in illas conjiciamus oculos.*

Sed, ut finiam, cupio vos esse memores dicti Origenis lib. I. in Job. *Sicut cœli luminaria & sidera, cunctis indesinenter fulgent per diem sol, per noctem luna & stellæ: sic & sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones omnibus in perpetuum singulariter lucent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt.* Sic fulgent atque micant! alius fide fulget, ut Abraham, alius castitate, ut Joseph. Sanctus Basilius in Gordium Martyrem. *Virorum, qui bene in republica versati sunt, historia velut lux quædam* (velut stella quædam, veluti accensa lampas & lucerna) *his, qui salvantur, ad vitæ viam præfulget.* Jam adverto vos cogitare talem solem, talem stellam, sanctum Ignatium, à nobis verò exigi, ut imitemur. Per Concionis brevem repetitionem poterit fieri pulcher epilogus.



CON-

CONCIO LXXVIII.

FESTO S. LAURENTII.

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet,

Joan. 12 ℣. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVanta & qualis constantia, fortitudo, & dilectio S. Laurentii Martyris inter flammas in ignea craticula. Quod à duplici igne, externo & interno, totus fuerit accensus & ignitus.

§. 1. *Exordium ex v. 25. c. 1. Isaiæ, de igne tribulationum.*

§. 2. *S. Laurentius jacens in craticula, super prunas, inter flammas.*

§. 3. *Vicit dilectionem sponsæ erga sponsum.*

§. 4. *Imitatus dilectionem Christi, pendentis in cruce.*

§. 5. *Aliqui sancti Martyres, divinâ virtute flammas non senserunt.*

§. 6. *Aliter discurrendum est de S. Laurentio.*

§. 7. *Ignea S. Laurentii craticula fuit reclinatorium aureum.*

§. 8. *Sicut & lectulus crucis.*

§. 9. *Prosecutio paragr. septimi.*

§. 10. *Allocutio ad Auditores.*

§. 11. *S. Laurentius inter flammas comparatur auro.*

§. 12. *S. Laurentius in craticula totus igneus.*

§. 13. *Comparatio S. Laurentii cum Abrahamo ex cap. 22. Gen.*

§. 14. *S. Laurent. quia totus igneus est, comparatur grano sinapis.*

§. 15. *S. Laurentius, igneus agnus.*

§. 16. *Prima pars Epilogi pro solatio piorum.*

§. 17. *Pars altera, pro terrore impiorum.*

Quando

Digitized by Google

§. 1. *Exordium ex verſ. 25. capitis 1. Iſ. de igne tribulationis.*

QVando Deus Opt. Maximus Iſaiæ Prophetæ propoſuit, quomodo per ignem tribulationis, dilecti populi ſui virtutem exercere vellet, his verbis fuit uſus c. 1 ℣. 25. *Convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.* Mira ſuper hunc verſum apud Interpretes eſt verſionum varietas. Biblia regia, & S. Baſilius ſic legunt: *Igne examinabo te ad purum.* S. Cyrillus. *Vram te ad purum.* Verbum *excoquere*, in hebraico idem ſonat, quod *purificare, conflare, igni metalla excoquere, & examinare, expurgare ab ſcoriis.* Unde David Pſalm. 66. ℣. 10. ait: *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* Et Zacharias c. 13. ℣. 9. *Vram eos, ſicut uritur argentum.* Iſtæ voculæ, *ad purum*, apud Hebræos hunc exprimunt ſenſum, *fortiter, multipliciter, copioſè, vehementer.* Aquila, Symmachus & alii, pulchrè adverterunt ignem hunc examinatorium, conflatorium, purificantem, nihil aliud ſignificare, quàm bella, famem, peſtem, & diverſas calamitates, electo populo ab hoſtibus, Deo ita permittente, propter optimos fines illata, quarum unus & primarius eſt, conſcientiæ puritas, & heroicæ virtutes, quibus Sancti tales tribulationes fortiter & animosè perferunt, imò exultant, cùm ſe vident obrutos variis adverſitatibus. Ob quam cauſam hic verſus à nobili Interprete eleganter accommodatur glorioſiſſimo Martyri, S. Laurentio, de quo canit Eccleſia. *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Probatus enim fuit, & examinatus & excoctus à terribili igne, ad purum, hoc eſt, fortiter, multipliciter, copioſè, vehementer. Quàm forti & invicto animo martyrium flammarum pertulerit, paucis oſtendam.

§. 2. *S. Laurent. jacens in craticula ſuper prunas inter flammas.*

Cogitate, quæſo, vos coram oculis cernere S. Laurentium, qualis depingi ſolet; ferreis catenis; manibus, pedibus, toto corpore alligatum igneæ craticulæ; cogitate vos videre coram illas prunas, illas flammas, volitantes iſtas ſcintillas, quibus uritur caput, quibus uſtulatur dorſum; verbo, totum corpus ſancti Laurentii; cogitate vos intueri tyrannicos ſatellites, qui flammis novam injiciunt materiam, qui prunas exufflant, qui ferreis uncis uſtulatum corpus vertunt, & de latere in latus mutant; imò

ſurſum

Digitized by Google

ſurſum deorſum. Cogitate vos audire voces tyrannidi & procerũ, quibus ſatellites fuere exaſperati, ad majores cruciatus inferendos. Sed ſimul cogitate, ita uſtum, & uſtulatum fuiſſe S. Laurentii corpus, ut inter tormenta, non defuerint incrementa gaudiorum, caro quaſi penetrata à flãmis, nihilominus fuit delibuta pinguedine cœleſtis cujuſdam lætitiæ; cor S. Laurentii in ſtrue ardentium lignorum, hilaritate exultans, Deo ſe ſe obtulit in gratiſſimum holocauſtum. O ineffabilem fortitudinem invicti Martyris!

Cant. c. 2. v. 5. ſponſa, cum ſenſit cor ſuum transfigi ab aureis jaculis accenſiſſimi amoris erga ſuum ſponſum: hoc petiit ſolatium, *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* LXX. legũt: *quia vulnerata charitatis ego ſum.* Roſas, lilia, violas, flores petiit ſponſa, inter dolores, quos cauſare ſolet ardens amor. Si vero nobis placeat verſio hebraica & Chaldaica apud Genebrardum, advertemus S. Laur. ob ardentem amorem, quo diligebat Chriſtum, inter flammas, quibus urebatur, longe aliud deſideraſſe ſolatium, dixit enim quia vulneratus charitatis ſum, quia amore langueo, quia Jeſum meum amo ſuper omnia. *Fulcite me ignibus plurimis.* S. Laur. pro ignea craticula non petivit auream ſpondam; pro ſcintillis, prunis, carbonibus, non lilia, non roſas, non flores! ſed pyras & novos rogos, prunæ, carbones, &c. fuerunt floſculi, inter quos, quaſi ſuaviter quievit, ob quam cauſam tertia lectio, citati verſus; *Fulcite me floribus, Fulcite me ignibus*, ita habet. *Requieſcere me facite in flore*; Sed O S. Laurenti! quis eſt iſte flos, ut quieſcas? Roſa? non! lilium? non! garhyopyllum? non! De illo enim loquitur S. Laurentius, qui de ſe dixit *Ego flos campi* (id eſt Jeſus, pro quo pati, eſt ſummum gaudium, apud illum quieſcam) Itaque in accenſa craticula, S Laur. jacuit veluti in molli lectulo. Ut pulchre ait S. Chryſol. Ser. 13. de S. Laur. *Tunc oblata eſt, torrenda, & ut verius dicam, aſſanda martyrio nobilis illa Laur. caro; aſtrictus eſt ferro; ſed ille craticulam ſupplicii, lectum quietis putabat.* Hoc eſt S. Laur. tam terribile ſupplicium, pro Chriſto D. quẽ toto corde diligebat, & pro æterna gloria, ad quam toto pectore anhelabat, ſuſtinuit cum gaudio.

§. 3. *Vicit dilectioni ſponſæ erga ſuũ ſponſum.*

In quo imitatus fuit Chriſtum D. Salvatorem, de quo S. Ambr. poſtquam oſtendiſſet, quam fortis fuiſſet amor ejus erga genus humanum

§. 4. *Imitatur dilectionem Chriſti pendentis in Cruce.*

Digitized by Google

humanum, dixit: *Nemo amplius dilexit* (supple quam Christus D. hoc est, non fuit amor, vel dilectio, qualis fuit amor Christi D. *qui dilexit, etiam in ipsis sui corporis cruciatibus.* Intelligitis? elevate oculos in JESUM vestrum pendentem in Cruce. Dum caput configitur, vulneratur, laceratur à spinis, dilexit ad purum, Amore perfectissimo, fortiter! amore fortissimo! copiosè, abundanter, amore copiosissimo! (hoc modo poterit fieri affectuosa inductio per præcipuæ cruciatus Christi D. v.g. fortiter fert clavos in manibus & pedibus; quia diligit, &c.) Eja lictores, quid agitis? quid cessatis? eja sufflate prunas, S. Laurentius eo magis amabit. Versate corpus; dorsum assatum est; sic diliget magis, &c. sic accendetur S. Laurentii charitas, erit fortis ut mors!

§. 5. Aliqui Martyres divina virtute flammas non senserunt.

Norunt omnes ex cap. 3. Danielis, jussu Regis in caminum accensum fuisse projectos, tres insignes juvenes, Ananiam, Azariam, & Misaelem, sed misit Deus Angelum de cœlo, qui (v. 50.) *fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis.* In pavimento æstuantis camini, ambularunt quasi in paradiso; vel in amœnissimo prato; prunas & carbones calcarunt veluti rosas & margaritas. Theodoretus sic. *Tanta autem intus, pietatis precones, serenitate fruebantur, ut per ignitos carbones, quasi per quasdam rosas incederent laudantes Deum, &c.* De SS. Laurentio, & Pergentino refert S. Petrus Dam. Ser. 21. de horum Martyrum triumpho. *Persecutor ille Tiburtius, insanientis iracundiæ felle permotus, vaporantes, de fornace furiosi pectoris, flammas evomuit, & beatos Martyres super ardentes prunas nudis pedibus astare præcepit. At protinus & carbones extincti & gloriosi Martyrum pedes, tanquam super candentia lilia, vel croceos rosarum flores, molli sunt vestigio delectati.* Non desunt aliæ similes historiæ.

§. 6. Aliter discurrendum est de S. Laurentio.

Verum si illos comparare velimus cum S. Laurentio, hic majori præconio dignus invenietur. Illi enim delicias invenerunt inter prunas, quia vim flammarum non senserunt. S. Laurent. sensit se uri: & in igne, in prunis, in suppliciis, in hiantibus vulneribus, in laceratione membrorum, invenit delicias. Ipsa tormenta fuerunt rosæ. Prunæ urentes fuerunt lilia: ardentes scintillæ fuerunt violæ. Inter tanta tormenta, voce & pectore laudavit Dominum.

In

In quo discursu, meo judicio non errabo, si ignitam S. Laurentii craticulam, cum Regio Salomonis curru, quem cap. 3. Cantic. v. 10. vocat *Reclinatorium aureum.* Verum qualis quies, sedere in aurea sella, nisi molles substernantur culcitræ, & serica pulvinaria? utrumque innuitur in citatis voculis: ut advertit Philo Episcopus, dicens: *Aureo reclinatorio Martyres comparantur: comparantur autem auro, propter fidei probationem; & ærumnarum, tentationumque firmissimum argumentum: tanquam aurum, inquit, in fornace probavit eos; & veluti holocausti hostiam accepit eos.* Aurum inquam probatum, ignitum, fulgens tormentorum crudelium examine; sed cur inter cruciatus, fit mentio reclinatorii? quæ quies fuit Martyribus, cum secti sunt, cum lacerati sunt, &c. §. 7. *Ignea S. Laurentii craticula fuit reclinatorium aureum.*

Respondebo, cum iterum saltem paucis verbis vobis ostendero lectulum Crucis, in quo Jesus inter gravissima tormenta quievit; hoc est cum gaudio sustinuit Crucem; cum gaudio spinas, cum gaudio clavos, &c. SS. crux fuit lydius lapis, quo probata fuit aurea charitas Jesu erga nos homines. Spinæ fuerũt aureę, clavi aurei, &c. ex quorũ tolerantia patuit aurea & ignita ejus charitas. Quæ tanta fuit ut omnia tormenta fuerint lævia; ut denique cum gaudio mortuus fuerit in Cruce. Exemplo Salvatoris; eodem modo passi fuerunt SS. Martyres; de quibus idem Philo ait, *Dum pulchritudo cœlestium gaudiorum* (adde, inter supplicia & tormenta) *paululum monstratur, quasi reclinatorium aureum fit electis: in quo vel se, vel in hac mortali luce contemplando refocillent, ac requiescant. Nihil hoc ipso reclinatorio dulcius, nihil suavius, nihil denique divinius.* summum Martyrum solatium fuit dura pro Christo fortiter & copiose pati. §. 8. *Sicut & lectulus crucis.*

Redeo ad craticulam S. Laurentii, de qua dici potest, quod eadem illi fuerit aureum & igneum reclinatorium. Fuit enim illa, lydius lapis, quo probata fuit, aurea charitas S. Laurentii & invicta fortitudo, sed talis craticula (potest pulchre describi) quale reclinatorium? qualis lectulus? qualis in illa quies? Verum memores estote Sanctissimæ Crucis, quæ Christo Salvatori fuit dulcis lectulus, quia quæ passus fuit, passus fuit ex amore cum gaudio. Idem assero de S. Laurentio; passus fuit cruciatus horribiles, sed fortiter cum gaudio, &c. §. 9. *Prosecutio paragraphi septimi.*

Digitized by Google

per ignem, deductus est in refrigerium; dum flammæ addiderunt robur, viresque suppeditârunt animo patientis, ut tanquam novus Phœnix de busto renovatus exsurrexerit, & sublimis ad Deum, cœlique curiam evolârit.

Ita S. Laurentius in craticula totus factus est igneus. Ut applicari illi possit vers. 6. cap. 8. Cant. *Lampades ejus, lampades ignis, atq; flammarum.* Ex Græco Theodoretus hæc verba ita vertit: *Scintillæ ejus scintilla ignis; ala ejus, ala ignis; pruna ejus, flamma ejus.* Quibus verbis putat Theodor. explicari amoris divini præstantiam, & æstuosam vim, virtutem, atque fortitudinem, dum ait: *Ita fortis est charitas: quia primùm volucris (agilis, & subtilis) est, & circum alas suas habet flammam ignis, & scintillas ejaculatur. Quid autem cùm tam ignea flammeaque sit, eâ possit esse vehementius? Præsertim cùm ignis ejus sit ex eo genere ignium, qui non extinguuntur.* Talis fuit ignis charitatis in pectore S. Laurentii. Ignis externus, quo ustulatum fuit ejus corpus, extingui, hoc est, superari potuit. Superavit S. Laurentius omnes minas & tormenta tyranni, & satellitum; verùm hi, nec scorpionibus, nec prunis, nec flammis extinguere, vel superare potuerunt flammam ardentis charitatis in corde S. Laurentii. Fortis fuit ejus charitas.

§. 12. S. Laurent. in craticula totus igneus.

Notandum est, in cap. 22. Genesis, quod pius Abraham, dum ascendit in montem, immolaturus Deo petitam victimam, scilicet dilectum filium Isaacum, se armaverit gladio & igne. Versu 6. *Ipse verò portabat in manibus ignem & gladium.* De hoc igne eleganter discurrit sanctus Chrysostomus hom. 47. in Genes. dum ait: *Manus quidem ferebat ignem, qui sensibilis erat; intus autem accendebat ipsius mentem, & rationem absumebat, & persuadebat, ut vinceret amor in Deum.* Et paucis interjectis *Cæterùm vide obsecro, præterea ante ignem sensibilem, incendium internum, quod paulatim exardescebat, & justi mentem concremabat.* Hujus amoris incendium suppressit paternum amorem erga dilectum, unicum filium, erexit verò Abrahami animum, invictumque reddidit, ut sequeretur nutum imperantis tam inauditum sacrificium. Ita, si placet, discurramus de sancto Laurentio (potest fieri pulchra applicatio.)

§. 13. Comparatio S. Laur. cum Abrahamo ex c. 22. Genes.

Digitized by Google

§. 14. *S. Laurent. quia totus igneus est, comparatur grano sinapis.*

Cernere itaque licet, sanctum Laurentium igneum totum, & instar ignis ad superiora se attollentem; ob quam causam B. Ambrosius ex hodierno Evangelio, serm. 19. illum comparavit grano sinapis, ob causas valde elegantes. Igitur sanctum Martyrem Laurentium grano sinapis possumus comparare; qui diversis attritus passionibus, per totum orbem meruit gratiam sui fragrari Martyrii; granum sinapis, cùm teritur, accenditur. Laurentius, cùm patitur, inflammatur: illud favorem attritionis suæ evomuit; hic ignem plurimâ vexatione suspirat. Sinapis, inquam, in vasculo calido vapore decoquitur; S. Laurentius in craticula flammarum igne torretur: ardebat itaque extrinsecus beatus Martyr tyranni sævientis incendiis, sed major illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. Et quamvis Rex improbus ligna subjiceret, incendia majora supponeret; tamen sanctus Laurentius has flammas, calore fidei non sentit, & dum Christi præcepta cogitat, frigidum est illi omne, quod patitur: Nec enim poterat visceribus ignium tormenta sentire, qui sensibus Paradisi refrigeria possidebat, Jacet licet ante pedes tyranni exusta caro, corpus exanime; nihil tamen detrimenti patitur in terris, cujus animus demoratur in cœlis. Non habeo, quod addam, nisi ut dicam sanctus Laurentius inter flammas, totus fuit igneus, totus aureus.

§. 15. *S. Laurent. igneus Agnus.*


Dubito, an verum sit, quod reperiantur ignei montes, in quorum visceribus & antris reperiuntur agni, quibus loco pabuli, potus, requietis, incrementi, vitæ: omnium denique rerum vice illis sit ignis. Et quod fiant pulchriores, si laventur Igne. Ego tales montes, tales agnos non vidi; quo non obstante, asserere audeo, sanctum Laurentium fuisse talem Agnum, DEO immolandum, quippe qui inter flammas & prunas habuit oblectamentum, & vitam: cui loco pabuli, potus, quietis, incrementi, omnium denique deliciarum loco fuit ignis. Igneo balneo, hic igneus agnus factus fuit candidior & splendidior.

Cupio

Cupio, ut Concionis hujus epilogus piis & electis, qui cum sancto Laurentio pro Christo aliquid patiuntur, peculiari sit solatio; ita tamen, ut voluptuosis terribilem incutiat terrorem. Sanctæ Gertrudi, dum gravibus cruciaretur morbis, apparuit sancta Marina V.M. & jussit eam gaudere in morbis; habituram enim pro singulis doloris momentis in corpore, millies mille annos cœlestium deliciarum in omni æternitatate. Ad hos, hæc omnia, morbos, &c. à dilecto JESU è speciali amore immitti. Animæ piæ aggratulemur ex animo beatissimo Laurentio; ponamus quadrantes, & horas, quibus sanctus Laurentius jacuit in prunis, continuisse in se mille millies momenta; quibus dura est passus; sed pro quovis mille millies momentis fruetur æternis gaudiis; & quid ego in æternitate numero tormenta? totâ æternitate erit prius. Quæso vos iterum animæ piæ, cùm jacetis in ignea craticula, &c. hæc duo cogitate. Beatissimam æternitatem, & specialissimum amorem, dilectissimi vestri JESU; qui tales tribulationes immittit. *§. 9. Prima pars Epilogi pro solatio piorum.*

Vos verò delicatuli; qui ut fruamini deliciis hujus mundi DEUM graviter offenditis, &c. quid vos cogitatis? hoc vellem vos cogitare; pro quovis momento, quo momentaneam cum gravi DEI offensa, quæritis delectationem; mille millies annis, imò per totam æternitatem ardebitis in inferno! *§. 17. Pars altera pro terrore impiorum.*

O mi JESU! hos ignes à me & meis Auditoribus averte.



CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXIX.

FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

Maria optimam partem elegit,
Luc.10. ℣. 42.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit aliquot articulos Testamenti, in quo moriens B. Virgo Maria suis clientibus, veluti hæredibus, reliquit præclaram hæreditatem, etiam peccatoribus.

§. 1. *Testamentum confirmatur morte testatoris: congruum itaque fuit, mori B. Virginem.*
§. 2. *Prosecutio & propositio Concionis.*
§. 3. *Brevis descriptio, peractæ in cœlis, Coronationis B. Virginis.*
§. 4. *Pium Auctoris desiderium.*
§. 5. *Mariæ suavissima mors.*
§. 6. *De testamento, quod B. Virgo condidit.*
§. 7. *Occurrit alicui objectioni.*
§. 8. *Testamenti articuli, per viginti encomia B. Virginis.*
§. 9. *Maria! aureum thuribulum, legatum piè & devotè orantibus.*
§. 10. *Allocutio ad illos, qui ferventes Beatæ Virgini offerunt preces.*
§. 11. *Prosecutio.*
§. 12. *Quare B. Virgo Ecclesiastici cap. 24. vocetur detentio.*
§. 13. *Cur Adamus post lapsum in Paradiso, irato Deo objecerit Evam.*
§. 14. *Epilogus conatur incendere vehementem flammam amoris, erga B. Virginem.*

Ob

OB mortem, cui exemplo filij etiam B. Virgo succumbere debuit, non simus tristes, sed potius ex illa hauriamus consolationem. Perdidimus in terris Matrem, sed quæ in suo testamento ditissimam nobis reliquit hæreditatem, quæ morte confirmari debuit. Doctissimus P. Arerius suavissimum eruit discursum, ex v. 11. c. 9. Zachariæ, *Tu quoq; in sanguine testamenti tui, emisisti vincto tuos, de lacu in quo non est aqua;* Omnis sanguis à Christo D. effusus in ara Crucis in redemptionem generis humani, nuncupari potest sanguis Testamenti. Nulla enim gutta illius divini sanguinis fuit effusa, quæ non sufficientis fuerit valoris, ad redimendum mille mundos, sed doctissimus Rupertus ejus est opinionis, Zachariam Prophetam hoc modo loquendi insinuasse, illum sanguinem Christi, proprie vocari sanguinem testamenti qui ex lateris Christi vita functi, apertura profluxit. *In illo sanguine*, ait, *qui de latere, lancea militis patefacto, cum aqua cucurrit, emisit vinctos de lacu*, & humanum genus redemit. Pro ratione suæ opinionis allegat axioma Juris. *Vt testamentũ sit ratum, & testantis hæreditas transeat ad posteros, exspectanda est mors testatoris.* Testis S. Paulus Apostolus, in utroque jure doctissimus ad Heb. c. 9. v. 16 *Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondũ valet, dum vivit, qui testatus est.* Et habetur lib. 1. ff. de testamentis. *Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem fieri vult.* Hinc fit compertum, cur speciali titulo, sanguis testamenti nuncupetur ille, qui è latere Christi profluxit; quia jã mors præcesserat testatoris. Eundem vero sanguinem, dum SS. Eucharistiam instituit, potuit nuncupare, sanguinem novi testamenti, quia in eo fuit oblatus, & repræsentatus tanquam mortuus. Cui discursui modo non inhæreo.

§. 1. Testamẽtũ confirmatur morte testatoris. Congruum itaque fuit mori B. V.

Suo modo hęc applicare possumus morti B. V. ut enim fieremus participes pinguissimæ hęreditatis, quam toti mundo, & nobis singulis in suo testamento reliquit, mori debuit. Mors testatricis intercedere debuit. Quæ quã suavis, & qualis fuerit, alias sæpe fusius tractavi! Ditissimi testamẽti, & pinguissimæ hęreditatis divitias, & thesauros, in hac Conc. vobis proponam. Omnes rogo ut aures ærigant, ex

§. 2. Prosecutio & Propositio Concionis.

Digitized by Google

omnibus nullus est, qui sit exclusus; nullus est, cujus liberalissima Mater non fuerit memor.

§. 3. Brevis descriptio peractæ in cœlis Coronationis B. V.

Non dubito, vos mentibus cogitationibusque hodie in cœlis fuisse præsentes lætissimæ Coronationi, qua Dei Matri Maria, à SS. Trinitate, à Patre, Filio & Spiritu S. coronata fuit Cœli, terræque Regina & augustissima Imperatrix, spectastis itaque aureum thronum, in quo fuit collocata, ad dexteram dilecti Filii sui; spectastis sine dubio augustissimam coronam, ex duodecim lucidissimis stellis, quam Spiritus S. ejus vertici imposuit; Videritis sine dubio aureum immensæ potestatis sceptrum in eburneis manibus. Non dubito, placuisse oculis vestris solem, quo fuit circumdata, & lunam scabellum pedum ejus; & reliqua signa admirabilis cujusdam majestatis. Audivistis sine dubiò voces, millies millium cœlestium spirituum acclamantium Virgini. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, electa ut sol, pulchra ut luna!* Vel amabiles illos applausus filiarum Sion, *Surge, propera amica mea! veni de Libano, veni coronaberis!* Judico quoque, & vos inter tam læta spectacula, ex intimis præcordiis accinuisse Virgini cum mellifluo S. Bernardo. *Salve Regina! salve! millies salve!* quo affectu, quo gustu, quo solatio hæc præstiteritis, facile mihi imaginari possum.

§ 4. Pium Auctoris desiderium.

Fateor! volui & ego interesse his cœlestibus gaudiis! mihi quoque volupe fuisset spectare tam jucunda spectacula! O si videre liceret illum thronum, in quo collocata est cœli Regina! O si illam coronam! O si illud sceptrum! O si lucidissimam illam purpuram. Verbo, O si Mariam in gloria mihi videre liceret! quo affectu, quo gustu, cum SS. Angelis non vellem eidem de tanta gloria aggratulari, ingeminando millies, *Salve Regina, salve!*

§. 5. Mariæ suavissima mors.

Sed ut veritatem fatear detentus ego fui hodierna die in terris, in colle Sionis. in quo tamen & ego jucundissimum vidi spectaculum. Mons Sion, cœlum & paradisus mihi fuit. Vidi enim in decenti cubiculo in pauperculo lectulo, B. Virginem Dei Matrē agentem animam; interfui suavissimæ ejus morti. Lectulum circumdederunt Apostoli, ex omni parte mundi collecti, sed licuit, mihi ex angulo videre omnia. Vidi pulcherrimam ejus faciem

plenam

plenam radiis & ignibus divini amoris; vidi lucidissimos oculos erectos in cœlum, vidi defluentes ex illis lachrymas veluti gemmas & margaritas, audivi dilatati pectoris & cordis suspiria, Veni! Veni dilecte fili! veni mi dulcissime Jesu. Vos ô cœlestes genii fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo: audivi, inquam, mille millia Virginis suspiria; sed præ dulcedine cordis, quam sensi, retinere non potui. Vidi denique venientem de cœlis Jesum, inter cujus amplexus dulcissima Virgo suavissime exspiravit. Hic iterum auribus percepi suavissimam cœlestium spirituum melodiam; surge propera amica mea; veni de monte Libano, veni coronaberis. Animæ piæ! quem putatis fuisse sensum mei cordis? qualem cogitatis me percepisse consolationem, præsertim, cum à sanctis Apostolis, Testamentum Virginis fuit apertum, & perlectum: quod vobis communicare cogito.

§. 6. *De testamento quod Virgo moriens condidit.*

Testamentum autem voco, supremam Virginis voluntatem, qua testans declaravit, cui bona sua, cui suos thesauros & divitias cedere vellet. Testes hujus voluntatis fuere SS. Apostoli. Et quem cogitatis esse institutum hæredem; fortassis S. Petrum, vel S. Joannem, vel simul omnes Apostolos; cum unicus ejus dilectissimus filius Jesus non esset amplius superstes in terris. Sed pietas talis Matris non novit hos limites, hasque angustias: dilatata fuit charitas morientis Virginis. Hæredes nominavit omnes illos filios, quos in doloribus cordis sui peperit sub Cruce morientis Filij Jesu, dicam verbo, universum genus humanum; & præsertim universam militantem Christi Filij sui Ecclesiam, tanquam dilectissimam ejusdem sponsam. Cujus capitis; cum universi sitis membra, & filij fœcundissimæ hujus Matris, vos universos & singulos, dico & proclamo, hæredes pinguissimæ ditissimæque hæreditatis, quam Mater nostra Maria moriens reliquit. Si hac hora advolaret nuntius, referretque vos à potentissimo Rege Hispaniarum scriptos hæredes immensi alicujus thesauri, gauderetis, utique gaudete multo magis, cum Reginæ Imperatricisque cœli & terræ sitis facti hæredes.

Digitized by Google

Sed nescio quis auribus meis allabatur susurrus, ecquos paupercula Virgo habuit thesauros? quas divitias? quas gemmas? quæ prædia! quos hortos & agros? quas pretiosas vestes? ut tam divitem nobis potuerit relinquere hæreditatem? Quisquis, caduca, vana, transitoria hæc bona cogitat, non est dignus nomine heredis Mariani. Totam hæreditatem, omnes thesauros, omnes divitias, omnes gazas, verbo, omnia bona, corporis & animæ, continet, unica vocula Maria. Hæc est nostra hæreditas, qua post Deum ditior esse non potest: *quia Maria nemo major* (nemo ditior) &c. *nisi solus Deus*, inquit Idiota. Ut proinde omnia habeamus in Maria, & divitias cœli & terræ: satis illa dives est, ut omnibus benefaciat.

§. 8. Testamenti articuli, per 20 B. V. encomia.

Audite testamenti articulos. *Maria!* Pueris; mater uberum, quæ sunt lacte misericordiæ & consolationis. Infantibus, favus distillans melle. Adolescentibus, speculum! Virginibus lilium! sacerdotibus altare! *Maria!* Conjugatis, dives & gemmeus annulus. Divitibus, aurifodina. Pauperibus thesaurus thesaurorũ Dei! Principibus clypeus. Bellantibus castrorum acies ordinata. Eja pueri, infantes, adolescentes, Virgines, Conjugati, divites, pauperes, Principes, milites dicite: *Hæreditas præclara nobis est Maria!* Maria! famelicis cibus, sitientibus fons aquarum viventium, tristibus solatium; pusillanimis anchora naufragantibus portus. Maria! Navigantibus in procelloso mari hujus mundi, lucida, benevola, amabilis stella maris! exulibus civitas refugii; infirmis salus infirmorum, stella matutina, & aurora consurgens, ægrorum gaudium. Amantibus, Mater pulchræ dilectionis; desperare volentibus, spes certa, & unica, Maria! Eja famelici, sitibundi, tristes, pusillanimes, naufragi, exules, infirmi, amatores, desperabundi dicite: Hæreditas præclara nobis est Maria!

§. 9. Maria! aureum thuribulũ legatũ devote orãtibus.

Inter pulcherrimas similitudines, quibus SS. Patres extollunt Deiparæ erga Deum pietatẽ, eminet comparatio thuribuli; præsertim, si dicamus illam tale fuisse, in suavissima Virginei corporis obdormitione. Audite S. Amedæum hom. 6. de B. Virgine. *Ergo divinis ignita colloquiis, tota effecta est velut ignis, holocau-*

ſtum Deo ſuaviſſimum obtulit. O Phœnix aromatizans! gratius cinnamomo, & balſamo, & nardo ſuavius, Regem in aſpectu ſuo delectans. Phœnix congregans omnes ſpecies, & igne circumfuſa ſupereſſentiali, ut cœlum cœlorum, & cœli poteſtates Angelicas mirifico repleat ſuavitatis incenſo: hoc incenſum ſuaviſſimum eſt, hoc thymiama bene compoſitum procedit de thuribulo cordis Mariæ; & univerſa ſuaviter olentia excedit. Porro thuribulum ſequens incenſum, & elevatum manu Domini aſcendit uſq; ad thronum SS. Trinitatis. Ob quem odorem ſuavitatis, Deiparam aſſumptam à Filio ad cœlos; mirati fuerunt Angeli, novo & inſolito prodigio, & velut quodam ſtupore attoniti, invicem ſciſcitantur; Angeli ad Archangelos, Archangeli ad Virtutes, Virtutes ad Poteſtates; Poteſtates ad Dominationes, Principatus; Cherubinos ad Seraphinos, ex cap. 8. Cant ℣. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum;* hoc eſt, *delicians,* & *adhæreſcens* dilecto Filio ſuo Jeſu. *Ita* (inquit Alanus Varenius hîc) *aſcendit, incomparabilibus omnium Sanctorum circumvallata agminibus, & cœleſtium Virginum circumdata choris; totâ curiâ illi obviam veniente cœleſti; in ſancta divinæ Matris pedum oſcula, & amplexus, toto cœleſtium Senatorum accurrente ordine.* Dum omnes Cœlites tam mirifico replerentur ſuavitatis incenſo. In quo tamen notanda eſt obſervatio Hugon. Card. *Aſſumptionem in cœlum, de deſerto mundi hujus Angeli mirabantur in tantum, ut quærerent, quæ eſt iſta? nec eſt ignorantis interrogatio; ſed devotè admirantis; miræ devotionis, jucundæ gratulationis, & gratiſſimæ exultationis. Eo modo, quo filii Iſrael, de manna, præ dulcedinis admiratione, quam invenerunt in ipſo, dixerunt; manhu, id eſt, quid eſt hoc? Et beatæ Matris Dei dulcedo inæſtimabilis eſt. Hæc tantum affluit deliciis, ut inde aliis abundanter effundat.* Occaſione aurei thuribuli, quo B. Virginem ex SS. PP. comparavi; quot ejuſdem elogia? Ignis eſt Maria! holocauſtum ſuaviſſimum cor ejus; Phœnix eſt aromatizans! cinnamomum! balſamum! nardus Jeſum & SS. Trinitatem oblectans! circumfuſa igne! deliciis affluens! delicians! adhæreſcens cordi dilecti Filii ſui Jeſu! dulce manna! Dulcedo! tantùm deliciis affluens; ut & nos quæramus: Quæ eſt iſta? non quod ignoremus, quænam ſit; ſed tantam dulcedinem, tam ſuavem odorem, tale

thuribulum, devotè admiramur, jucundè ei aggratulamur, & præ gaudio exultamus!

§. 10. Allocutio ad illos, qui ferventer B. Virgini devotas offerunt preces.

Suavis odor hujus thuribuli, paulò diutius me detinuit. Animæ piæ! Vobis, qui cum devotione B. Virgini quotidianas recitatis preces. Vobis, qui quotidie diversis hymnis & Litaniis præsertim Lauretanis, & mellifluis verbis S. Bernardi, *Salve Regina*, Dominam vestram salutatis. Vobis, qui quotidie corde puro, & manibus mundis percurritis globulos Mariani Rosarii! vobis, inquam, Mater vestra moriens, in testamento suo legavit aureum hoc thuribulum; ut toti effecti ignei, ut igniti aureis desideriis, Deo & Virgini has preces offeratis, veluti suavissimum holocaustum! ut his precibus, veluti cinnanomo, balsamo, nardo, Mariam, Jesum & SS. Trinitatem, quotidie oblectetis. Suavissimus hic odor, hoc incensum, de aureis thuribulis cordium vestrorum, elevabitur in altum, & ascendet super nubes, usque ad thronum SS. Trinitatis. Ita affluetis deliciis! ita adhærebitis dulcissimis cordibus Jesu & Mariæ. Ita suavissima Virgo, ita aureum hoc thuribulum, ita Maria in corda nostra delicias suas copiosè effundet.

§. 11. Præteritio.

Facilè advertitis, quam copiosam materiam mihi suggerat Virginis morientis testamentum, si per similia ejusdem encomia velim discurrere? quid fiet, si Mariæ aureum caput, si aureos capillos, si lucidam frontem, si crystallinos oculos, si roseas genas, si corallina labia, si melleam linguam, si eburneum collum, si dulcissima ubera, si mellifluum ejus cor; quando absolvam, si ejus supellectilem, si vestes, si virginale peplum, si rosis floridam togam, si byssinam zonam, si cœleste pallium inter hæredes velim distribuere. Perpendenda hæc vobis relinquo.

§. 12. Quare B. Virgo Eccl. 24 c. vocetur detentio.

Adducam adhuc unicum testamenti articulum, in quo scripsit vers. 16. cap. 24. Eccl. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Non patitur tempus, absconditos eruere sensus horum verborũ; placet mihi modò unicus S. Bonaventura in spec. Mar. lect. 7. ubi ait Mariam; (in plenitudine Sanctorum, in illa gloria, ad quam hodie est assumpta) vocari *detentionem*, quia - *detinet Filium ne peccatorem percutiat. Ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet.* Isaia teste c. 64. ỳ. 7. *Non est, qui invocet nomen tuum: qui consurgat*

surgat & teneat te. Et quid, nisi blanda Mariæ manus detineret Deum, vel ad gladium, vel ad flagellum convolantem.

Quod primus Pater noster Adamus, lapsus in crimen, statim videtur agnovisse, saltem in umbra & figura. Deo enim, cùm ab illo ad judicii tribunal, & ad supplicium fuit vocatus, non se ipsum impavidus objecit, sed Evam, tanquam munimen, & tutamen opposuit; in quo iræ divinæ mucro retunderetur, & primi excandescentis Domini furores exciperentur. Audivit enim vocem Domini in Paradiso, & irascenti Domino mulierem opposuit. Gen. c.2. ℣.12. *Dixitq; Adam: mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Adame! quid agis? itane furorem Domini, jactantis minas, & irruentis pœnæ turbinem conjicis in caput dilectæ uxoris? quid murmuramus contra Adamum? nimis prudens prævidit suis posteris, in muliere præparatum tutamentũ. D. Bernard. *Adam, indignationi divinæ mulierem objecit, quasi post tergum ejus volens declinare sagittã* (hoc eleganter est describendum) Adeste! si qui inter vos sunt peccatores, rei gravium scelerum; sine timore comparete coram throno misericordiæ, si scintillas pœnitentiæ sentitis in cordibus vestris. Vos! vos concernit hic articulus Mariani Testamenti! in quo vobis, si convertamini ad Dominum vestrum, promittit, quod in plenitudine Sanctorum, in sua gloria; velit detinere Filium suum, ne vos percutiat. Ante Mariam nemo fuit, qui faceret. Sed faciet Maria. Sentitne conscientia vestra, quod vocetur ad tribunal judicii, & graves pœnas! accedite impavidi; sed cum Adamo non Evam, sed Mariam supremo Judici objicite. State post tergum Mariæ; abscondite vos sub illius pallio; imò in ipsum cor dulcissimæ Matris irrepite, si divini furoris velitis declinare sagittas: Vi hujus articuli, in Mariano testamento, ad Mariam & ad ejus Filium accedite securi. Pœnitentiam agite! nulla, nulla sagitta furoris Domini vos feriet. Sagittæ respõdebunt, quod olim de nubibus trisulcum intonuit fulmen. Non possum, nõ possum ferire Clientem Mariæ. Vi hujus articuli Maria, nullum peccatorem, si velit, abhorret; nullum despicit; sed omnibus instar virgulæ fumi, suavissimum spei veniæ fumum aspergit. Vi hujus articuli, Maria omnibus resipiscentibus peccatoribus est Mater misericordiæ! Nullum


§ 13. *Cur Adam post lapsum in Paradiso Deo irato objecerit Evam.*

§. 14. *Epilogus conatur intendere flāmam vehementis amoris, erga B. Virg.*

Nullum ex omnibus esse puto, qui ex dictis non advertat, quantum & qualem liberalissimæ Matri, ob ditissimam hæreditatem debeamus amorem. Utinam quivis ex animo dicat cum illo piissimo Poeta:

Si fieri potest quod arenæ, pulvis & undæ,
Vndarum guttæ, rosa, germina, lilia, flammæ,
Æther, cælicula, nix, grando, sexus uterque.
Ventorum pennæ, volucrum & pecudum genus omne,
Sylvarum rami, frondes, avium quoque pennæ,
Gramina, ros, stellæ, pisces, anguis & aristæ,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones, &c.

converterentur in humana corda, tot optarem corda, ad amandum Mariam. Et nemo ob inflammata hæc desideria sibi persuadeat, quod Mariam velit vincere in amore. Piissimus Alphonsus Rodriquez inter delicias amoris dicere solebat: *O Domina! ego te impensius longè, quàm me ipsum amo! O Mater mea! te ampliùs diligo, quàm tu me diligas!* Sed apparens ei Virgo, dixit: *Alphonse! ignosco astui amoris; sed non ita est, ut sentis; Ego te impensius amo, quàm tu me diligas!* O dulce! O suave certamen! Utinam & nos, inter tales lites vivamus & moriamur! æternùm in gloria participes hæreditatis, quam moriens Maria nobis reliquit.



CONCIO LXXX.

FESTO S. BARTHOLOMÆI APOST.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit,
Luc. 6. ℣. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

TRibulatio viros fortes facit gloriosos. Non obest, sed prodest. Est fons lucis, gloriæ, vitæ, gaudii & consolationis etiam in hoc mundo. §. 1. *Job*

TRibulatio, persecutiones, & terribiles excoriationis dolores atque tormenta S. Bartholomæum Apostolum fecerunt beatum, & gloriosum. Quis putasset Jobum beatum, dum jacuit in sterquilinio, vibicibus plenus, diffluens sanie, excruciatus doloribus, orbatus carissima prole, ad ultimam redactus miseriam, inter pessimæ uxoris, & amico rum convitia, maledicta, atque injurias? quis inquam Jobum in hoc statu voluisset prædicare beatum? Certe si mundano oculo, aspicias illud amphitheatrum dolorum, ærumnarum pelagus, universæ calamitatis simulacrum; si suspiria, & gemitus patientis, si lachrymas, si in hiatibus vulnerati corporis ebullientes vermes; infelicissimum omnium mortalium decernes: Si vero superno, & fide illuminato intuitu lustres; felicem apud te statues; præsertim si legere, vel audire placeat, quanta gloriæ, & quam magnifica decora, & beatitatis insignia in Jobo describat, os aureum S. Chrysostomi l. 5. ad pop. t. 5. §. 1. *Iob in sterquilinio, an miser an beatus.*

Fimus ille, inquit, *fuit omni tribunali regio venerabilior.* Et statim. *Itaque multi nunc longam & transmarinam peregrinationem à terra finibus in Arabiam abeunt, ut fimum illum cernant, & conspicati terram deosculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem, omni auro pretiosiorem suscepit; Neque enim tantum radiaret prætexta, quanto illud cor-* §. 2. *Iudicium S. Chrys.*

pus tunc resplendebat, non alieno, sed proprio lotum sanguine: ulcera vero illa gemmis omnibus erant clariora. Margaritarum enim natura nihil vita nostra prodest: ulcera vero illa, sunt omnis tristitia consolatio, &c. Beatus autem ille, &c. Et hom. 4. in Job adjungit sequentia encomiorum insignia; ubi DEUS cum Jobo fatur; *Ante passionem unus te terra angulus noverat, post passionem omnis te sub cœlo regio cognoscet. Sterquilinium tuum omni regali diademate illustrius: qui diademata ferunt, videre cupient; & agonem tuum, & laborem certaminis, paradisum feci. Sterquilinium tuum colui, ad pietatem plantam cœlestem ostendi. Suscepisti cœlestia; accipe & æterna, suscipe omnia duplicia.*

§. 3. *Digressio ad S. Bart.* Eadem meo judicio, hodierna die debenter encomia S. Bartholomeo. Equuleus vel sella, vel mensa, super quam vivus fuit excoriatus, omni regali in terris solio, & tribunali est venerabilior; & omni auro pretiosior, quæ tanti Apostoli pretiosum suscepit cruorem: inflicta vulnera, omnibus gemmis sunt clariora. Beatus fuit S. Bartholomæus. O beate Apostole; ante hanc passionem aliqui terræ anguli te noverunt, post passionem, post tam gloriosum agonem, omnis te sub cœlo regio cognoscit. Hiantia Bartholomæi vulnera sunt perpulchra ora, quæ cum tabo diffluunt, fundunt eximiæ patientiæ præconium; stillæ cruoris, carbunculi sunt, lacerata cutis, est stellatum cœlum; ut hæ stellæ, hi carbunculi, hi pretiosi lapilli, coronam virtutis exornent: Ita S. Bartholomæus ostendit (sunt fere verba S. Ambrosij) licet cum gravissimo dolore luctaretur, non se esse miserabilem, sed tanquam in lucerna lumen, quam etiam inter asperas procellas, & gravissimos flatus luceret, nec extingui posse animi virtutem.

§. 4. *Ioannes B. decollatus maxime gloriosus.* Semper tribulatio invictos Christi pugiles & Martyres reddidit gloriosos. Ut nefaria Herodias in aula Herodis, aulici Concionatoris vitam, famam & gloriam quasi momento extingueret, ut obscuraret illud sidus, ut tenebris involveret illam stellam; verbo, ut eum neci traderet, impudicæ filiæ suggessit, ut Regi, qui propter impudicum saltum quamcunque, quam peteret,

peteret, promiſſerat mercedem, diceret. *Volo ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ*, Marci. 6. verſ. 21. Dictum, factum! Rex *miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput ejus in diſco; & decollavit eum in carcere, & puella dedit Matri ſuæ.* Advertite admirabilem Dei providentiam! Poterat Herodias architectatrix hujus feralis ſcenæ, debacchari pro libitu in ſacrum illud caput à corpore diſſectum; potuiſſet proijcere canibus, potuiſſet præcipitare in ſordes, potuiſſet varijs modis dehoneſtare, ſed, nihil profeciſti, ô muliebris & cœca ſævitia! omnes adhibiti conatus, ad ignominiam occiſi, redundarunt in gloriam. Ecce! carnifex, qualem poſt mortem S. Joanni exhibuit honorem, dum præciſum caput aureo imponit diſco. Qualis honor! dum non lictor vel lanio, ſed ipſa puella, ſuis manibus in vaſe pretioſo, tanquam in nobili ferculo triumphale caput deportat, & regiæ menſæ imponit. Nobile caput! gemma in concha, cœli pomum in caniſtro, ſidus in firmamento; faſciculus florum in calatho, lucerna in candelabro, victima Domini in phiala, judex in aureo ſubſellio ſesſitans, ut mortuus arguat adulteram, & damnet homicidam. Sic Herodias non auxit Joannis ignominiam, ſed potius invita cumulavit.

Non erit injucundum audire argutias S. Petri Chryſologi Serm. 174. Herodiadem portantem caput Joannis, ita alloquentis. *Cur in diſco? cur pretioſe geſtas, quem viliter occidiſti. Niſi quia pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus? Hoc ipſum quod vis non agis, quomodo ipſa vis: quia agit te ſuperna ratio aliter, quam vis: in illo quidem tunc ferali antro, rabies ſe paſtam credidit, cum caput Martyris vidit; totum ſuum ſenſit, cum liquorem ſacri ſanguinis ſitiens, aſpexit: ferculum crudelitatis ſuæ, toto ore, totis faucibus contendit, & conatur abſorbere. Sed Ioannes venit in ſublimi poſitus, ut lucerna ſuper candelabrum, tenebras ut fugaret, dicente Domino, Ille erat lucerna ardens & lucens. Venit Ioannes ut Iudex in tribunali reſplendens, ut qui arguit adulterum, & damnat adulteram.* Infamis Joannis mors, coram hoc mundo, co-

§. 5. Elegans diſcurſus S. Petri Chryſol.

Digitized by Google

ram oculis Dei, per ipsos hostes, ipsum fecit gloriosissimum. Nihil tribulatio illi nocuit.

§. 6. *Digressio ad S. Bartholomæū.* Idem accidit glorioso Apostolo S. Bartholomæo. Tyrannus instigante idololatria, per crudele martyrium, voluit extinguere nomen, vitam, & famam ejus, sed auxit gloriam. Pretiosa fuit ejus mors (poterit fieri pulchra digressio, & allocutio ad tyrannum, v. g. frustra agis sævitia, &c.) Virum fortem ita describit ex Platone S. Clemens Alexandr. *Etiamsi torqueatur justus, etiamsi ei effodiantur oculi, tamen erit beatus. - Et licet quis ei inurat ignominiam, eumque exilio, & publicatione facultatum, & postremò morte afficiat, nunquam avelletur à libertate, & præcipua in DEVM charitate.* Talis vir fuit S. Bartholomæus! licet vivus fuerit excoriatus, &c. summa fuit gloria, pro Christo pati.

§. 7. *Quænam merces laborum.* Matth 16. vers. 24. hortatur Jesus S. Petrum ad sui sequelam, ad subeundam mortem, & tollendam crucem. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Rem arduam petiit Christus D. à suis discipulis; sed quale proposuit præmium? quam mercedem? Ipsa Crux est præmium & merces; amanti, præmij loco sufficit passionum tolerantia, & laboris consortium, & communicatio plagarum Christi, ut omne gaudium illas existimet, & in ipsis exultet. Quid enim jucundius, quid pretiosius, quam cum dilecto patienti pati, & cum Christo confixum esse cruci. *Ideo*, (inquiunt S. Chrysom. & Hugo. Card.) *nullus verecundetur Crucem: Circumferamus eam ut coronam.* Crucem debemus amplecti, non tanquam probrum & ignominiam, sed veluti regale sceptrum & diadema; ipsa crucis bajulatio, est gratia, & merces magna nimis. S. Ambrosius l. 1. de Jacob c. 7. *Habet in se remunerationem suam, qui sequitur Iesum; & in suo affectu præmium, etiamsi dura sustineat, Beatus! ipsis periculis.* Ipsum pati, & cupiditas duriora perpetiendi, pro præmio compensatur. Quid honorificentius? quid divinius? quam pro Deo perferre cruciatus; qui ipsum Dei Filium reddiderunt gloriosiorem. S. Chrysostomus in Psalm. 124. ponit quandam oppositionem, quæ hunc discursum valde illustrat. *Vnde clarum est*,

Digitized by Google

est, quod etiam ante supplicium, vitium supplicium infligit, & ante remunerationem virtus remuneratur. Quemadmodum enim illa habet in se ipsa præmium (præsertim fortitudo & constantia, in rebus arduis perferendis) *etiam ante coronas.* (hoc est, in hac vita pati, est suave, & gloriosum) *ita etiam hoc pœnam in se continet, antequam puniatur.* Sapientissimè dictum! habet crimen in ipsa perpetratione, flagra, & animadversiones, crudeles conscientiæ morsus, & pœnæ impendentis horrorem, quo continuò animus sauciatur, & tanquam ad vibratum super caput gladium, aut fulmen tremiscit. Virtus verò per se grata, jucunda, tanquam emanatio quædam, & splendor solis æterni, animam complet divinis fulgoribus, reddit hilarem, & exultantem dulcedine suâ; & stillicidio quodam de torrente voluptatis defluente, in pectus justi; præsertim, dum pro Deo patimur, & ardua toleramus.

Tribulatio Viris sanctis multum prodest. Exod. c. 3. ℣. 2. dum Moyses in monte Sinai pasceret gregem; vidit, *quod rubus aliquis arderet, & non combureretur*: horridus & senticosus frutex symbolum fuit, electi populi, sed oppressi à Pharaonis tyrannide; Vorax itaque flamma denotavit calamitatem, tentationem & tribulationem, quæ populum valde vexabat, & tamen non consumebat. Peculiaria divinæ sapientiæ arcana, in hoc igne observavit Philo Judæus l. 1. de vita Moysis; dicens: *Correptusq; totus rubus à radice, usque ad cacumen, flammâ in morem fontis scatente, manebat integer & illæsus, quasi non esset incendii materia, sed ipse ab igne aleretur: fieretq; illustrior & formosior.* Alterum beneficium acceptum ab igne notarunt alii Interpretes, dicentes: *Fuit dictus ignis præsentis beneficii demonstrativus; quo quidem beneficio divina virtus multiplicabat, & crescere faciebat Hebræos, inter tribulationes Ægyptiorum; sicut & conservabat rubum integrum, & illæsum inter flammas. Nam secundum Iosephum virtus illius ignis, faciebat subitò rubum ramos fructiferos germinare, quod natura aliàs fecisset successivè.* Itaque ex igne rubus non sensit damnum, sed lucrum. Ut sciamus, ignem quoque tribulationis non perdere aut consumere angustiatum, sed muneribus cumulare; non obesse, sed prodesse. Est enim adversitas, perennis beneficiorum fons, indeficienter scaturiens, & limpidos

§. 2. Tribulatio prodest, cujus rei symbolum fuit rubus ardens incombustus.

Digitized by Google

latices gratiarum refunderis, ut vir fortis instar palmæ eò uberiores & pulchriores, pulcherrimarũ virtutum, ramos progerminet. (fiat digressio ad S. Bartholomæum, quod fuerit talis rubus, vel invicta palma, cui culter tribulationis nihil obfuit, sed profuit.)

§. 9. *Calamitas viro forti est meridies; fons & scaturigo luminis atque gloria.*

Arcanis & mysteriosis verbis, si bene expendantur, Deus fuit consolatus, afflictissimum Jobum, inter mille calamitates comprehensum; dum cap. 11. ℣. 17. ad illum ait: *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cùm te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* LXX. sic vertunt; *De meridie autem orietur tibi vita. Meridiei verò nomen*, Olympiodorus *transfert ad ipsam calamitatem; Est enim meridies, lumen solis exurens. Vt igitur doceat, illi in calamitate versanti, divinam opem affuturam, meridiei, id est, vehementioris æstus mentionem facit, dixitque ejus præsenti calamitati Dei opem orituram.* Aliàs in sacra scriptura calamitates & tribulationes exprimuntur per noctem & tenebras; hîc verò per meridianam lucem depingitur, quæ est veluti fons luminis radiorum; qui quidem urunt, sed simul illustrant & irradiant: in gravi adversitate, judicat se homo deductum ad portam & umbram caliginosæ noctis, & catenâ tenebrarum compeditum. Verùm eadem adversitas instar meridiei, & serenissimæ lucis, eundem ambit, & virum fortem reddit illustriorem: & facit, ut amplius exæstuet amore divino, & flammiferâ charitate exuratur. De meridie adversitatis oritur vita, vigor, splendor, & gloria! Calamitas scaturigo luminis est, & fons vitæ, quæ per tolerantiam laborum operatur mercedem æternam; neque enim radiorum illorum splendor animam hominis decolorat; neque fervor fericatis adversitatis illam facit nigram, & tenebrosam; sed instar solaris jubaris præfulgentem: tenebræ tribulationum sunt, sicut meridies, ut per tentationis lumen, lumen videamus æternum, quod procedit à Patre, apud quem est fons vitæ, quæ nullâ clauditur morte. (Iterum potest fieri brevis digressio ad S. Bartholomæum.)

§. 10. *Calamitas Abrahamo immolaturo filium*

Eximiam Abrahami fidem exploraturus Deus, Isaacum dilectum pignus postulat ad Sacrificium; cujus non tantùm substantiam, quod unicus filius, parentum solamen, oculorum lumen, veluti victima debeat immolari, & mactari; sed etiam ritum & modum

Digitized by Google


dum sive genus litationis multum demiror. Ait enim versus 2. cap. 22. Gen. *Offeres eum in holocaustum.* Per quæ verba gravissimum onus & præceptum Abrahamo imponitur, ut filius non tantùm offeratur in Sacrificium, sed in holocaustum; de quo lex ita loquitur Levit. c. 6 ℣. 9. *Hæc est lex holocausti: cremabitur in altari, totâ nocte usque mane.* & ℣. 10. *tolletq; cineres, quos vorax ignis exussit,* &c. *& usque ad favillam consumi faciet.* Non fuit satis Isaacum à Patre ad lanienam trahi; & dilectissimi filii jugulo cultrum infigi; non fuit satis innocenti cruore rubere parentis manus, & calido sanguine irrigari aram holocausti; sed truncum & exanime corpus, palpitantibus adhuc vitalibus, voluit Deus injici in ignem, & ad favillam usque conflagrare. Ut ex mente Oleastri Abrahamus dicere potuerit: *Quid est hoc Domine? si enim me lanionem filii facere vis, cur sepeliri non permittis, & saltem sepulchri præsentiâ consolari? Nihil horum,* (respondit Dominus) *sed in fumum carnes abibunt & ossa, ut nihil vestigii, quo consoleris, relictum tibi sit.* Sed quale certamen! cum gravi adversitate confligere, remotâ omni consolatione! quo conflictu Deus non nisi fortissimos heroes & fidissimos amicos probare solet. Tragœdiæ finem audite ex ore S. Cyrilli Alexandrini; *Neque verò infructifera res ei fuit tentatio cum tanta acerbitate.* Sed potiùs fons & scaturigo vitæ, gloriæ, & ingentis consolationis in Abrahamo. (est locus pro pulcherrima descriptione, exultantis Abrahami, & præ lætitia gestientis Isaaci.)

fuit fons gaudii & lætitiæ.

Quæ consolatio, quod gaudium invictos Martyres inter gravissima tormenta fecit tam fortes & animosos; ut riserint omnes cruciatus. Audite unicum S. Genesium, è mimo Christianum, qui post fustes, equuleum, virgas & lampades auditus fuit dicere: *Non est Rex præter Christum; pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis.* (hæc applica S. Bartholomæo, & fac ex his verbis affectuosum Epilogum.)

§. 11. Epilogus.

CON-



CONCIO LXXXI.

FESTO NATIVITATIS B.V. MARIÆ.

De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus,
Matth. 1. ỷ. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS.

FEstum Neomeniæ apud Judæos fuit figura festi Nativitatis Virginis, in qua illi impositum fuit nomen Maria: nomen dulce & amabile: nomen, quod significat stellam maris, & Illuminatricem. Nomen! Dominæ, & imperatricis! Nomen triumphale, Mariæ hostibus formidabile.

§. 1. *Juditha, figura B. Virginis nata!*

§. 2. *Quale festum apud Judæos fuerit Neomenia.*

§. 3. *Ritus & circumstantiæ hujus festi, applicantur Nativitati B. Virginis.*

§. 4. *Prosecutio.*

§. 5. *Prosecutio. Maria! porta cæli!*

§. 6. *B. Stanislaus ardens cultor B. Virginis.*

§. 7. *Maria! nomen dulce, & amabile.*

§. 8. *Maria! cæleste manna!*

§. 9. *Ineffabilis Mariæ suavitas, ad quam meritò suspiramus.*

§. 10. *Maria interpretatur stella maris.*

§. 11. *Maria est cælestis Pharus.*

§. 12. *Maria significat illuminatam, & Illuminatricem.*

§. 13. *Maria significat Dominam. Est hostibus formidabile nomen.*

Quam-

Digitized by Google

QVamprimum Jerosolymam pervenit rumor, de insigni victoria, quam heroina Judith reportavit, contra Holofernem victrici manu præscindens tyranni caput, summus sacerdos Joachim venit in Bethuliam, ut grato mirabilis fœminæ spectaculo, pasceret oculos, & venerabundus oscularetur manum, quæ gladium tyranni jugulo immersisset. Sacer textus ita ait, c. 15. v. 9. *Ioachim autem summus Pontifex de Ierusalem venit in Bethuliam, cum universis Presbyteris suis, ut videret Iudith. Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Eris benedicta in æternum, & dixit omnis populus, fiat! fiat.* Addit textus. *Omnes populi gaudebant cum mulieribus & virginibus, & juvenibus in organis & citharis*, v. 15. Bene ait Hugo Card. per Bethuliam & Juditham designatam fuisse B. V. in die lætissimæ Nat. prodeuntẽ ex utero Annæ. Bethulia interpretatur Virgo Domini, sive Virgo parturiens Dominum, sive Virgo dolens Domino. Maria fuit hæc Virgo, in Nat. Domini parturiens Dominum, dolens vero in passione. Hodie autem prodire & convenire decet nos omnes; ut videamus Cœlestẽ hanc Judith, i. e. B. Virginem Mariam. Hæc enim est illa puella, dicere volui, illa heroina, quæ non caput Holofernis, sed infernalis serpentis victrici pede, contrivit & conculcavit. Hanc puellam intuemini jacentem in cunis, & dicetis una mecũ, Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. O felicissima puellula! Tu eris benedicta in æternum! Audio felicissima auguria, Angeli, Archangeli, &c. respondent; fiet! fiet! Erit benedicta! applaudunt Dominationes, Potestates, Throni! fiet! fiet Erit benedicta! ita aggratulantur Cherubini, & Seraphini! fiet! fiet! Itaq; Auditores! (ut loquar cum Sergio Hieropolita Ser. in Nat. Mariæ) *In hoc festo, celebriq; luce buccina Spirituali clangamus. Etenim quæ præsenti die ex Davidico semine nascitur, Vita Mater, est tenebrarum expultrix, Adæ reparatrix, Evæ revocatrix; per quam in divinæ naturæ participationem translati sumus, atq; à morte ipsa liberati; & acclamamus ipsi omnes fideles, cum Gabriele: Ave gratia plena Dominus tecum; qui propter te, O Maria, magnam erga nos misericordiam declarat, atque demonstrat.* Benevolis auribus, & corde bono excipite quæ dicturus sum, & intelligetis.

§. 1. Iuditha figura B. Virginis natæ.

Digitized by Google

§. 2. *Qualis festum apud Iudaeos fuerit Neomenia.*

Neomenias, magnum in V. Test. apud Judæos festum, ortum sumpsit à Nova Luna, à qua Hebræi initium novi mensis computarunt. Quæ solennitas ad hunc finem fuit instituta, ut esset quædam gratiarum actio, pro beneficio divinæ gubernationis; in eaque deprecarentur Judæi, ne imposterum provida Dei manu destituerentur. Verum hodie Ecclesia Christi, aliam novam habet Lunam Mariam; cujus felicissimus ortus, sive dies lætissimæ Nativitatis in locum abrogatæ Neomeniæ succedit. S. Thomas 1.2. quæstione 103. art. 3 ad 4. *Festo Neomeniæ succedit festum B. Virginis, in quo primo apparuit illuminatio solis, id est, Christi per copiam gratiæ.* Unde etiam omnis cæremoniarum apparatus, quo antiqua Neomenia celebrabatur, ortui novæ Marianæ Lunæ applicari potest.

§. 3. *Ritus & circumstantiæ festi Neomeniæ applicantur Nativ. V.*

Nam 1. Judæi hoc festo gaudio exultabant, & clangebant tubis. Psalm. 80. vers. 4. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ* Multo magis hodie fideles exultant in Nativitate Mariæ, quæ gaudium annuntiavit universo mundo. *Speciosa ut Luna*, ait S. Ambros. *quæ toto mundo refulsit: & tenebras hujus sæculi illuminans ait: Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Ideoque hodie, ex mente S. Germani, *Commune totius mundi gaudium exortum est: laudatissima nimirum illa Virgo.* Et Hugo Cardin. super citatum versum, *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ. Hoc est thema in Nativitate B. Virginis, quæ est in Septembri; tunc enim nata B. Virgo, progressa est nova Luna in insigni die solennitatis. Dies illa insignis est, quia multis Prophetarum oraculis præsignata. Præceptum est, hoc festum B. Virginis* cum gaudio celebrandum; ut olim apud Judæos Neomenia.

§. 4 *Præfectio.*

2. Judæi hoc festo habebant privilegium immunitatis & remissionis, juxta illud Machab. *Omnes dies solennes, & sabbatha, & Neomeniæ, sint omnes immunitatis, & remissionis omnibus Iudæis, & nemo habebit potestatem, agere aliquid, & movere negotia adversum aliquem illorum in omni causa.* Ex dictis patebit, potiori jure nobis festum Nativitatis B. Virginis esse diem immunitatis & remissionis omnium peccatorum, dummodo

modo contriti confugere velimus ad Matrem Misericordiæ, quæ apud Christum est nostra Mediatrix & Advocata.

3. Ezech. cap, 46. vers. 1. refertur alius ritus, ait enim textus. *Porta atrii interioris, qua respicit Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit, die autem Sabathi aperietur, sed & in die Kalendarum. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius.* O felicissimam hodie Nativitatem illius Lunæ, illius Virginis, quæ nobis portam cœli, quam Eva clauserat, rursum aperuit; imo est, Janua cœli. Dicite itaque cum Ephrem Syro; *Ave! ave! O nata puella. Ave porta cælorum, & scala, ascensusque omnium. Ave reseramentum portarum cælestis Paradisi.* Piè Dionysius Carthusianus. *Laudemus Mariam per quam* (veluti januam hodie apertam) *Salvator mundi, venit in carne assumpta, ad genus humanum; & per ipsam habemus accessum, ad Salvatorem & Iudicem nostrum, tanquam per piissimam portam, omnibus patulam & apertam. Et sicut Christus est Misericordia nostra, sic ipsa est Mater, & Domina nostra Misericordia janua.* Prout adverto huic Januæ, huic Novæ Lunæ, aureis cunis pulcherrimæ Puellæ; Cœlestes genij aureis characteribus inscripserunt suavissimum nomen, *Maria.* Quid hæc vocula significet, vel quale nomen sit Maria, fortassis non erit injucundum audire, me quod attinet, libentissime loquor de hoc dulcissimo nomine. §. 5. *Propositio. Maria porta cœli.*

Beatus Stanislaus Koscka; adolescens amori Virginis addictissimus, exultabat præ gaudio cum in piis colloquiis inter socios, posset ingerere certamen, quis Mariam titulis magis magnificis & teneris honoraret. Amor hujus sancti erga Mariam, tam fuit ardens, ut dum suas preces eidem offerret, ejus cor, quod ignibus æstuabat, aqua frigida debuerit temperari, ne ardoribus succumberet; sæpius auditus suspirare, *Vror! uror totus ab ignibus amoris Iesu & Mariæ!* Qualis ejus vita, talis mors, moriens utriusque iconem inter sancta oscula amplexus, inter tenerrimos altissimi amoris actus exspiravit, nocte Assumtæ Virginis Dei matris. Simile certamen, cujus feci mentionem, reperio apud SS. Patres & Interpretes; quorum quivis contendit, amabiles de Nomine Mariæ proferre conceptus; tanto §. 6. *B. Stanislaus ardens cultor B. V.*

Digitized by Google

certe ardore & conatu, ut difficile sit judicare, cui debeatur victoria. Omnium in hac materia, aurea est eloquentia, & facundia! Omnium ingens ardor!

§. 7. *Maria nomen dulce & amabile* Dico itaque 1. Maria est nomen dulce & amabile. Dum enim Spiritus S. hodierna die, illam puellam, quam jam in primo Conceptionis momēto à peccato originali præservaverat, & gratia sua sanctificaverat, dum inquam illam, hodie in Nativit. *immenso lumine & sempiternis fulgoribus, & gratiore nectare* admirabilis alicujus suavitatis Spiritus S. replevit, merito appellata fuit Maria; quæ *rore cælesti*, id est, *gratia Spiritus S.* etiam in cunis fuit repleta, ut deinde, *dulcedinem paradisi generaret*, inquit S. Bernard. Piè S. Joannes Dam. orat. 1. de Nat. Mariæ. *Joachim & Anna, tanquam spirituales montes dulcedinem distillaverunt*, scilicet Mariam, cujus nomen significat *stillam maris*, quæ est vita & dulcedo nostra. Quod elogium S. Damas. videtur sumpsisse ex prophetia Joëlis c. 3. v. 18. *Et erit in die illa* (in die Nat. Mariæ) *stillabunt montes dulcedinem & colles fluent lacte.* Vatablus ait, *Mustum.* Alij. *Succum expressum*, scilicet ex rebus dulcissimis. Unde Vatablus ait, *Hac re significatur omnis suavitas.* Sicut enim nomen Mariæ, significat omnium gratiarum congregationem, & Oceanum; ita simul gaudiorum, suavitatum, saporum dulcedinumque exprimit abyssum. Quod de se ipsa prædicat Ecclesiastici c. 24. v. 17. *Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum* Causam subdit Dion. Carthus. in persona Virginis, *Spiritus meus omni creatura suavior · utpote melior, amabilior, amorosior, benignior, jucundior.* Ecce quinque suavissima elogia nominis Mariæ; est nomen optimum; nomen optimæ V. Est nomen amabilissimum! nomen amabilissimæ Virginis! Nomen benignissimum! benignissimæ Virginis. Nomen jucundissimum! jucundissimæ Virginis! Quæ omnia confirmat S. Damas. orat. 1. de Nat. *Hodie vinea uberrima ex Anna pullulavit, atque uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam.* Si ergo nata Puella tota est dulcedo, suavitas, si tota est nectarea, mellea; merito dicta est Maria, quæ vocula significat mare & Oceanum dulcedinis.

Idem

Idem hoc dulcissimum nomen exprimit, immaculatam Virginem, progenitam, instar roris matutini, & cœlestis luminis, totam cœlestem, veluti delapsam de cœlo. Ob quam etiam causam, Maria vocatur cœleste manna, ex quo delicatus vermiculus fuit generatus. *Digna planè & justa comparatio*, inquit D. Ambr. *Siquidē de manna vermiculus gignitur, & D. Iesus de Virgine procreatur. Quin potiùs ipsam Mariam, manna dixerim, quia est subtilis & splendida, suavis; & Virgo, quæ velut cœlitùs veniens, cunctis Ecclesiarum populis, cibum dulciorem melle defluxit.* Ut Th. de Kempis ser. 6. de nomine Mariæ benè dixerit: *O sacra & illustrissima Virgo Maria! quàm præclarum & laudabile est nomen tuum, in universa terra: nempe à solis ortu usque ad occasum, in diversis mundi partibus - prædicatum est nomen tuum. Nam usque ad cœli sidera te extollere, & super Angelicam dignitatem, tuam sanctitatem, & pulchritudinem - & suavitatem commendare vocibus altis, cuncti justorum spiritus inardescunt; congaudent & præ amoris magnitudine, & devotionis dulcedine, cantando, meditando, &c. nequeunt fatigari.* §. 8. *Maria cœleste manna.*

Hugo Card. de Deipara super citat. versum: *Spiritus meus super mel dulcis*, &c. ita ait: *In ea enim spiritualis delectatio excedit omnem terrenam delectationem, - omnem dulcedinem temporalem.* Unde B. Bernardus. *Adeò dulcis est spiritus, ut nec ejus dulcedini prævalere queat, ipsa amarissima mortis amaritudo. Quid ergo nō temperet illa dulcedo, quæ mortem facit dulcissimam.* Quod experti sunt innumeri Virginis Clientes, qui pronunciando dulcissima Jesu & Mariæ nomina suavissimè, & inter cœli delicias, in Domino obdormiverunt. Ideò dilectio hujus nominis, & amor Mariæ, *in anima generant, quarumlibet corporalium deliciarum fastidium, & ex intimo affectu omnium exteriorum verum quendam & spontaneum despectum; ut qualibet etiam carnis deliciæ & blanditiæ, non tantùm non sapiant, sed habeant in abominationem.* Claudat hoc punctum S. German. sæpius citatus. *Quapropter benedictum nomen tuum in sæcula; quemadmodum enim siticulosus ad fontem properat, sic omnis anima fidelis ad te accurrit, tuo ut auxilio impleatur, ac rursus, uti hujusce aeris perceptio vitalem hominibus odorem inspirat, ita & Christiani omnis ad te respiratio, divinitatis* §. 9. *Ineffabilis Mariæ suavitas, ad quam moriendo aspiramus.*

Digitized by Google

tatis ipsum participem facit. Neque enim tantùm cæli haustu animæ nostræ respirant, quantum nominis tui protectione confirmamur. Pergit: *Quisquis Mariam amat, Mariam assiduè spirat, & habet ante oculos propositam; non tantùm amat, ut spiraculum vitæ, sed habet Mariam pro spiraculo vitæ, seu pro vita, quâ respirat.* Quapropter benedictum sit nomen ejus in sæcula.

§. 10. *Maria interpretatur, Stella maris.*

Dico 2. Nomen Mariæ, de incomprehensibili divinæ sapientiæ arcano, & abundantiâ divinæ pietatis scaturiens, plerumque cœlestibus Sacramentis; significat Illuminatricem, vel stellam maris. Quæ ex mente Ruperti, L.1. in Exod. c 8. *Et nos illuminat; & nostro mari, id est, huic sæculo stella est: ubi attendimus illi, tanquam lucernæ ardenti, in caliginoso loco, donec lucescat dies, & Lucifer oriatur in cordibus nostris.* Card. Hailgrinus in c.1. Cant. *An ignoras te, quod sis stella maris, quæ non solùm bene merentes dirigis, sed etiam errantes & devios reducis ad portum salutis? An ignoras te, quod sis mediatrix Dei, & hominum, ut peccatores discordantes à Filio tuo, reducas ad concordiam: An ignoras, quod sis pulcherrima mulierum, & ideo in intercedendo pro peccatoribus potentissima.* Et S. Bernardinus t. 3. de nomine B. Mariæ c. 3. *Stella illuminat noctis obscuritatem, sic etiam B. Virgo. Certè ante adventum ejus* (antequam nasceretur) *peccati nebula totum mundũ occupabat, ut non esset, qui verum lumen videre posset; erant enim omnes gentes, quasi nebula turbinibus exagitatæ, proinde in tenebris morabantur. Tandem* (hodie) *processit B. Virgo, sicut fulgida stella, effugans illas tenebras, ut de ea dici possit illud Eccles. cap. 50. quasi stella matutina in medio nebulæ.* Uti ablato sole, omnia tenebris inhorrescerent, sic erat sine Maria mundus; ignorantiæ & malitiæ caligine consepultus jacebat; Sed Maria, velut exoriens lucida stella & lampas, lumen virtutis & consolationis in mortale genus diffudit. Quam geminam illuminationem ab hac stella, à Maria; expertus fuit S. Germanus in encomio B.V. *Sed o mihi sola Domina, mea ex Deo consolatio: ardoris, qui est in me, ros divinus; exsiccati mihi cordis divinitus irrorans adspersio, tenebrosæ meæ animæ lampas lucidissima, dux meæ dubitationis - & stella lucidissima.* Suavissimi effectus, benevoli & amabilis hujus sideris.

§. 11. *Maria est*

In dextera portus Alexandrini, ut refert Egesippus de exc. urb.

urb. Hier. l.4. c.27. erat turris maxima, quam Pharum vocabant; eò quod longè videretur à navigantibus, ut priusquam ad portum appropinquarent, nocturno maximè tempore, terram finitimam sibi esse flammarum indicio cognoscerent; ne decepti tenebris in scopulos inciderent, aut vestibuli limitem non possent apprehendere. Erant etiam illic ministri, per quos subjectis facibus, cæterisque lignorum struibus, accenderent ignem, quasi vicinæ terræ prænuntium, & indicem faucium portuensium, sinuum undarũ, anfractuum, &c. ne perstringeret tenuis carina cautes, & in ipso ingressu offenderet inter opertos fluctus scopulos. Multò magis præcavet Maria, tanquam cœlestis Pharus, tanquam lucidissima stella maris, suis radiis & splendoribus, hujus sæculi & maris tempestuosi discrimina, admonetque undis agitatos peccatores, ne fluctibus obruantur, ne in syrtes impingant; ne Sirenum decepti dulci cantu, in scopulos allisi, miserum habeant naufragium: Maria instar stellæ suis fulgoribus nos illuminat, & dirigit errantes, ut teneamus portum salutis.

cœlestis Pharus.

Pergit S. Bonav. in speculo B. Mariæ lect. 3. & ait: Est illuminata, vel Illuminatrix, juxta illud Apoc. 8. *Vidi alterum Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria ejus. Terra verò à gloria Dei illuminata, est Maria; quæ sicut fuit illuminata à gratia ejus in terris; ita nunc illuminata est à gloria ejus in cælo; ut sic illuminata, fieret illuminatrix in mundo & in cælo*, vocareturque hoc lumen magnum, Maria! subdit S. Bonav. *Ipsa enim est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata à Deo, ut per ipsam contra tenebras mundi, illuminaretur Ecclesia.* Finem, vel causam, ob quam Deus in mundum misit hoc lumen, advertit Venerabilis Beda, t.7. fol.189 de nomine Mariæ. *In sancta & perpetua Virgine Maria, quæ stella maris, vel Illuminatrix interpretatur, ut illuminatores mundi, id est, Doctores sanctæ Ecclesiæ simus, & in cordibus credentium, lumen fidei, & amorem Christi, per doctrinam veritatis, & exempla sanctitatis, oriri faciamus, & Deo habitaculum præparemus.*

§.12. *Maria significat Illuminatam & Illuminatricem.*

Dico. 3 quod Maria interpretetur *Domina & Imperatrix*; est enim triumphale nomen, quod coronari debet coronis & palmis, ob insignes victorias, quibus de infernali serpente, & omnibus Christi

§. 13. *Maria significat Dominam, & est hostibus*

Christi Filii sui hostibus triumphat. Unde fit, ut illis Mariæ nomen sit formidabile. Ex mente S. Damasceni or. 1. de Nat. Mariæ. *O sanctissima Ioachimi & Annæ Filia! quæ potestates ac principatus fefellisti, atq; ignea maligni tela extinxisti. O sanctissima Filia, in maternis ulnis, conspicua, rebellibusque Angelis formidabilis.* Nec dissonat Thomas de Kempis in opusc. 3. p. serm. 4. *Expavescunt cœli Reginam spiritus maligni, & diffugiunt audito nomine sancto ejus, velut ab igne. Horrent terribile & sanctum nomen Mariæ, quod Christianis est summè amabile, & ubique celebre; non audent apparere, nec possunt sua ludibria exercere, ubi noverint nomen clarere sanctæ Mariæ, tanquam tonitruum de cœlo factũ sit, prosternuntur ad sanctæ Mariæ vocabulum; & quo sæpius illud profertur, ac desiderabilius invocatur, eò citiùs, & longiùs ipsi fugiuntur.* Quapropter benedictum sit nomen hoc in sæcula. Epilogus poterit esse conglobata quædam repetitio dictorum in laudem gloriosissimi nominis Mariæ.



CONCIO LXXXII.

FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

Non veni vocare justos, sed peccatores,
Matth. 9. ℣. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS.

CHristus D. est cœlestis Medicus, qui potest, scit & vult sanare vulnera nostra, dummodo sanari velimus. Miscentur varia de S. Matthæo.

§. 1. *Allocutio Matthæi conversi ad Iesum, tanquam medicum animæ suæ.*
§. 2. *Brevis propositio.*

§. 3. *Solus*

Plissimum discursum reperio apud S. Ambrosium l. 5. Comment. in cap. 6. S. Lucæ, in quo asserit, S. Matthæum, jam conversum, in domo sua Christum D. ita fuisse allocutum. *Solum te sequor Domine Iesu, qui sanas vulnera mea; Quis jam me separabit à charitate, quæ in te est? tribulatio? an angustia? an fames? Legatus sum fidei clavis quibusdam; & bonis compedibus charitatis innexus sum: omne mandatum tuum, sicut cauterium impressum tenebo: etsi urit cauterium, tamen putrefacta carnis exurit, ne ad vivum serpat contagio. Et si mordet medicamentum, tamen vitium ulceris tollit. Aufer igitur Domine Iesu, potenti machæra tua, meorum putredines peccatorum, dum me habes ligatum charitatis vinculis; seca quodcunque vitiorum est. Veni cito incidens occultas, & latentes, variasque passiones; aperito vulnus, ne noxius serpat humor. Emunda omne, quod fœtidum est, peregrino lavacro. Audite me terreni homines! qui in peccatis vestris cogitationes ebrias geritis. Et ego talibus passionibus eram saucius; Inveni medicum, qui in cælo habitat, & in terris spargit medicamenta. Hic solus potest sanare Vulnera mea; hic auferre cordis dolorem, & pallorem animæ qui novit occulta.* §. 1. *Allocutio Matthæi conversi ad Iesum tanquam medicum animæ suæ.*

Duo describit S. Ambrosius, S. Matthæum à Christo D. perfecte conversum; & Christum D. tanquam cœlestem Medicum animarum nostrarum, earumq; ut convertantur, & salventur, §. 2. *Brevis Prosecutio.*

Digitized by Google

tur, ardentissimum zelatorem. Prout ex præsenti discursu patebit.

§. 3. Solus Iesus est medicus animarum nostrarum, solus potest mederi nostris vulneribus.

Super Psalmum 43. acute observavit S. Ambrosius mulierem illam Evangelicam, quæ per duodecim annos affluentem sanguinem corporalium voluptatum sistere non potuit, non reperisse necessariam medicinam. *nisi posteaquam confugit ad Christum.* Tandem enim intellexit, *quod nemo perfectus medicus, nisi qui descendisset de cælo.* Cum fimbriam JESU tetigit, de illa fluxit unguentum vitæ, & medicamentum salutis. Turpissimum sanguinem solus Jesus sistere potuisset; hic solus, peccatorem potest convertere, & à gravissimis sceleribus liberare. Clemens Alexandr. lib. 1. pædagogi cap. 2. *Qui Verbum Patris est - qui fabricatus est cælum, &c. præcipui figmenti scilicet hominis, curam gerit; ejusque corpori & animæ medetur; qui est omni ex parte sufficiens medicus, humanæ naturæ servator. Solus humanarum ægritudinum Pæonius Medicus* (sive cœlestis Apollo) *& sanctus ægrotæ animæ incantator.* Pulchre, Incantator hic nominatur bonus Jesus, monet, terret, minatur, blanditur, mille modis ad sanitatem allicit, ut ægrotus è vulnere, è languore convalescat; sic ægrotæ animæ sapiens incantator est. Quod hodiernus Publicanus Matthæus in suo telonio fuit expertus. Cœlestis hic medicus, tam suavibus illum fuit verbis allocutus, tam gratiosis respexit oculis, ut statim surgens suum Medicum fuerit secutus.

§. 4. Sponsus nocte pulsans ad ostium sponsæ, Medicus

Intempesta nocte (Cant. c. 4. vers. 2.) venit sponsus, & jubet à sponsa sibi aperiri ostium; opportune, importune, interpellat & suscitat dormientem sponsam, de quo suaviter conqueritur citato loco; *Vox dilecti mei pulsantis; aperi mihi soror mea; quia caput meum plenum est rore, & cicinni mei guttis noctium.* Psellus acute ait, morbum sponsæ, quo laborabat, excitasse charitatem Dilecti, ut etiam, importuno tempore inviserit ægrotantem animam; eique optatam sanitatem offerret. Pro potione itaque illi obtulit dulcissimum philtrum, sive potum, ex guttis roris, quæ in aureis cincinnis veluti in pixide continebantur, de quibus Theodoretus ait sponsum dixisse: *Si aperueris mihi,*

dabo

Digitized by Google

dabo tibi munus magnum, rorem capitu mei, & cincinnorum guttas. Ros enim meus est hominum medicina. Ex quibus patet, intelligenda hæc esse, de pretioso sanguine Jesu Salvatoris; qui solus, vi amoris, & doloris expressus & eliquatus in torculari Crucis est medicina vulnerum nostrorum.

§. 5. *Quam mysteriosis verbis David Ps. 118. fuerit allocutus Christum D. tanquam Medicum.*

Sæpius citatus Ambrosius putat Regium Psaltem ad hunc medicum anhelasse, cum in meditatione scelerum populi, Psa. 118. exclamavit, *Tempus faciendi Domine.* Ita enim S. Ambrosius. *Ut si ingravescente ægritudinis alicujus incommodo, curras ad Medicum, ut citius veniat, ne postea subvenire non possit. Medicus enim tunc amplius desideratur, cum gravis incubuerit ægritudo languenti; ergo cum videat inspiritu Propheta prævaricationes populi, luxuriam, delicias, dolos; quasi pro nobis interveniat, currit ad Christum, quem solum tantis sciebat subvenire posse peccatis. Tempus itaque faciendi Domine, ut pro nobis Crucem ascendas, & mortem subeas* - & sanguinem effundas, qui solus tantis vulneribus mederi, & solus misero peccatori subvenire potest. Nunquam hodie conversus fuisset Matthæus; nisi in densis tenebris peccatorum, in quibus immersus jacebat, venisset prius Jesus, & pulsasset ad ostium, & medicinam obtulisset. O peccatores! si sanitatem quæritis: currite ad Christum! hic Crucem ascendit, hic in Cruce mortuus est, in Cruce sanguinem fudit, ut vulneribus nostris medeatur: ut cum publicano Matthæo perfecte convertamur! Et currite dum potestis; ne postea subvenire non possit, vel non velit. Cum in corpore graviter affligimur, tanto amplius medicum desideramus; cur idem non facimus, dum animæ nostræ languent, &c.

§. 6. *Vis & efficacia medendi, quæ fuit in Christo D. & modus quem observavit, dum mederetur.*

Vim & efficaciam, quam habuit Christus Dominus in sanandis ægris, & simul modum, quem in sanatione observavit, agnovit Isaias cum cap. 61. vers. 1. in persona Messiæ dixit; *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* Ubi pulchre S. Bernardus Serm. 16. in Cantic. *Venit ungere contritiones nostras, ac linire dolores. Scivit se ad infirmos descendere; & quoniam multa erant infirmitates, multa quoque providus medicamina curavit*

 afferre.

Digitized by Google

afferre. Vides quot phialas, plenas odoramentis, cælestis Medicus præparavit, ad sananda Vulnera illius miseri, qui incidit inter latrones. Spiritus enim vitæ erat in phialis: ex his profecto infudit oleum meis vulneribus. Aliqua ex his verbis peculiariter ponderanda sunt, v. g. *ut mederer contritis corde*: quæ voculæ insinuant, Christum D. nullum ægrum, nec cœcum, nec claudum, &c. à corporali infirmitate liberasse, nisi simul alleviasset peccatorum pondere, & nisi contritionem cordis languentibus indidisset. Pignus sanitatis, Contritio cordis. Prius sanabat vulnera animæ, lavabat saniem, putredinem scelerum abstergebat, ut sanitas rediret in corpus. Idem puto hodie contigisse in conversione S. Matthæi; dulcissima illa verba Christi D. *Veni, sequere me*; statim cum cognitione scelerum indiderunt ejus cordi, ardentissimam Contritionem, hinc sanitas!

§. 7. *Iesu Crucifixi vulnera sunt phialæ plena medicamentis.*

Mellifluæ vero illæ voces S. Bernardi, quot phialas plenas odoramentis, cœlestis medicus præparavit, ad sananda vulnera illius miseri, qui incidit inter latrones; necessario trahunt nostras cogitationes ad rosea Jesu Crucifixi Vulnera in Cruce. Ecce manum ejus dexteram, trabali clavo affixam Cruci, copioso stillantem cruore, & oleo misericordiæ, & vino ardentissimæ charitatis! Spiritus vitæ est in hac phiala; ex hoc vase infundit oleum nostris Vulneribus, (si placet, hoc modo pie & suaviter per alia Christi Vulnera poteris discurrere)

§. 8. *Allocatio S. Aug. ad Christũ D. veluti Medicum.*

Medici & medicinæ hujus necessitatem agnovit S. Augustinus, in Psal. 58. dum Christum D ita alloquitur. *Quid eram, nisi subvenires: quam desperatus eram, nisi curares? ubi jacebam nisi advenires?* Ita hodie loquamur de S. Matthæo. Ubi esset, nisi Christus D. subvenisset? ubi jaceret, nisi ille advenisset? Pergit S. Augustin. *Certe ingenti vulnere periclitabar. Et illud vulnus meum, medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti medico, nihil est insanabile; non renuntiat alicui.* Non avarus, non adulter, &c. à spe sanitatis decidat.

§. 9. *Cœlestis hic med. cus nullũ ægrũ ad se currentẽ repellit.*

Hæc est infinita cœlestis Medici misericordia, quod nullum ægrum à se abjiciat. De Nabuchodonosore Rege converso in bestiam, per integrum septennium, ait D. Patiamus. *Leonum*

in

in illo juba, impexa Cæsaries, pilorum horror, incurvi ungues; aquilarum pedem mentientes. Descriptio hæc fundatur in decretoria & justa irati Dei sententia, super Nabuchodonosorem, Dan. c. 4. ℣. 30. *Eâdem horâ sermo completus est super Nabuchodonosor,* &c. *ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.* Ideò, ut D. Patianus ait: *Horrebant illum homines.* Verùm postquam *septenni squalore decoctus est*, postquam oculi mentis ejus aperti sunt, ut agnoverit Dominum cœli & terræ; verbo, postquam conversus ad Deum egit pœnitentiam; *Quem horrebant homines, Deus recepit.* Illacrymantem suscipit, detestantem peccata complectitur, ad veniam & misericordiam admittit. Itaque etsi sub larva Nabuchodonosoris intueamur quemvis gravem peccatorem; non desperemus; si hodie surgat cum S. Matth. si &c. apud cœlestem Medicum Christum D sanitatem reperiet. Non avarus, non usurarius ab illo rejicitur. Est omnipotens medicus; omnes, sive quoscunq; ægros potest sanare. Omniscius medicus est! scit, quomodo possit sanare. Bonus! pius! benignissimus Medicus est, vult & cupit omnes sanare; dummodo nos velimus.

Eapropter peccatores omnes, à planta pedis, usque ad verticem peccatorum vulneribus scatentes ad pœnitentiæ pharmacum exprimit sanctus Ephrem Syrus serm. 1. de pœnitent. dicens: *Si insanabilium tibi conscius sis vulnerum, cogitationum & actuum in te latentium; quare occulta illa vulnera tua negligis, nolens ea medico, ut cureris, ostendere? quid times medicum? Non est durus, neque verò immitis, atque immisericors. Non utitur ferro, nec medicamento quidem austero, vel cauterio: solo verbo sanat.* Imò pretioso suo sanguine pro medicamine utitur; affundit oleum misericordiæ, vinum charitatis; hoc vino, hoc oleo, hoc sanguine, quid potest esse dulcius? quid efficacius ad sananda vulnera nostra, dummodo nos pauculas guttas veræ contritionis affundamus. *Medetur contritis corde. Qui sanat omnes infirmitates tuas*, ait David Psalm. 5. ℣. 102. Si tamen unam nos addamus conditionem, quam advertit S. Augustinus super citat. locum; Languor est? sanat & omnes languores tuos; Noli ti-

§. 10. Christus D. Medicus piissimus.

 mere.

Digitized by Google

mere. Magni sunt, inquies, sed major est medicus. Omnipotenti Medico, nullus languor insanabilis occurrit, tantùm, tu curari te sine. Dictum benè! O libidinose! quomodo fit, quod tot annis inter ulcera tam turpium scelerum prorsus contabescas? ecce medicum! ecce medicamenta! ecce aureas phialas! ecce Vulnera Salvatoris! & cur non operantur sanitatem? quid quærimus? miser non vult, non cupit sanari. (hoc modo poterit fieri pulchra inductio) sanguini Salvatoris, velle nostrum debet accedere. Debemus cum S. Matthæo surgere, &c.

§ 11. *Qui nos sanat, si sanari velimus.*

Circumstantiam hanc, quod licet habeamus Medicum, qualem descripsi, omnipotentem, &c. nihilominus sanatio vulnerum nostrorum à nostra pendeat voluntate, fusiùs in variis locis premit S. Augustinus, v.g. in Ps. 102. *Sanabit te!* Sed *- opus est, ut sanari velis. Sanat omninò ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius, quàm ut tanquam in manu tua vitam, sic habeas in voluntate tua sanitatem:* quam nisi tu velis, nunquam Christus D. impertietur. Joan. cap. 5. pius Jesus accedit infirmum inveterati languoris, jacentem sub porticu piscinæ Probaticæ, illum curaturus. Ecce optimam medici voluntatem & desiderium sanandi. Sed cur ℣. 6. quærit: *Vis sanus fieri?* nisi, quia, *voluntatem hominis requirit*, ait Hugo Card. *quia non justificat invitum.* Eccles. c. 15. ℣. 18. *Ante hominem vita & mors: bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* S. Chrysost. hom. 19. in Genes. *Quia liberi arbitrii nostram naturam fecit omnium Deus. Ipse quidem, quæ sua sunt, omninò pro sua misericordia semper exhibet; sed necessitatem utique non imponit, sed congruis remediis appositis, totum jacere in ægrotantis sententia dimittit.* Non excluduntur excitantia auxilia gratiæ; imò supponuntur; ut patet ex illis voculis, *appositis congruis remediis*; sed ex altera parte sanitas pendet à voluntate languentis (dicta pulchrè possunt ostendi, in Christo Domino & S. Mathæo.)


§. 12. *Cœlestis Medici ingens zelus, ut velimus sanari.*

De ingenti zelo, charitate, & fervore hujus cœlestis medici, quo flagrat, ut curentur infirmi, ut convertantur peccatores, non possumus dubitare: tandem quasi ultimo halitu vitæ suæ illud desiderium demonstravit; quando in cruce moriens, vehemen-

tem

Digitized by Google

tem profudit clamorem, Matth. 27. ℣. 50. *Iesus autem iterum clamans voce magnâ emisit spiritum.* Ubi S. Athan. quæst. 41. *Quare magna voce clamavit Christus in cruce? Responsio; ut suam declararet potentiam & charitatem, ut ita deterreret Judaos, & ad fidem adduceret. Et hac vox petras discidit, velum templi disrupit, terram movit, mortuos excitavit; sed ne sic quidem intellexerunt insensati Iudai.* Adeò tamen flagravit Jesus humanæ salutis amore, ut usque ad ultimũ halitum clamore valido, & cum lacrymis expresserit; O felicem pium latronem! felices illos, qui voce illâ moti, percutientes pectora sua, egerunt pœnitentiam! O infelicissimos Judæos! O miseros, obstinatos peccatores; qui nec sic quidem moventur ad pœnitentiam! quid nos agere debeamus, docet nos hodie S. Matthæus, &c. (fiat ex dictis pulcher epilogus.)



CONCIO LXXXIII.

FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Matth. 18. ℣. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS.

O Miseros nos! in hac lacrymarum vallê! nisi infinita Dei bonitas, nobis assignasset Angelos Tutelares; quod ex variis sacræ Scripturæ locis ostenditur.

§. 1. *Bonus amicus in afflictione, magnum est solatium.*

§. 2. *Miserrimus fuisset David, latitans in spelunca, sine auxilio de cœlo.*

§. 3. Bene-

§. 1. *Bonus amicus, in afflictione magnum est solatium.*

INgens afflicto est desolatio, dum homo in afflictione, se solum; ab omnibus derelictum, & omni auxilio destitutum arbitratur. Audi sedentem in sterquilinio Jobum, & suavibus quærelis implentem aera, cap 19. vers. 13. *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei, quasi alieni recesserunt à me.* Vatablus legit; *Desierunt me visitare, & consolari.* Animus enim ærumnis obsitus, recreatur amici alicujus dulci alloquio; & familiaris alicujus aspectus afflicto est jucundus. Compassio amici dividit quasi afflictionem, quæ afflicto longè est tolerabilior, si amici advertat compassionem. Talis nostra esset conditio, inter tam varias sæculi hujus afflictiones, tot persecutiones, tot spiritualium, præsertim hostium tentationes, nisi amantissimus DEUS familiarissimos amicos & custodes nobis assignasset, Angelos nostros Tutelares, ut de tentationibus nos eripiant, ut contra hostes nostros nos custodiant, ut nos visitent, & consolentur. *Ad adjumentum enim nostrum* (inquit S. Ambros.) *nobis sunt attributi*; cœlestes illi spiritus.

§. 2. *Miserrimus fuisset David latitans in spelunca, sine solatio de cœlo.*

Calamitatum suarum magnitudinem Regius Psaltes amplificavit his verbis, Psalm. 141. vers. 5. latitans in spelunca in facie hostium. *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me.* Ubi aureum os S. Chrysostomi ait: *Hic ostendit ingentem calamitatem, & hostium insidias, & quod est omnium difficillimum; nulli erant socii aut adjutores, hoc est maxima solitudo, summa abalienatio.* Intus in spelunca pavor; foris hostilis

Digitized by Google

ſtilis exercitus; qui necem illi inferre parabat. Talis eſſet conditio noſtra; dum infernalis Saul, cum ſuis aſſeclis nos perſequitur; niſi fortiſſimum de cœlo ſubmitteret auxilium, per tutelares Angelos, qui in ſummis adverſitatibus, noſtri ſunt ſocij, & adjutores; hoc nobis attributi, ut nobiſcum pugnent, & hoſtiles inſidias avertant. Neque David ſine fructu illam ſolitudinem & tantam perſecutionem ſuſtinuit; *Non modo hoc eum non læſit*, (ait S. Chryſoſt.) *ſed etiam valde juvit, utpote quod eum Deo familiarem fecerit.* Hoc eſt, David in iſtis anguſtiis didicit perfectiſſimam artem orandi; David toto corde clamavit ad Dominum, & certum præſidium de cœlo impetravit. Ecce duo ſalutaria monita, in tribulatione, inter tentationes; familiarisſime agere cum amico fideliſſimo, Angelo Cuſtode; & ferventer orare. Hæc agamus, & Angelicum auxilium nunquam nobis deerit, ad adjumentum noſtrum. attributi nobis ſunt ut de tentationibus nos eripiant; ut nos viſitent, & conſolentur. Si beatisſimos hos Spiritus nobis habeamus familiares; nunquam erimus ſoli.

In fornace Babylonica, inter igneos crepitantis incendii globos tribus adoleſcentibus non defuit Angelicum auxilium & cœleſtis conſolatio, ait enim Rex Nabuchodonoſor Dan. c. 3. v. 29. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis; & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti, ſimilis filio Dei.* quaſi diceret, ego juſſi tres projici in ignem, ſed video adeſſe illis quartum; qui ignes repellit, qui illos dulci aura refrigerat; qui eosdem ita conſolatur, ut lætisſimis vocibus laudent Deum ſuum. Qua occaſione S. Chryſ. t. 2. hom ita Regem alloquitur; *Exclude, ſi potes, adhuc demens eum, qui creſcit ad numerum; non poteris jam tuos finire damnatos, qui ſoli eſſe non poſſunt. fortior eſt, quem claudis. O quibus te incorrupta fides triumphis extendis; adeſt tibi amica Majeſtas, ut innocentia liberetur.* O quam miſera noſtra eſſet conditio, ſi in Babylonica fornace hujus mundi, inter flammas Sodomæ, non adeſſent nobis Angeli noſtri Cuſtodes, (hos quartus ille Juvenis ſimilis filio DEI inter Babylonicos ignes repræſentavit) qui à DEO attributi nobis ſunt, tam fortisſimi milites, ut ex tanto incendio, ut ex tot peri-

§. 3. Beneficia Angeli ergatres juvenes in fornace Babylonica.

culis liberemur. Justus, inter tentationes & ærumnas nunquam solus vivit; habet sui certaminis invictum commilitonem, Angelum Custodem, qui fidelem servum nunquam deserit.

§. 4. *Sicut sponsus sponsa ita Angeli defendunt suos clientes.* Cum dilecta Sponsa, variis agitata tentationibus, sibi videretur à sponso derelicta, illico mentem suam mutans, dixit c. 2. Cantic. vers. 9. *En, ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* LXX. legunt, *per retia.* S. Ambr. *per laqueos*, q. d. sponsa, video mihi positas insidias; paratos laqueos, &c. Sed meus sponsus non derelinquet me solam, instar hinnuli transiliet colles, ut suppetias ferat. Ubi Theodoretus. *Neque enim sponsam suam, dæmonum insidiis decipi permittit, & retibus comprehendi; sed liberat eam de laqueo venantium; & in ipsis tentationibus prospicit per retia, ac sponsam recreat oppugnatam.* Ad hunc eundem attributi nobis sunt Angeli Custodes. O nos miseros! si inter tot laqueos, tot retia, tot insidias, currere, ambulare, pugnare deberemus soli! Currentibus, ambulantibus, pugnantibus adsunt vigilantissimi illi spiritus, toti oculati, ut omnes tentationes provideant; ut pugnantes adjuvent, ut oppugnantes recreent. Neque enim Angeli Custodes, clientes suos, dæmonum insidiis decipi permittunt, & retibus comprehendi; sed liberant eos de laqueo venantium, & in ipsis tentationibus prospiciunt, per retia, & magna vigilantia pericula avertunt. Ad hoc nobis sunt attributi.

§. 5. *Quantum solatium tristi Agari ab Angelo.* Genesis 21. Abraham, Agari ancillæ tradit filium, panem, utrem aquæ, & dimisit eam. Abit tristis Agar, errans in solitudine, donec consumpta aqua & pane, abjecit puerum subter unam arborum; & abiit, seditque è regione procul, & dixit, vers. 16. *Non videbo morientem puerum, levavit vocem suam & flevit*: hoc est, ferventi oratione, cum lachrymis divinum imploravit auxilium. *O miseram Ancillam! O perditum puerum! nisi Deus per Angelum submisisset auxilium, & tristissimam fuisset consolatus. Sed felicem! dum afflicta, & multum ærumnosa* (sunt verba S. Chrysostomi homil. 38. in Genes.) *dolente anima Dominum invocavit, statim supernam visitationem assecuta est.*

Dum

Dum Angelus ei dicit, *Audivit Dominus afflictionem tuam. Noli timere; surge, tolle puerum tuum*, & ostendit illi puteum aquæ; & miseram fuit consolatus. Impletusque fuit versus, quem deinde cecinit David Psalm. 33. vers. 19 *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Ubi Hugo Cardin. ait. *Est eis Dominus juxta, ut medicus ægro; ut consolator afflictis; ut adjutor laborantibus.* Advertite ob eosdem fines nobis attributos esse Angelos Custodes; ut dies noctesque adsint suis clientibus; ut medici ægris, ut consolatores afflictis, ut adjutores laborantibus. Nescio, an non in hac lachrymarum valle subinde repræsentemus personam tristis Agaris, sub arbore Crucis, &c. discamus simul, quid agendum nobis sit, &c.

Genesis cap. 28. sanctus Jacob exul à paterna domo, peregrinus per varia itinera, pernoctare cogitur in Bethel; tectum fuit arbor; lectus, terra; cervical, saxum. Sic enim ait cit. cap. vers. 11. *Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere, post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.* Quis non putasset Jacobum, esse solum ab omnibus derelictum, sine omni consortio, in solitudine? *Sed vidit in somnis scalam, stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque ascendentes & descendentes per eam.* Scio sanctos Patres & Interpretes, varia & pulchra protulisse in medium, circa hanc amabilem visionem in somnis. In hoc de sanctis Angelis, eorumque auxilio & assistentia modo mihi placet S. Cyrillus Alexandr. lib. 1. Glaphyrorum dicens. *Postquam populus fidelis* (quem Jacob repræsentavit,) *acquievit Christo, qui est lapis electus, angularis, pretiosus* (*hoc enim vult sibi dormire super lapidem*) *doctissimus, quod soli in terra non sint futuri; at vero auxiliatores, & socios sanctos Angelos habituri, sursum ac deorsum currentes; ait enim alibi Christus*, Joann. cap. 1. *Amen, amen, dico vobis; amodo videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis; hoc, ut arbitror, est scala, sanctorum Spirituum sursum, ac deorsum discursitatio, qui mittuntur in ministerium, propter eos, qui futuri sunt hæredes regni.* (Potest fieri digressio,

§. 8. *Alia beneficia Angelorum erga Iacobum & c. 32. Gen.*

Digitized by Google

quam misera, & molesta peregrinatio esset vita nostra; dum quiescendum est sub arbore Crucis, super lapides, in nocte adversitatum, nisi socios haberemus sanctos Angelos Custodes, qui attributi nobis sunt à Deo, ut, &c.

§. 7. *Structura Cherubinorum in propitiatorio.*

De magnifica Cherubinorum structura, quos Salomon constituit in suo templo ait l. Paral. parte 2. c. 3. v. 13. *Ipsi stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum*: quibus verbis, non sine mysterio peculiariter exponitur aspectus Angelorum. Cur enim non recto obtuitu aspexerunt sancta sanctorum? cur vultus non invertunt ad arcam testamenti; sed ijs omnibus à tergo relictis, oculos conijciunt in partem domus exteriorem. Sapientissimus Salomon, hac statione & constitutione voluit insinuare formam ardentis animarum zeli, qui in Angelis præfulget, dum vigilantissimo ardentis charitatis oculo, homines intuentur de supernis, & erecta statura, expansisque alis amoris, ad animarum lucrum intendunt, ut opitulentur periclitantibus, ut suos clientes excitent ad cœlestem conversationem, & deducant ad æternæ vitæ consortium. Pulchre Vener. Beda lib. de templo cap. 13. *Angeli habent facies ad exteriorem domum, quia nos ab hujus ærumna peregrinationis ereptos, ad suum desiderant pervenire consortium.* Et subjungit. *Cur erecti stant? & aspicientes portam? quia Angeli sic perpetuo suam innocentiam* (& beatitudinem) *conservant; sic de animarum sanctarum in cœlis gloria congaudent. Vt eos quoque quos in terris adhuc peregrinari conspiciunt; electis opem ferre non desinant; donec & illos ad cœlestem patriam introducant.* Ad tam nobilem finem à Deo nobis attributi, hi amantissimi amici, socij, duces, commilitones, & magistri nostri!

§. 8. *Alia beneficia Angelorum erga Iacobum ex c. 32. Gen.*

Remigrabat Jacob ex Mesopotamia, in patriam Chanaan, stipatus corona fœminarum, cinctus parvulorum & servorum comitatu; vix discesserat, cum frater Esau, armatorum militum vallatus præsidio, & vindictam spirans illi appropinquavit: magno Jacob timore, propterea fuit perculsus; nihilominus impertcrrito animo, irato fratri factus fuit obviam. Sed unde in Jacob tam generosus spiritus? quis pavorem abstulit? Caput 32. Geneseos, vers. 1. satisfacit quæstioni, dum,

alta

ait, *Iacob abiit itinere, quo cœperat, fueruntque ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait, Castra Dei sunt hac.* Quorum verborum occasione Abulensis hoc loco Angelorum occurrentium officia, ita describit. *Angeli qui custodiebant illam terram, occurrerunt ei, ut ipsi prapararent ei in terra illa salvum conductum: quasi occurrentes alicui, volenti intrare in regnum eis commissum.* Juxta S. Chrysostomum & D. Thomam occurrerunt, non tantum tanquam legati, vel socij, sed ut armati milites, protecti armis, & in procinctu ad prælium, simul satellites & stipatores, ad defensionem Jacobi. S. Thomas. *Non solum vidit quasi euntes, sed eo modo, quo exercitus militum in castris solet stare*; ideoque Jacob exclamavit, *Castra Dei sunt hac.* Et ita, inquit S. Hieronymus, Jacob in tali periculo constitutus, *iturus* nihilominus *ad fratrem inimicum, Angelorum comitantium exceptus fuit choris* ad fidam custodiam. O nos miseros; in nostra peregrinatione hujus mortalis vitæ, ad regnum cœlorum; dum infernalis Esau, tot stipatus copijs, furorem spirans, instar leonis nobis occurrit; nisi socios haberemus sanctos Tutelares Angelos, qui ideo nobis attributi sunt, ut præbeant nobis salvum conductum', volentibus intrare in regnum cœlorum; Et non solum quasi euntes nos comitentur, sed eo modo, &c. (poterit fieri pulchra paulo ante dictorum applicatio.)

Super versum 5. Psalm. 43. *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus; qui mandas salutes Iacob. In te inimicos nostros ventilabimus.* Advertit S. Ambrosius, poni salutes in plurali, ut sensus sit, non hoc vel illud tantum bonum nobis dari à Deo, sed omnia, ad salutem nobis necessaria. In particulari de his bonis sive beneficijs addit; *Salus in protectione Angelorum, qui ad ministerium hominum deputantur.* Cordenus ait. *Per salutes, uniuscujusque Angelum tutelarem intelligit, qui salutes in plurali dicatur, quia omne bonum simul cum illo immittit Deus, quod quidem ad salutem corporis & animæ necessarium sit. Vnde quidquid boni expetere potest homo totum id cum Angelo, & per Angelum, largitur Deus, quia Angelis suis mandavit de te, in omnibus viis tuis.*

§. 9. *Cur Angeli Tutelares vocētur salutes Ps. 43.*

§. 10. *Cui comparentur igni & vento.* Celeritatem, ardorem, & efficaciam, quâ nobis succurrunt, expressit David Ps. 103. ℣. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* Hoc est, qui facit ut Angeli nostri tutelares, sint instar spirituum, vel ventorum, velocissimi, & instar flammæ ignis efficaces. Comparantur autem cum igne, quia sicut ignis immobiliter adhæ[r]escit materiæ, quam corripit, & nihilominus mobiliter conatur tendere sursum, veluti ad propriam patriam; ita & Angelus nobiscum residendo velut conquiescit, & simul ad cœlum usque negotia nostra acturus, & orationes Deo oblaturus celerrimè pervagatur. S. Bernard. ser. 4. de verbis Isa. *Vide flammam quasi volantem, & stantem simul: nec miraberis jam Seraphim stantes volare, stare volantes.* Comparantur præterea igni, sive ignei sunt spiritus; ut simul suos clientes accendant flammâ divini amoris. Ad tales fines à Deo attributi nobis sunt sancti Angeli, &c.

CONCIO LXXXIV.

FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.
Joan. 15. ℣. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS.

QVibus modis vel circumstantiis, Christus D. nos docuerit perfectissimam dilectionem erga proximum.

§. 1. *Exemplo Christi proximum magis debemus diligere, quàm nos ipsos.*

§. 2. *Christus D. erga omnes fuit suavis, mitis.*

§. 3. Be-

CHristus D. magis amavit nos, quàm se ipsum. Hoc insinuat ℣. 34. cap. 13. S. Joan. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quibus verbis Christus D. non qualemcunque amorem, sed eum, qui charitatem Christi, quâ animam suam pro amicis posuit, æmuletur, nobis singillatim commendat, ait enim: *Sicut dilexi vos, ita & vos diligatis*, quod quid est aliud, nisi sicut ego, non ea, quæ mea, sed quæ vestri omnium erant, considerans sanguinem ac vitam pro vobis, pro salute vestra, lubens, libensque profudi. S. Cyrill. Alexandr. l. 9. in Joan. c. 23. *Non enim solummodo dixit, mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sed novitatem rei ostendens adjecit, sicut dilexi vos, ita & vos diligatis invicem. Vt ergo novitatem præcepti facilè intelligamus, rimemur diligenter, quomodo nos Christus amavit*, quod S. Paulus eleganter expressit: *Cùm igitur in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ita cùm esset dives, factus est pauper, ut ipse Paulus rursum testatur: *Vides novum atque inauditũ dilectionis modum? lex enim fratrem diligendum esse ait, sicut se ipsum, Christus autem magis nos, quàm se ipsum amavit.* Ita diligamus. *Ita autem diligimus*, (ut inquit S. Chrysost. hom. 30. in ep. ad Hebr.) *si verè alter alterius curam gerimus*, si magis satagamus, ut proximo, ut egeno, ut pauperi sit benè, quàm nobis. Perfectionem attingimus

§ 1. *Exemplo Christi proximum magis debemus diligere, quàm nos ipsos.*

Digitized by Google

gimus mutuæ dilectionis, si ad exemplar à Christo D. nobis propositum in gratiam proximi nos humiliemus, si fiamus pauperes, dummodo proximus non egeat.

§. 2. *Christus D. erga omnes fuit suavis mitis.* Christus D. humanitate ad se traxit corda hominum, agendo cum illis urbane, comiter, & suaviter, ut ita nos habeamus erga proximum nostrum. Quod S. Malachias apud S. Bern. in ejus vita dixit de Episcopo. *Oportet Principem non dominari inter subditos, sed formam fieri gregis haud aliam sane formam, quam ab illo accepimus. qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*; & addit, *Quis mihi det hanc relinquere filiis, signatam sanguine meo*, hæc inquam, ego puto affirmari posse de illo, qui in mutua dilectione cupit esse perfectus, duo enim mihi à Christi D. exemplo præscribi nobis videtur; alterum, ut erga proximum nos exhibeamus humanissimos, mites, benignos & suaves. Alterum, ut peculiari cura satagamus, proximo nostro benefacere, ita apud omnes cordium erimus domini. Ut à primo incipiam, pulchre ait S. Leo Ser. 3. de Nativ. c. 2. *exinanitio enim illa* (Christi D.) *qua se invisibilis visibilem præbuit, non fuit defectio potestatis, sed inclinatio miserationis.* Hæc scilicet est proprietas perfectæ dilectionis, ut statim moveamur & inclinemur ad miserationem & compassionem. Filius Dei altissimi, ut generi humano salutarem medelam afferret, ut opitulari & mederi posset, id est, humanissimus fieri voluit; ut & nos fiamus omnibus omnia (quod de se asserit S. Paulus) dummodo opitulari possimus. En modum quo Christus D. hominum corda ad se pertraxit, Quid? duriter etiam cum hostibus egit? an minas intentavit? an convitia intulit? rarissime, cum zelus gloriæ Patris id suavit ad majus hostium bonum; in quotidiana conversatione (advertite formam, quam Christus D. nobis proposuit, juxta quam cum proximo debemus agere) nihil ipso humilius, nihil mitius, nihil urbanius, erga omnes patientissimus, qui opportunas curationes adhiberet magna verborum lenitate temporisque ac loci opportunitate nunquam intermitteret. Sic etiã cum peccatoribus ad eos sibi conciliandos manducabat atq; bibebat Matth. 9. v. 11. sic quocunque vocabatur, veniebat, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.

Qua

Qua de causa videtur dixisse sponsa Cant. 5. v. 6. *Anima mea liquefacta est, ut locutus est*; acsi diceret, ad alia sive legis sive Prophetarum præcepta & verba, antequam Filius Dei factus est homo, obdurueram, at dum blandissima verba vitæ à sponso meo Incarnato accepi, sic ejus amore & humanitate affecta est anima mea, ut à se ipsa pene deficiens, in aliam quasi formam, atque figuram fuerim transformata. In verbo *liquefacta* videtur latere elegans similitudo, desumpta à sole, vel ab igne, qui congelata solvit, rigoremq; atq; duritiem emollit. Ita sensit S. Thom. in expositione hujus loci, cum dixit: *Liquefactio opponitur colligationi, ea enim quæ sunt congelata, in se ipsis constricta sunt, ut non possint de facili subintrationem alterius pati: ad amorem autem pertinet, quod appetitus completur ad receptionem boni amati, prout amatum est in amante. Unde cordis congelatio, vel induratio, est dispositio repugnans amori; sed liquefactio importat quandam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile, ut amatum in ipsum subintret.* Infero ex hoc discursu, dilectionem proximi, juxta formam à Christo præscriptam, debere esse solem, qui benevolo aspectu omnes recreet, & foveat, sol & amabilis Phœbus est noster amor erga proximum, cum sumus mites, hoc modo etiam durissimorum corda liquefacere possumus. De Christi humanitate sive Incarnatione dixit Stephanus Cantuar. in alleg. Tilmanni; *nihil est, quod tantum nos accendat ad amorem, quam humilitas Incarnationis.* Idem verissimum est in nostra materia, nihil proximi amorem erga nos ita accendit, sicut humilis, mitis, suavis conversatio, in verbis & opere. Ita ergo exemplo Christi diligamus proximum, fiat pulchra repetitio dictorum. Quod tandem confirmo verbis Themistij or. 9. in laudem Valentis. *Qui quidem omnes præclaram naturam hominum assecuti ita intellexerunt, nihil ad alliciendam voluntatem efficacius esse benignitate ac beneficentia, longeque optimum id esse Principi amore ac gratia subditos allicere, non metu ac terrore dominari; hoc enim fit, ut volentibus: illo, ut invitis, ac detrectantibus dominetur, & benevolentiam quidem viribus nunquam, benevolentia vero quam plurimas vires expugnatas, atque eversas fuisse comperimus.* Ergo

§. 5. Benevolentia rapit animos hominum.

Digitized by Google

qui proximi animos oppugnare & expugnare decrevit, formam Christi, sive dilectionem in illos vel tanquam fortissimam belli machinam, vel tanquam irrecussabilem fascinum adhibeat.

§. 4. Dilectio proximi comparatur magneti.

S. Chrysostom. hom. 58. in Genes. *Nihil mansuetudine violentius*. Plinius Junior l. 8. ep. ult. *longe valentior amor ad obtinendum, quod velis, quam timor.* Quod si hanc humanitatis Christi victoriã atque triumphum, quem de hominum cordibus retulit, depictum videre velis, in celebratissimũ Ezech. currum oculos cõverte. Bellicosus & militaris ex una parte fuit currus. Siquidem inter nubẽ magnam, & ignem involventem, humana electri species conspiciebatur, ita Propheta c. 1. vers. 4. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens & splendor in circuitu ejus, & de medio ejus quidem species electri.* Conveniunt Interpretes. 1. hanc humanam speciem fuisse imaginem Verbi Incarnati. 2. Electrum non tam fuisse metallum, quam quoddam succinum, sive genus gummi, quod fluit ex arboribus, de cujus proprietate ita scribit Plinius; *Cæterum attritu digitorum accepta caloris anima, trahit in se paleas, ac folia arida, ut magnes lapis, ferrum.* Verum eadem vocula *succini*, in hebræo, *chasal*, idem significat quod *domare, deiicere, vincere*, ut hinc facile conijcias, eum bellici hujus currus sensum esse, Dei filium cum habitu inventus fuit ut homo, hominum animos debellasse, atque ad sui dilectionem rapuisse. Ita Maldonatus. Electrum autem misericordiæ symbolũ est, electrum enim sicut misericordia attrahendi, alliciendique vim habet. Sed id potius à Salviano Massiliensi elegantissime dictum lib. 4. de Prov. *accipe- sicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius admotæ, durissimum licet chalybem affectu quidem aspirante, suspendunt: ita etiam ille, id est, summa & clarissima negotiatorum cœlestium gemma, hoc voluit, ut dum se licet durissimis de cælo descendens propius adjungeret, affectu suo, nos quasi amoris sui manibus admoveret, ut agnoscentes utique dona sua, ac beneficia intelligeremus, quid nos pro Domino tam bono facere conveniret, cum ille pro malis servis tanta fecisse comperiretur.* Hæc Salvianus; ex quibus facile colligere possumus, qualis debeat esse nostra dilectio erga proximum, juxta formam à Christo Domino nobis propositam,

Digitized by Google

tam,, scilicet instar magnetis, vel gemmæ quæ suavi & occulta vi amoris, omnium corda & affectus ad se trahat. Clare, dilectio Christi erga nos fuit suavis, mitis, benigna, talis debet esse nostra, & nihil ad lucranda corda illa erit violentius.

§. 5. *Varia hujus dilectionis encomia quæ simul ostendunt qualis esse debeat.*

Hæc dilectio Christi omnibus illum reddit amabilem. Quod sponsa voluit affirmare, cum dixit Cantic. 1. v. 9. *Ecce tu pulcher es & decorus.* Duo amabilia advertis elogia, quorum prius ad divinitatem, quæ sibi quidem pulchra est, refertur; posterius vero ad humanitatem, qua Deus nobis peculiari ratione, factus est decorus. Prout decorum definivit Cicero l. 2. off. decorum dicimus, quia per se nobis placet, animosque omnium natura & specie sua commovet. Quod utrumque S. Bernardus admirabili elegantia expressit Serm. 64. ad cit. verba. *Aut certe in utraque Christi substantia dignum expressit, omni admiratione decorem, in altera natura: in altera gratia: quam pulcher es Angelis tuis Domine Jesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum, ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus minimeque fucatus candor vitæ æternæ.* mox subdit: *Quam mihi decorus es Domine mi in ipsa tui positione decoris! etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ubi pietas magis emicuit; ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit.* Quam clara mihi oriris stella ex Jacob! quam lucidus flos de radice Jesse egrederis? quam jucundum lumen in tenebris visitasti me oriens ex alto. Quomodo non pro his omnibus omnia ossa mea dicent, *Domine quis similis tibi.* Adverte mutuam nostram dilectionem erga proximum, si pulchra esse debeat & decora, debere esse humilem, piam, amabilem, veluti stellam, veluti florem, veluti amabilissimam lucem, quæ proximum, exemplo Christi recreet & oblectet.

§. 6. *Christus D. neminem offendit.*

Christum D. amantem & amatum sive amabilem eleganter descripsit Petrus Cellens. Abbas lib. 1. dum ait, *postquam Christum D. contulit propitiatorio. Sed unam præ aliis strictius suæ bonitatis religavit beneficiorum vinculum, quo spretus non sperneret, ejectus non abjiceret, offensus non læderet, sed satisfaceret sibi pro nobis de nostra injuria, sed requireret, sed reduceret. Quis hoc cacumine pietatis*

 eleva-

elevatus est, nisi Jesus? quis hunc verticem gratiarum subiit, nisi Filius Dei? quis tantos gurgites misericordiarum de ventre suo evomuit, nisi propitiatorium? Plane si in Jesu aliquid est melius ipso Jesu, id mihi est propitiatorium, id est, conciliatorium, sed Jesus totus desiderabilis, totus amabilis, amabilis ergo in arca, amabilior est in propitiatorio; desiderabilis ex bonitate, sed desiderabilior ex propitiatione, quæ est pinguedo bonitatis, quia superexaltat misericordia judicium.

§. 7. *Christus D. in omnibus nostram quæsivit utilitatem.* Talem dilectionem proximi juxta formam à Christo D. nobis propositam nobis suasisse videtur S. Paulus, cum dixit cap. 2. ad Phil. vers. 6. *Hoc enim sentite in vobis quod in Christo Jesu*, sive ut legit S. Athanas. *ea modestia sit in vobis, quæ fuit in Christo Jesu.* Dicamus nos, ea dilectio sit in nobis, quæ fuit in Christo Jesu, quam præcepit cum dixit Joann. 13. vers. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: in quibus verbis dilectionis eximiam perfectionem advertit Isid. Pelusiota lib. 3. ep. 410. Etenim diligere quidem in Veteri Testamento situm est, hoc vero, sicut dilexi vos, adjecit, eoque nomine mandatum novum appellavit. Aliud enim est diligere proximum sicut se ipsum, aliud sua negligere, ut proximorum commodis consulat; ut enim ipse non suam sublimitatem, sed hominum utilitatem sibi ob oculos proposuit, ac se ipsum humilians, formam servi suscipere minime gravatus est, ut servos ad filiorum adoptionem duceret: eodem modo etiam unumquemque nostrum non privatum commodum, sed proximorum utilitatem spectare jussit, in quo memores nos esse oportet dicti S. Bernardi. *Antiquorum sane Patrum diebus, donec in terris videretur, & conversaretur inter homines Dominus majestatis, non erat Evangelica forma perfectionis, sed Spiritum Domini solo interim spiritu sequebantur; at ubi Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, jam nobis in eo tradita est imago vitæ & conversationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari.*

§. 8. *S. Paulus quantum dilexerit.* Insignis imitator Christi D. fuit S. Paulus, & qualis debeat esse nostra dilectio erga proximum, optime & præclare explicuit, dum Phillippenses rogat, ut inprimis diligant Deum, deinde

de, *se mutuo in visceribus Iesu Christi*, c. 1. v. 7. acsi diceret S. Paulus: Mei Philippenses vellem, & cupio inprimis, vos intime uniri Christo D. & quodammodo in ejus viscera recondi, ut ab illis æque muniamini & confoveamini; In quo voto S. Paulus ingentem suum amorem erga Philippenses, demonstravit, dum desideravit illos recondi, abscondi in viscera Salvatoris. Quis enim ille locus, in quo illos abscondi tam ardenter desiderat? quam blandus? quam tutus? quam omnis perturbationis expers? dignus profecto qui excogitatus credatur, à sapientia & charitate Pauli, qui optime noverat, quantam misericordiam & amorem in se contineant, viscera sive pectus & cor amantissimi nostri Salvatoris, cujus misericordiæ dum Philippenses desideravit fieri participes, clare ostendit, quantum bonum illis vellet, cuperet & exoptaret. Ut ejus exemplo & nos mutuo nos diligamus in visceribus JESU Christi: sive ut nos reconditi & absconditi in visceribus Salvatoris nostri, vicissim in nostra viscera amoris & charitatis.

Philippenses, optando illis amorē Dei & Christi D.

§ 9. *Eleganti simili explicatur genius charitatis.*

Affectuosissima est hæc similitudo, quam S. Paulus desumpsit à visceribus, ut genium ingentis charitatis explicaret. Viscera in lingua Hebraica vocantur *Rachamim*, quæ vocula simul significat misericordiam seu commiserationem, qua phrasi S. Paulus ad Coloss. 3. vers. 12. dixit: *Induite vos viscera misericordiæ*; & ad Philippens. cap. 2. vers. 1. *Si qua viscera miserationis*. Sic etiam apud Latinos, præsertim Ciceronem, passim dicitur, habere aliquem in medullis, inhærere alicujus visceribus, id est, ab aliquo diligi & amari, vel alicui compati, alicujus misereri. Ideò etiam Hebræi & Rabini, blandissimum alicujus matris erga dilectum filium, affectum inhærentem visceribus, hac vocula significant, quod viscera membra sint, in quibus sensus maxime viget, quæ quavis tristitiæ, amoris, vel commiserationis occasione, dicuntur moveri, & commoveri, v. g. Gen. 43. vers. 30. *Commota sunt viscera Ioseph super fratre suo, erumpebantque lachrymæ*, quæ verba Pagninus ita transtulit, *Incaluerunt miserationes ejus*. & lib. 3. Reg. cap. 3. vers. 26. ad Regium Salomonis præceptum de dividendo filio, de quo lis erat, veræ matris viscera, *commota* dicuntur. Hoc sensu S. Paulus Onesymum, quem in

Digitized by Google


vinculis Deo peperit, materno affectu vocat *viscera sua.* Ita Zacharias Propheta in suo Cantico Lucæ 1. vers. 78. ut summam Dei benignitatem, qua visitavit nos Oriens ex alto, melius exprimeret, non dixit simpliciter, *per misericordiam Dei,* hoc tam eximium beneficium Incarnationis nobis fuisse collatum, sed *per viscera misericordiæ,* quasi in ipsamet misericordia quædam velut vitalissima & tenerrima membra considerans, quæ ad nostri commiserationem commoventur. Ostendit ergo S. Paulus hac viscerum metaphora, quantum optet, ut imprimis Philippenses, suavissimo charitatis, vereque materno affectu diligantur à Christo D. & ut ipsi amoris officia remetientes, Christum unice ac tenerrime diligant; tum vero eadem viscera suæ miserationis, quibus Christum incluserunt, per tenerrimos affectus miserationis effundant erga quemvis proximum, præsertim illum, qui indigus est commiserationis, ut sunt pauperes, egeni, orphani, pupilli, perpendite an ita erga illos sitis affecti, an ita ametis, an ita sitis prompti, ad illis succurrendum, ut possitis vocare viscera vestra.

§. 10. *Amor Iesu, quo dilexit nos, debet esse regula nostri amoris, erga proximũ.*

Non possum satis mirari, cum perpendo, quam eleganter Spiritus Sanctus per hanc voculam, *Viscerum,* nobis ob oculos posuerit, qualis & quanta Christi erga nos fuerit dilectio, & qualis vicissim nostra esse debeat, erga Christum D. inprimis, & deinde erga proximum. Rem miram refert Cœlius Rhodiginus de cete quodam lib. 11. cap. 21. *Partu edito, si quid interim sese ostenderit formidolosius, aut quid insidiarum moliantur prægrandes belluæ, quo catulos tueantur securius, affectu materno exsuperante omnia, aperire amplius ora memorantur, ac dente innoxio, partus præripere, & intra uterum recipere denuo, ut periculi facie discussa, velut ruminantia revomant rursum.* Advertite quæso causam, ob quam S. Paulus desiderarit nos abscondi in visceribus Jesu, & quare velit nos proximum nostrum includere nostris visceribus, ut scilicet Christus D. nos tueatur ab omni adversitate, & nos quantum possumus, proximum à malis liberemus. Ideo Spiritus Sanctus innuit ingens beneficium nostræ redemptionis ab ipsius Domini visceribus ortum habuisse,

Digitized by Google

se, ut significet multitudinem viscerum Dei, haud sese continere potuisse, quin ipse è cœlo descendens gravissimas molestias, labores, supplicia, ipsamque mortem devoraret: nec semel nos in utero gestasse, ac in cruce parturisse contentus, assidua solicitudine & cura, nullo labore fractus, per totum vitæ nostræ spatium in visceribus haberet, gestaretque: juxta illud Is. 46. vers. 4. *Ego ipse, & usque ad canos, ego portabo, ego feram, ego portabo, & ego salvabo*, quasi diceret, ego meos aliter amo, ac mater filios suos: quod hæ quantumvis tenero ac blando affectu filios diligant, eos solum cum parvuli sunt, nutriant ac bajulent, ubi vero grandiusculi esse incipiunt, ab uberibus & gremio deponant; ipse vero quos infantulos gestabat in utero, & fovebat in gremio, eosdem & ætate & moribus graves, iisdem visceribus infixos, ut muniti ab omni damno sint, indesinenter circumferat, & custodiat. Quisquis exemplo Christi D. visceribus charitatis proximũ ita concludit, vel ita in manibus suis describit, coram oculis suis, ut in necessitate, cum potest, succurrat, perfectam habet dilectionem.



CONCIO LXXXV.

FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Matth. 5. ℣. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS.

EXponit, quinam sint illi pauperes Spiritu, quibus Christus Dominus promittit regnum cœlorum.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1. *Exordium ex Evangelio.*

PUto, hodierno festo omnium Sanctorum, omnium Auditorũ ardens esse desiderium, ut aliquando, per sanctam mortem, veluti portam, ingrediantur in consortium beatissimi illius cœtus; in æternum beati! in æternum felices! in æternum intuituri claram Dei faciem! in æternum laudaturi SS. Trinitatem. Verum Auditores, itane hanc felicitatem desideratis, ut eandem simul sperare possitis? sperate, confidite, si estis pauperes spiritu, & mites! Confidite si lugetis, si esuritis & sitis justitiam; confidite! si estis misericordes, si mundo corde, si pacifici; si in persecutionibus patientes; Horum & Pauperũm est regnum cœlorum; mites possidebunt terram, lugentes consolabuntur, essurientes & sitientes saturabuntur; misericordes consequẽtur misericordiam; mundi corde Deum videbunt, pacifici vocabuntur filij Dei. Hi sunt gradus scalæ, per quam ascendere possumus ad cœlestem gloriam. Non dubito fore vobis gratum, si in præsenti concione paulo fusius vobis exponam, quinam sint illi pauperes spiritu, quibus Christus D. promittit regnum cœlorum. Itaque attendite.

§. 2. *Quisnam dicendus pauper.*

Beati pauperes spiritu. De his verbis Christi D. ait Cajetanus *Prædicavit Iesus, relinquenda omnia non solum affectu, sed effectu adsequendum ipsum, si perfectio desideratur.* Verum, quia plerisque hæc verba videbuntur nimis dura, & difficilia, placent mihi Interpretes, qui ex sapientissimo Seneca definiunt, quisnam vere dicendus sit pauper, sive spoliatus ab omni Inordinato affectu, erga divitias, sive bona hujus mundi, quam animi dispositionem Christus D. à nobis exigit, ut assequamur regnum cœlorum. Ita ait Seneca lib. de vita beata cap. 4. *Summum bonum est animus fortuita despiciens*

Digitized by Google

despiciens: virtute lætus. Et statim. *Libet & ita definire, ut beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus, malusque animus. Honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita, nec frangant; qui nullum majus bonum eo, quod sibi ipse dare potest, noverit; cui voluptas erit, voluptatum contemptio. Quid enim prohibet, nos beatam vitam dicere, liberum animum, & erectum, & interritum ac stabilem extra metum, extra cupiditatem positum? Cui unum bonum honestas, unum malum turpitudo.* Ex quibus patet, in quibus vera beatitudo, etiam in hac vita consistat; non in florida juventa, non in divitiarum affluentia, non in gloriosi nominis fama, non in orbis imperio, non in deliciarum & voluptatum ubertate; sed in animo excelso, qui, ne regnum cœlorum perdat, terrena omnia despicit, & licet dives sit, licet in honoribus vivat, licet coram sæculo sit gloriosus; tamen mavult omnia, quam Deũ & cœlum perdere. *Cui nullum bonum, malumq; sit nisi bonus malusq; animus Honesti cultor, virtute contentus.* Talis revera est pauper spiritu.

Talem videtur voluisse describere Regius Psaltes, dum Ps. 9. v. 10. ait; *Et factus est Dominus refugium pauperi.* Alij secundum S. Chrysost. legunt, *Attrito.* Alij. *Confracto.* S. Hier. *Oppresso.* Alij *Contrito.* Pagn. *Tenui.* Felix, *Inopi.* In quibus voculis sine dubio peculiare latet mysterium. In quo Davidis mentem sic exponit S. Chrys. dum inquit. *Vocat assidue se ipsum, & pauperem, & mendicũ, licet regiam teneret.* Ergo & Reges, & Principes, & divites, inter honores & divitias, possunt esse humiles & pauperes, ut & Regibus atq; divitibus debeatur regnum cœlorum. Et illis Dominus est protector, eritq; aliquando remunerator. Pergit S. Chrysostom. *ita etiam alibi;* ait nimirum David; *Ego autem mendicus sum, & pauper; sciebat enim, clare sciebat, omnia humana esse umbra imbecilliora, & nihil esse nobis virtute magis proprium: reliqua autem omnia, esse similia foliis extrinsecus appositis. Quod enim virtus sit nobis propria, ex hoc clarum est, quo quoque recesserimus, eam circumferrimus: illa autem non itidem. Hoc est ergo nobis magis proprium, alia autem sunt remotiora.* Docuit ergo nos Regius Psaltes, de regio throno, veluti subsellio & cathedra Sapientiæ, illos etiam divites, esse vocandos pauperes, qui licet bonis abun-

§. 3. Quo sensu David, Rex, se potuerit vocare pauperem.

dent, tamen magis adhærent virtuti, de qua persuasum sibi habent, hanc solam esse opulentiam stabilem, quæ nec temporibus minuitur, nec furum incursus aut direptiones patitur: Et semper cogitant, divitias, licet etiam sint dona Dei, licet cum illis salvari possint; esse tamen aliunde spolia mortis, esse omnia fluxa & caduca, inania & transitoria. Ac proinde potius Deo
2. & cœlesti gloriæ, corda affigunt, ut sacer textus loquitur, quam fallacibus bonis hujus mundi. Hanc quoque maximam cordibus suis alte impressam circumferunt. In tempore mortis, in supremo agone, divitiæ, honores, & mundus nos deserunt. Nihil tum prodest, fuisse Regem, fuisse Principem, divitem, &c. nisi adsit virtus. Hac comite & duce, ipsas portas æternitatis læti ingrediemur. Hoc itaque sensu, omnes possumus, & debemus esse pauperes, si desideramus cum sanctis aliquando possidere regnum cœlorum.

§. 4. *An dives possit gaudere in divitiis, &c.*

Perscrutatur S. Ambrosius an justus in hac vita oblectari possit sanitate corporis, abundantia divitiarum, splendore honorum, nobilitate filiorum & amicorum; hoc est, an quis lætus esse possit arridente prospera fortuna. Et respondet, hoc salva conscientia, & sine offensa Dei posse fieri; ita tamen vir justus & homo timens Deum, sollicitusque de salute animæ suæ, animum suum debet habere paratum, ut si Deus omnia illa velit deficere; si justo judicio permittat nos illis spoliari; si morbis, si fame, si ab hostibus, nos velit vexari, atteri, conteri; verbo, si etiam amabili & paternæ ejus providentiç placeat, nos esse pauperes, mendicos, contemptibiles coram hoc mundo; si orbemur filijs, & amicis, tamen animus noster non frangatur; sed paratus sit in flagella, paratus ferre, pati, sustinere hæc omnia patienter; hæc, inquam, est vera paupertas spiritus; quam omnes possumus & debemus habere, exemplo Omnium Sanctorum, si desideremus gloriæ illorum aliquando fieri participes.

§. 5. *Testimoniū S. Ambros.*

Meretur elegantia verborum S. Ambrosij, ut illa audiatis. *Illud profundum puto, virum justum nihil velle, nisi illud solum & præclarum donum; huic soli intendere; hoc unum in bonis ducere; non aliud cum illo, sed solum ipsum semper desiderare, hoc delectare;*

scilicet

Digitized by Google

ſcilicet virtute, bona conſcientia, & amicitia Dei.- *Quibus ſi aliud adjungatur, quod delectet eum*, v.g. filiorum ſuavitas, divitiæ, ſanitas, &c. admittit quidem, ſed tanquam folia, tanquam extrinſeca bona, &c. paratus, ſi Deo ita placeat, illis ſpoliari; & vexari, &c. dummodo Deum retineat, &c. De hac paupertate in hodierno Evangelio loquitur Chriſtus D. Homo juſtus, primo loco, & primario, nihil vult niſi Deum, ejus gratiam & amicitiam; & quod ſequitur, ſalutem animæ ſuæ; & denique, cum Deo placuerit, cœleſtem beatitudinem, ſive regnum cœlorum. In quo ſunt vera bona - *ſolida ac ſempiterna; quæ cadere non poſſunt, nec decreſcere quidem ac minui*, inquit Seneca. *Vna hac via eſt, ad tuta vadenti; & externa deſpicere, & honeſto contentum eſſe.* - *Quicunque beatus eſſe conſtituit, unum eſſe bonum putet, quod eſt honeſtum.* Reliqua ut adijciuntur nobis, ita & tollentur.

Auream quæſtionem proponit aureum os S. Chryſoſtomi hom. 54. in S. Matth. *Quid enim tibi videtur in præſenti vita jucundum atque ſuave? menſæ delicioſa, bona valetudo corporis, ingens gloria, divitiarum copia?* ſit ita! permittamus aliquem ita delectari; dummodo huic delectationi accedat paupertas ſpiritus; quam habent illi, etiam divites; qui & alteri dicto S. Chryſoſtomi fidem habent, dum ait, *Hæc voluptas, ex divitiis, &c. illi voluptati, quæ virtutem conſequitur, collata; amara & mæſtitia plena videtur. Nihil enim jucundius eſt*, præſertim in hora mortis, *quam conſcientia bona, & ſpes futurorum certior.* §. 6. *Teſtimonia S. Chryſ.*

Et ſtatim proponit nobis ob oculos, hominem morti proximum, cujus memoriæ occurrunt, hinc prædicta & licita mundi oblectamenta; hinc vero mundi contemptus, actus virtutum, opera bona, &c. *Tunc demum interrogemus, quibus maxime gaudeat; & videbimus, non mediocri pudore ipſum propter illa commoveri: propter hæc autem, quæ recte fecit, tanta lætitia geſtientem, ut ſalire, & volare videatur.* Ut aſſertionem ſuam confirmet, eamque profundius cordibus noſtris imprimat; regem opulentiſſimum, feliciſſimum, & pientiſſimum Ezechiam producit in medium. Cum enim hora mortis illi à Propheta denuntiata fuiſſet, cum precibus & lachrymis, *Oravit ad Dominum, & dixit:* §. 7. *Proſecutio.*

Digitized by Google

Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. *Ecce, ut Ezechias,* inquit D. Chrysostomus, *cum ægrotavit, non mensæ deliciarum plenæ fuerit recordatus, non eximiæ gloriæ, non regni, aut imperii, sed justitiæ ac rectæ conscientiæ. Memento Domine quæso, quomodo ambulaverim coram te in conspectu tuo in via recta.* Quisquis ita est constitutus, ut quavis hora quæ placuerit Deo, paratus sit, mundum contemnere, deserere omnia, & sive in divitiarum abundantia, sive in paupertate sancte vivere, & soli Deo adhærere; ille pauper est spiritu, illius est regnum cœlorum. *Et participes erunt* (Theodoretus) *spei sanctis præparatæ sanctorumque agminibus admixti, in pascuis bonis, & in pingui loco pascentur:* ubi vera bona, & cœlestia, & stabilia, & perpetua sive æterna reperiuntur.

§. 8. *Quomodo Guerricus Abbas describat pauperes spiritu.*

Unde Guerricus Abbas bene exclamavit; *Quam beati vos, O pauperes spiritu! qui juxta consilium admirabilis consiliarij thesaurizastis vobis thesauros in cælo, ne si in terra thesauri vestri remanerent, corda vestra pariter putrescerent, Ubi enim, inquit, thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Eant igitur, eant; nec corda post thesauros suos; sursum affixa sit cogitatio, & ad Dominum suspensa exspectatio.* Ex quibus verbis clare intelligere possumus, quinam sint pauperes spiritu, quibus Christus D. promittit regnum cœlorum. Erramus si putamus Salvatorem nostrum fuisse locutum de mendicis, qui frequenter coguntur ferre egestatem, qua libentius carerent, mallentque possidere divitias, si possent; vel de religiosis tantum, qui etiam spontaneè DEO jurarunt paupertatem, & ipso effectu mundum & quæ mundi sunt deseruerunt, non est dubium, horum fore regnum cœlorum, juxta clarissimam æternæ veritatis promissionem; centuplum accipient, & vitam æternam possidebunt. Hoc simul debemus advertere, è numero horum pauperum, non esse exclusos divites: etiam Rex aliquis vel Princeps potest esse pauperrimus spiritu; si ad thesauros cœlestes magis anhelet, quam terrestres, &c. hoc modo per varios status, poterit formari pulchra inductio; cum repetitione paulo ante dictorum.

Digitized by Google

Hæc paupertas spiritus, cum mansuetudine, cum pace, cum puritate cordis, & aliis virtutibus, quas vocamus beatitudines, *est scala per quam de terra ad cœlum sublevamur; gradibus quidem distincta paucis* (sunt fere verba S. Bern. in lib. de modo orandi) *immensa tamen & incredibilis magnitudinis. Cujus extrema pars terra innixa est, superior verò nubes penetrat, & secreta cœlorum rimatur.* Itaque S. Bernard. quoque hujus fuit opinionis, etiam divites posse esse pauperes spiritu; licet in terris vivant inter divitias, superior tamen pars hominis, id est, ratio, intellectus, voluntas penetrent nubes & cœlestia potius rimentur, quam terrena. *§. 9. Paupertas spiritus est scala, per quam ascendimus ad cœlum.*

§. 10. Quo sensu Rex David se appellaverit orphanum.

Psalmo 67. vers. 6. Rex David non dubitavit se vocare orphanum, viduum, ab omnibus derelictum, & mendicum; ideoque gloriatur habere Deum Patrem, Judicem, Protectorem, Consolatorem. Iterum quæro, quo sensu David Rex ditissimus, stipatus plerumque fortissimo exercitu, inter delicias aulæ, se potuit appellare pupillum, pauperem, &c. Difficultatem solvit Venerabilis Beda. *Orphanos vocat illos, quos gladius Verbi Dei*, id est, quos inspiratio Spiritus Sancti, per donum Sapientiæ, & Scientiæ, *divisit à mundo, quasi patre, quasi consolatore, ita ut sint separati à societate sæcularis spei. Per viduas vero*, sive mendicos, *accipe plus; illos scilicet, qui cum prius carnalibus essent dediti; jam penitus sunt ab omni carnali delectatione separati; sicut vidua dicitur mulier illa, quæ prius juncta viro, modo est à viro vidua & & divisa.* Quis non advertit etiam divites in hoc mundo, & honoribus inclitos, posse nihilominus dici, pauperes, orphanos; si nimirum inspirationibus Spiritus Sancti & dono sapientiæ illustrati, saltem quoad affectum, sint divisi ab hoc mundo; si propter divitias suas, propter honores; nullam percipiant consolationem, quæ amicitiam Dei excludat; verbo, si Deum magis ament, quam mundum. Horum quoque veluti pauperum, Deus est protector, consolator & remunerator: beati sunt, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

§. 11. Quæstio Philonis. Quis

Philo elegantem scripsit libellum, cujus titulus est, *Quis rerum divinarum heres?* inter alia respondet; *His dignus*

rerum divinarum hæres.

habetur solus is, qui superne inspiratus est cœlestis divinaque portionis particeps, intellectu purissimo, contemnit terrena omnia. Qui ita illustratus est, ut licet divitias habeat, tamen illis non delectetur, nisi juxta Sanctissimum Dei beneplacitum. Ergo si cupis O anima, hæres divinorum bonorum fieri, - si non effectu, saltem affectu - mundum contemne; ad cœlum aspira, & eris beatus. Poterit fieri pulcher Epilogus.



EXHORTATIO.

IN COMMEMORATIONE FIDELIUM ANIMARUM.

Requiem æternam dona eis Domine,

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit motiva & media, succurrendi Animabus in flammis Purgatorij.

§. 1. Motivum primum desumptum à divite Epulone, sepulto in inferno.

§. 2. Primum medium, Aqua cum roseo cruore fluens ex latere & benedicto Corde Crucifixi.

§. 3. Affectuosa Apostrophe ad Auditores.

§. 4. Prosecutio paragraphi secundi.

§ 5. Alterum motivum, desumptum à siti Iesu in Cruce. Alterum medium, peculiaris devotio erga vulnera Salvatoris.

§. 6. Tertium motivum desumptum à Iobo sedente in sterquilinio.

§. 7.

§. 7. Flammæ purgatorii non possunt satis explicari. Alius modus illis succurrendi.

§. 8. Placet Christo D. si erga has animas simus misericordes.

Quis quæso ex vobis audit vel legit tragicam historiam vel parabolam à Christo Domino propositam cap. 16. S. Lucæ, ubi vers. 22. ita ait. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Elevans oculos suos, cum esset in tormentis, clamans ad Abraham dixit: Miserere mei & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*; quis inquam ex vobis est, qui hæc legit vel audit, qui ex una parte non concutiatur salutari horrore, ex altera verò ob teneram compassionem non paratissimus sit, si posset, satisfacere desiderio miserandæ animæ Epulonis? Itane mei Sod. affecti estis erga animas Deo inimicas, erga animas æternum maledictas, quæ æternum abjectæ sunt à facie Dei, erga animas, quæ continuo ex acerrimo odio Deum blasphemant & maledicunt, facientque hoc in æternum, erga animas, quæ per totam æternitatem nec guttulam veri doloris poterunt effundere, ideoque nullam spem habent redemptionis; hasne, si possetis, velletis liberare ex tantis tormentis. *§. 1. Primum motivum desumptum à divite epulone sepulto in inferno.*

Et creditis, in purgatorio, ad tempus, fortassis 10. fortassis 20. annis, animas Deo gratas & dilectas sponsas Altissimi, destinatas ad nuptias Agni; animas consodalium vestrorum, parentum, amicorum, qui inter brachia Jesu Crucifixi ex hoc sæculo in alterum transierunt; animas, quæ unice diligunt Deum, & ab eo diliguntur, tales inquam animas scitis, ob residuos nævos in obscuro carcere, sub flagello & potenti manu Divinæ Justitiæ, flammis pati cum infernis atrocitate cruciari? & auditis miserabiles illarum voces,? *Miseremini nostri, miseremini nostri, saltem vos amici nostri.* Dilecte fili, audi vocem tui patris, ex tam atrocibus flammis: fili miserere tui patris. Dilecta filia, audi vocem Matris tui, (conijce si placet oculos in altare, cogita hanc esse animam matris tuæ, quæ ait, dilecta filia miserere Matris, (hoc modo fieri poterit longa inductio) Ah amici dilectissimi, O sodales Jesu Crucifixi; nos licet *§. 2. Primum medium Aqua cum roseo Cruore fluens ex latere Jesu Crucifixi.*

cet

cet horrendis excruciemur flammis, decem annis, forte viginti, &c. divinæ Justitiæ satisfacere non possumus, donec adsit ultimus quadrans, à Deô justè nobis definitus. Vos, si vultis exiguo tempore pro nobis satisfacere, & ita ex his flammis nos liberare potestis. Ah ite, Animæ piæ, currite ad Jesum Crucifixu, mvestros digitos, vestras linguas, vestra Rosaria, vestras eleemosynas; intingite in aquam, quæ cum roseo cruore fluit ex latere, & benedicto corde Jesu Crucifixi! unica gutta refrigerare nos potest, in his flammis, in quibus cruciamur. *Misereminì, misereminì!*

§. 3. *Affectuosa Apostrophe ad Auditores.*

Hæc audimus sodales amātissimi, & torpemus, & frigidi sumus? & nulla nos tangit miseratio? Animas misere damnatas liberare non possumus; nulla in inferno est redemptio; nec guttula superest divinæ miserationis, quæ illis vel minimum possit afferre solatium. Alius vero est status Animarum in purgatorio; cruciantur, torquentur, ardent; ita ardebunt annis forte 10. &c. neque ut dixi satisfacere possunt, nisi ardendo; nos, si velimus, si tenera sit nostra compassio, si fervens devotio; illos annos possumus minuere, de 20. v. g. demere possumus 10. imò is hodie potest esse fervor devotionis, in S. Communione, in piis precibus, in dandis eleemosynis, in jejunio & alijs corporis mortificationibus, ut qui v. g. ardere debuit annis viginti, intra unam horam liberemus ex flammis Purgatorij.

§. 4. *Prosecutio paragraphi secundi.*

Neque desunt nobis fontes, ex quibus haurire possumus aquas, quibus illas flammas restinguamus. Ecce rosea Vulnera Salvatoris, ex his haurite guttulas, quibus aspergatis ardentes animas, ut refrigerentur in suis flammis. Explico me clarius, cum in S. Communione bibitis sanguinem Jesu Crucifixi; offerte eundem Æterno Patri, & Christo Judici in satisfactionem pro animabus in purgatorio; Cum in vestris orationibus, præsertim Rosario SS. 5. Vulnerum, vel dolorosæ B. Virginis, memores estis pretiosi sanguinis, quem in sanguineo sudore, vel in flagellatione, vel spinea Coronatione, vel Crucifixione, vel Apertione lateris effudit, has addite ferventes obtestationes: *O bone Iesu! per hunc cruorem libera animas ex Purgatorio.* Precibus addite eleemosynas

mosynas, addite jejunia, addite actus eximiarum virtutum, præsertim mortificationis, omnia intingite pretioso sanguini Jesu Crucifixi. Ita pias & afflictas animas refrigerabitis, imo liberabitis ex flammis purgatorij.

§. 5. *Alterum motivum desumptū à siti Jesu in Cruce. Alterum medium, peculiaris devotio erga Vulnera Salvatoris.*

Sitis, cujus feci mentionem, suggerit mihi pijssimam cogitationem de Christo Salvatore pendente in cruce. Quis ex vobis est, qui cum illum audit, inter gravissima tormenta, in tristissima agonia, propter ardentem sitim, ob extremam defatigationem, ob copiosam effusionem omnis fere sanguinis, ob tormenta corporis, ob angustias animæ, &c. de cruce dicentem: *sitio*! quis inquam ex vobis hoc verbum audire potest, quin commoveatur ad tenerrimam compassionem? quis non affectuose cogitat, O si haustu aquæ frigidæ, O si meis lachrymis contriti & humiliati cordis, O si meo sanguine potuissem sedare sitim amantissimi mei Jesu! Et quem putatis fuisse sensum dolorissimi cordis dolorosæ Matris, cum stans sub cruce audivit hanc vocem morientis Filij, *sitio*! quod desiderium refrigerandi linguam dilectissimi sui Jesu. A Crucifixo Jesu redeo ad animas in Purgatorio. Cum certum sit eas atrocibus uri flammis, dubiū non est illas ardentissima simul torqueri siti, præsertim illa qua impelluntur ad videndum Deum; O si audiremus querulas illarum voces, *Sitimus*! *sitimus*! & est hæc illarum infelicitas, quod ipsæ ad restinguendam sitim fontem accedere non possint. Sed nobis, ut dixi, patent illi fontes, quinque rosea vulnera Salvatoris. Si qua ergo consolatio in Christo (ad Philip. 2. Si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis; hic haurite aquas, ut refrigeretis animas in Purgatorio. Optimum medium illas liberandi est peculiaris devotio erga Vulnera Salvatoris; de aqua alibi.

§. 6. *Tertiū motivū desūptum à Jobo sedente in sterquilinio.*

Voluit Deus toti mundo proponere pijssimum Jobum, veluti speculum patientiæ. Ut itaque gravissime affligeretur, permisit Deus dæmonem in illum sævire; qui postquam per prædones abegit pecora, postquam ignibus absumpsit oves & pueros; postquam filiæ & filij à ruentibus ædibus misere fuerunt oppressi, denique *Sathan percussit Iob ulcere pessimo, à planta pedis, usque ad verticem capitis, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Tristissimo spectaculo adeo commoti fuerunt ejus amici,


ut exclamantes ploraverint, ut scissis vestibus sparserint pulverē super caput suum; & nemo fuit locutus verbum, *videbant enim dolorem ejus esse vehementem*, Job. c. 2. vers. 13. Quis hæc legit sine commotione viscerum miserationis? & quid dicam de animabus in purgatorio! O si audiremus illas inter flammas altissime suspirantes! O si videremus non sedentes in sterquilinio, sed in medio volutatas incendio, in quo habitant cum ignibus devorantibus; non coöpertas ulceribus, sed vestitas flammis, non tortas in corpore, sed ustas in anima, non manu Domini tactas, sed igneis flagellis cæsas. O si videremus, quam vehemens sit illarum dolor, quid non ageremus pro illarum liberatione; cum alterutrum sit necessarium; ut vel hæc anima, v. g. tui patris, &c. ardeat adhuc 20. annis, &c. vel tu pro illa jejunes, vel ores, vel des eleemosynam.

§. 7. *Flamma purgatorii non possunt satis explicari. Alius modus illis succurrendi.* Sed ignes, quibus dilectæ illæ animæ uruntur, quis sufficienter explicabit? est ignis acutissimus, omni gladio ancipiti penetrabilior, pertingens usque ad læsionem & combustionem animæ; usque ad ejusdem liquefactionem, ad instar adipis, inter flammam fumumque suspensæ, labentisque guttatim; concipe alias animas ardente camino ustas, alias bulliente aheno elixas, alias flagranti sartagine frixas, alias lento veru tostas; ne sic quidem illius ignis pœna, & tormentum satis exprimitur. Si fortassis in hoc igneo carcere anima tui patris, vel matris ita torqueatur, cogita an non tristi voce ad te utatur verbis captivi Josephi, ad pincernam Pharaonis cum educeretur è carcere; *Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggerat Pharaoni, ut educat me de isto carcere.* Sed potius ego hodie animarum nomine vos rogo Auditores, ut faciatis cum illis misericordiam, in hoc non Pharaoni, sed Jesu Salvatori suggerite, rogate illum per sancta quinque Vulnera, & roseum sanguinem, ut ex hoc igneo carcere hodie educat illas animas, quibuscum velletis facere misericordiam. S. Paulinus ut captivos quosdā Christianos redderet libertati, se ipsum tyranno pro illis tradidit captivum ad diligentissimum servitium. En modum, quo si placet, liberare potestis animas in captivitate Purgatorij igneis vinculis

Digitized by Google

vinculis detentas. Non alicui tyranno, sed amabilissimo Regi, Christo Jesu vos totos tradite, illi servite ex toto corde, ex tota anima, &c. ut in vestri gratiam, intuitu vestræ satisfactionis, vestrarum orationum, &c. cum illis animabus faciat misericordiam.

Ut ad hanc caritatem magis permoveamini, considerate, valde illam placere Christo Domino, si enim opus aliquod misericordiæ corporalis, v.g. sitienti dare haustum aquæ, &c. sic illum delectat, ut in judicio extremo, singulariter id commemoraturus sit, quanto magis illi placebit juvare animas tam afflictas, tam desolatas, & ardentes in acutissimis flammis. §. 1. *Placet Christo si erga animas in purg. simus misericordes.*



CONCIO LXXXVI.

FESTO PRÆSENTATIONIS B.V. MARIÆ.

Beatus venter, qui te portavit,

Lucæ 11. ℣. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS.

IN hodierno festo, quo præsentata fuit B. V. Maria, in templo, impletæ fuerunt variæ figuræ ex Veteri Testamento, quæ ejusdem Virginis eximias repræsentant laudes, & prærogativas.

§. 1. *Breve Exordium.*
§. 2. *B. Virgo venit ad templum, ut juxta vaticinium Davidis, prima, in illo Deo offeret votum Virginitatis.*
§. 3. *Pulchræ quæstiones S. Bernardi,*

§. 1. Breve Exordium.

IN hodierno festo Præsentationis B. Virginis, pulcherrimæ ex sacris literis prophetiæ figuræ & vaticinia sunt adimpleta; quæ simul eximias V. Deiparæ continent laudes, quarum aliquas hac concione vobis proponam, ut verba mea, sint veluti odorifera ligna, quæ cupio adiicere, illi igni amoris, quo ardetis erga magnam Dei Matrem, ut adhuc magis, præsertim hoc festo, ardeat, & magis inflammetur, & ô beatissima Virgo! ut inquã lingua mea & cordis affectus ante incendantur & inflammentur, ardenti desiderio suspiro, & dico cum Archangelo Gabriele,! *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*!

§. 2. B. Virgo venit ad tẽplum, ut juxta vaticinium Davidis, prima in illo Deo offerret votum Virginitatis.

Versum 15. Psalmi 44. *Adducentur Regi Virgines post eam*; intelligit Albertus Mag. de B. Virgine Maria; *quia ipsa prima fuit*; *& exemplo ejus, post eam secuta sunt alia, quæ se offerunt in templum Regi Domino.* Hoc fine hodie Virgo præsentari voluit in templo, ut virginitatis votum, quod primo conceptionis instanti, conceperat, in templo, consecraret, & proinde asserit, S. Lucam non sine mysterio dixisse Lucæ 1. vers. 26. Angelum Gabrielem fuisse *missum ad Virginem*, utpote, *quæ prima* -- in templo - *inter fœminas DEO gloriosum Virginitatis munus obtulerat.* Post illam, Agnetes, Catharinæ, Ursulæ, & innumerabiles Virgines Mariæ exemplum imitatæ, id fecerunt. *Beata, Virgo*, inquit Hugo Carensis, *octo habet privilegia, quibus major est omni terra, id est, omni fœmina, vel omni*

omni rationali creatura; ipsa enim nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Prima est, Nova professio Virginitatis. Unde recte dicitur *Virgo Virginum, quia signifera & exemplar est Virginitatis*, & Virginum, ad quas ait ex cap. 39. Eccles. vers. 17. *Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate, quasi libanus odorem suavitatis habete: florete flores, quasi lilium; date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum. Date nomini ejus magnificentiam, confitemini illi voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis.* Quæ verba me memorem faciunt illorum, quæ aliquando legi in S. Ambrosio lib. 3. Exam. cap. 8. *Quid describam purpurascentes violas, candida lilia, rutilantes rosas in quibus nescias, utrum species amplius florum, an vis odora delectet.* De Virginibus possunt hæc intelligi, non nego, sed addo, violarum, liliorum, rosarum, violam pulcherrimam, lilium candidissimum, rosam elegantissimam, florum omnium, & Virginum Reginam, esse Mariam; plantatam hodie non in monte Libani, sed in templo Domini, velut amœnissimo horto & viridario Sanctissimæ Trinitatis, Viola, lilium; Rosa Virginum: Rosa fragrantissima Divinæ suavitatis, lilium candidissimum! Viola suavissimæ amœnitatis:

Sed O Virgo prudens (sequuntur mellea verba S. Bernardi ex hom. 3. super, *Missus est.*) *O Virgo devota: quis te docuit placere Virginitatem? qua lex, qua Iustitia, qua pagina veteris testamenti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne, non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam? Ubi legeras, Beata Virgo, sapientia carnis mors est, & curam carnis ne perfeceritis in desiderio? Ubi legeras de Virginibus, quia cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest, & sequuntur Agnum, quocunque ierit? ubi ligeras, laudatos esse, qui se castraverunt propter regnum cælorum? Ubi legeras in carne ambulantes, non secundum carnem militamus. De Virginibus præceptum non habeo, consilium autem do. Tu vero, non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum habuisti: nisi quod unctio te docebat de omnibus, ac sermo Dei vivus, & efficax, ante tibi factus est Magister, quam Filius. Christo ergo devoves te exhibere*

§. 3. *Pulchra quæstiones S. Bern. quis Maria suggesserit Votu Virginitatis*

Digitized by Google

Virginem, & nescis, quod ipsi exhiberi te oportet etiam Matrem. Eligis in Israel esse contemptibilis, & ut illi placeas, cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis. Ecce maledictio, benedictione commutatur; sterilitas fœcunditate compensatur. Abulensis. *Sola sine exemplo Domina placuit Christo; id est, non fuit aliqua, quæ emisisset votum Virginitatis propter Deum ante Dominam nostram.* Post eam aducuntur Regi Virgines.

§. 4. *Aurea mensa, aureum candelabrū &c. in templo: figura fuerunt B. Virginis.*

Ab hac Virgine ingens hodie templo accessit ornamentum & renovatio. S. Gregor. Arch. Nicomed. or. de præs. Mariæ in templo cap. 7. ait; à sacerdote Zacharia introductam in Sancta Sanctorum, intra velamina & oraculi adyta; & tum omnia sanctuarij ornamenta; mensam, candelabrum, altare, propitiatorium tanquam umbras, & typos Deiparæ, illam mutis vocibus salutasse & ad pedes ejus veluti se abjecisse. Ita loquitur doctissimus Arcones. *Adest enim viva mensa panem portatura cœlestem, & cibum vitæ omnibus præstitura. Adest candelabrum immaculatum auro charitatis micans; lumen inextinguibile portaturum, illuminans his, qui in tenebris & umbra mortis sedent; non mirum si extinguantur candelabri lucernæ. Adest thronus purior & sanctior Cherubinis & Seraphinis, in quo sedebit Deus factus propitiatio, pro peccatis nostris: ad quid prodesse potest Propitiatorium. Adest oraculum oraculorum, & prophetissa Prophetarum, virguncula sacra, in qua omnia sanctorum hominum adimplenda vaticinia. Affulget stella ex Iacob, juxta nomen suum, Maria illuminans, & illuminata, ! adest aurora coruscans, justitiæ solem paritura; in duodecim gemmas in pectore sacerdotis oculos conjicite, & advertetis, tantum ex illis fulgorem emicare, ut omnibus innotescat adesse Deum, opemque & auxilium diu promissum, per Messiam allaturum.*

§. 5. *Maria, pulchritudine vincit Cherubinos.*

Pulcherrimi Cherubini, qui sua pulchritudine ornant arcam, & Propitiatorium, intuentur trimulam Virginem, à cujus pulchritudine longe superantur. S. Epiphanius or. de laud. Virginis, *sola, solo Deo excepto, cunctis superior existit Maria - formosior est ipsis Cherubin, & Seraphin, & omni exercitu Angelico.* Joann. Geom. *Gaude Virgo! abdens Seraphinum lumen; ut almus sol siderеam lucem obtenebrat.* Itaque O filiæ Sion! O sacerdotes & Levitæ

Digitized by Google

vitæ, oculos vestros hodie nolite coniicere in Seraphinos, Cherubinos, palmarum ramos, vel malogranata, cæterumque ornatum, quo magnificentissimus Salomon suum templum ornavit; sed in trimulam Virginem, quæ templum ingreditur, cui omnes creaturæ applaudunt, *O Pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum!* O Maria! *pulchrorum omnium summum ornamentum!* Utpote, pulchritudo- vel statua *à Deo sculpta, vivi archetypi imago.*

Sed occurrit mihi versus 2. capitis 2. Exodi: qui de matre Moysis ait; *qua concepit, & peperit filium, & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Erat*, inquit Josephus, *infans hic tam speciosus, ut aspicientium oculos ad se raperet, defixosque teneret*, addit Syrus, *Dilectus Deo, charus, gratus, gratiosus.* S. Chrysostom. *Irreprehensibilis.* Quibus verbis, pulchritudo, tum exterior corporis, tum interior animæ exprimitur. Ut in Esthere Regina, de qua textus ait cap. 2. *Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, & amabilis.* Longe tamen amabilior, gratiosior, & pulchrior fuit Maria. Ideo ante paucos menses in festo Nativitatis ejus, applausimus S. Annæ, cum Leone Augusto orat. 1. *Tu cœli & terræ Reginam paris! eam inquam, quam canticis celebrat omnis natura particeps rationis; sola paris Dei Matrem! sola Dei avia existis! O beatum partum! - O infantem, per quem natura, quæ malitiæ ac vitiositatis turpitudine consenuerat, novum induta decorem præclare exornatur. -* ! O formosissimam puellam! sed ob hanc causam, ob tantam pulchritudinem; ut hic flosculus in concluso vernaret horto, ut tantus thesaurus in tuto lateret loco, &c. puto sanctissimos parentes Joachimum & Annam, filiam suam in templo abscondisse, ut soli placeret Sanctissimæ Trinitati. In templum fuit abducta, ut oblivisceretur populi, & domum patris sui; solique Regi Regum assisteret, in vestitu deaurato omnium virtutum & fimbriis aureis, ardentissimæ charitatis. In templo oblata, atque à parentibus sejuncta, - quanquam fere adhuc maternis hæreret uberibus.

§. 6. *Cur Virgo, trimula abscondita fuerit in templo.*

§. 7. *B.V. qualē oblationem*

Sed; *Qualem oblationem fecit in templo*, trimula Puella; quærit Georgius Nicomediensis Serm. 6. in præs. B.V. *Plane Deo dignam!* nimirum

Digitized by Google

fecerit in templo. nimirum *se ipsam*, de qua Angeli quærunt, Cantic. 3. verſ. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit* (per gradus templi) *ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris.* In myrrha continentiam, in thure devotionem intellige -- Hæc ſunt duo, quæ Virginalem ſubſtantiam, (ſive corpus & animam Virginis) *totam circumdedere virtute; continentia ſcilicet & devotio. Quorum alterum carnem, alterum mentem ita poſſedit, ut caro mundiſſima, mens puriſſima Genitricem Domini ſingularius conſecrarent.* Colligere hinc poſſumus, qualem nos, ad Mariæ imitationem, per virgineas ejus manus, Deo & Sanctiſſimæ Trinitati, debeamus facere oblationem. Templum & altare non eſt opus, ut in remotis locis quæramus; intus in nobis, in cordibus noſtris, habemus templum & altare & victimam ſive hoſtiam, ſi volumus, carnem mundam, & mentem puram cum ſacrificio laudis, & devotarum precum, in odorem ſuavitatis.

§. 8. *Mare æneũ in templo Salomonis.* Aliud Salomonici templi ornamentum fuit mare æneum, de quo liber 1. Paral. cap. 18. verſ. 8. ait; *Tulit quoque David æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vaſa ænea.* Lib. 2. Paral. cap. 4. verſ. 2. *fecit quoque mare fuſile, decem cubitis à labio uſque ad labium, rotundum per circuitum; quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum, ambiebat gyrum ejus.* Cauſæ ob quas ſapientiſſimus Salomon hoc mare, ſive capaciſſimum hunc fontem, in templo erigi voluit; & quid circumſtantiæ altitudinis, profunditatis, latitudinis atque circumferentiæ ſignificent, videat lector apud varios Interpretes; ego propero ut revertar ad Mariam.

§. 9. *Fuit figura maris gratiarum, quale eſt Maria.* Cujus pulcherrima figura fuit mare hoc æneum templi Salomonici, in quo hodierna die cum trimula puella, ingreſſum fuit mare gratiarum, de quo S. Bonaventura ait in ſpec. Virg. *Tanta inundatio gratiæ, tanta profunditas, & magnitudo in Maria* (addo ego, etiam dum eſſet trimula Virgo, Deo in templo hodie præſentata) *fuit, ut ipſa bene mare plenum dici poſſit ſicut enim in mari aquarum; ſic in Maria ſunt congregationes gratiarum.* Sicut enim Deus aquas materiales, quæ ſunt ſuper faciem terræ, in unum congregari voluit, *Congregentur aquæ.* Ita in unam Virginem

nem

Digitized by Google

nem Mariam tanquam Dei Matrem & Sanctorum omnium Reginam, omnem gratiæ abundantiam effudit, & congregavit. Quæ dum hodie templum ingreditur, bene cum Davide exclamare possumus ex Ps.45.vers.1. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, & ex cap.40. Exodi vers 32. *Gloria Domini implevit illud*, vel, ut LXX. vertunt. *Gloria Domini repletum est tabernaculum.* Chaldaica paraphrasis sic habet; *Replevit illud Spiritus Dei.* Quæ omnia, de utroque templo, & materiali Salomonis, & mystico, sive de B. Virgine intelligere possumus. Sanctificavit Mariam; & per Mariam templum. Replevit Mariam gloria, & per præsentiam Mariæ ingenti gloria, & Spiritu Sancto glorificavit templum. Ab. Cellensis, *Maria per gratiam tota Deitatis gratia est superfusa.*

§. 10. *Testimonia SS. Patrū, de immensitate gratiæ in B.V.*

De B. Virgine tanquam mari gratiarum, piè S. Bonaventura in spec. Virg. *Immensa fuit gratia Mariæ; immensum enim vas, plenum esse non potest, nisi immensum illud sit, quo est repletum. Maria vas immensum fuit* (h.e. fuit mare, fuit pelagus, fuit abyssus,) *ex quo eum, qui cœlo major est, continere potuit, & si capacitas tanta fuit, oportuit, ut gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.* S. Ambrosius in exam. *Bene gratia plena dicitur; quæ sola gratiam, quam nulla alia creatura meruit, consecuta est; gratiæ scilicet repleta auctore.* Elegantissime S. Epiphanius Serm. de laud. Virg. *Ave gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in ventris lampade gestans lucem inextinguibilem, Sole splendidiorem. Ave gratia plena, gratiæ spiritualis insigne vas! ave gratia plena, quæ es urna aurea, continens manna cœleste; Ave gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias. Ave gratia plena, mare Spirituale, habens gemmam cœlestem Christum. Ave gratia plena, quæ Cherubicum thronum Divinitatis fulgore superas. Ave gratia plena, quæ cœli circulum habes, & Deum incomprehensum, angusto in te loco contines. - Quid dicam? quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem, solo enim Deo excepto cunctis superior existis!* unde Bernardinus de Bustis infert Serm. 5. de Annunt. *In tantum fuit Maria, præ maxima gratiæ plenitudine, ponderosa: quod si ipsa sola, in una sta-*

tera poneretur ex una parte: & cæteri omnes sancti, tam Novi quam Veteris Testamenti, & omnes Angeli, in alia; ipsa amplius ponderaret. Maria in templo est mare gratiarum.

§. 11. *Maria trimula in templo elegantissima fuit statua.*


Si denique in templo desideratis statuas, picturas, & imagines, rogo ut non in leones, in boves, in aquilas, in palmas, in malogranata, in Cherubinos vel Seraphinos, sed in trimulam Virginem, quæ templum ingreditur, oculos conijciatis. Imaginem intueri desideratis? *Maria!* (inquit S. Antonius;) *perfectissima est Dei imago, ab ipso summa arte, ac singulari providentia depicta.* Hanc ego cum specto, videor mihi cernere Christum, *Nam Nati faciem sustinet illa sui.* Quem versum ita exposuit S. Thom. de Villa Nova; Serm. 3. de Nativ. *Christus totus fuit Matri simillimus: qui enim utriusque imaginem ad vivum viderunt, asserunt; nunquam fuisse sic filium simillimum, vultu & moribus, verbis & habitu. Illa humilis, ille humilis; illa mansueta, ille mansuetus; illa benigna, ille benignus, illa pauper, ille pauperrimus: illa purissima, ille purissimus; illa pijssima, ille pijssimus. Denique in omnibus Mater nihil fuit, nisi Filij adumbrata imago, & Filius Matris expressa figura.* Ex quibus elogiis manifeste colligere possumus, qualem vitam B. Virgo Maria vixerit in templo, humilem, pauperem, purissima, pauperrima, humillima Virgo.

§. 12. *Prosecutio.*

Famosissimus sculptor Stisicrates, ut Plutarchus refert, dixit ad Alexandrum Magn. *Mecum, O Alexander, insignem statuam, in nominis tui gloriam, & honorem affabre facere cogitavi, quæ ob materiæ incorruptibilitatem æterna, ob fundamentorum profunditatem immobilis, ob magnitudinem molis immensa, ob singularis formæ pulchritudinem oculis intuentium sit pergrata tibique simillima.* Sed Alexander, nimium sibi præsumentem sculptorem contempsit, agnoscens opus illud superare naturæ artisque facultatem. Verum quam statuam Stisicrates elaborare non potuit, SS. Trinitas elaboravit in Maria, statuam, ob materiæ incorruptibilitatem æternam, &c. O nobilem statuam! O nobilissimum artificem. Inscribite statuæ Jovis, Phydias fecit. Imagini Cupidinis, Protogo fecit, Picturæ Helenæ, Apelles fecit. Abijcio ego hodie in templo ad pedes Mariæ tabellam, cum aureis elogiis, Pater æternus fecit.

fecit. Filius suo sanguine depinxit; Spiritus S. ornavit coloribus Divinitatis. Post Deum, post Jesum Dei Filium elegantior imago vel statua, pingi, vel sculpi non potest. Occasione speculorum, quibus Salomon templum Jerosolomitanum exornavit, deberem ostendere, Mariam, venustissimum fuisse speculum, quo templum ob admirabilem lucem fuit irradiatum; sed alias illud intuendum vobis proponam.

Finio Concionem cum S. Petro Damiano orat. 1. de Nativ. V. *Cedant Moysis & Salomonis tabernacula, vivo & ratione prædito, Mariæ, in qua Verbum ipsum, non tantum quievit; sed ex cujus sancto sanguine humanitatem assumpsit. Cedat Mariæ aurea mensa Propositionis, cedat aureum candelabrum, cedant thuribula, &c.* (fiat totius Concionis repetitio) Maria est aurea mensa, &c. §. 13. *Epilogus.*



CONCIO LXXXVII.

FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

Venite post me,

Matth. 4. cap. vers. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS.

PRoponit varios fructus, sive encomia sanctæ Crucis; propter quos merito S. Andreas in suavissimam illam prorupit salutationem; *Salve ô bona Crux!*

§. 1. *Suavissima salutatio S. Andreæ ad Crucem.*

§. 2. *Crux! nostrum fulcrum & firmamentum.*

Digitized by Google

§. 3. *Crux: est clavus, quo caput infernalis Sisaræ confodere possumus.*

§. 4. *Et vincere omnes tentationes.*

§. 5. *Quomodo homo vetus, in nobis cum Christo debeat crucifigi.*

§. 6. *Fructus arboris crucis, est Jesus Crucifixus, & in Eucharistia.*

§. 7. *Electi & sancti sunt fructus Crucis.*

§. 8. *Crux: est fons benedictionum.*

§. 9 *Beneficio Crucis omnes gratias possumus obtinere.*

§. 10. *Epilogus, cum insigni elogio sanctæ crucis.*

§. 1. *Suavissima salutatio S. And. ad sanctam crucem.*

PUto Spiritum Sanctum suggessisse S. Andreæ, mellea & suavissima verba, quibus salutavit Crucem, cui pro Christo fuit affixus. *Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus tanquam margaritis ornata! sciunt credentes, quanta in te gaudia habeas, quanta munera præparata. Securus gaudens venio ad te; ita & tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te. O bona crux; quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicite amata, sine intermissione quæsita, & aliquando concupiscenti animo præparata. Accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Inter ardentia hæc desideria S. Andreas biduo vivus pependit in cruce, nec deponi inde voluit, donec tandem cœlesti splendore, totus coruscus abiit ad Magistrum Jesum. Postquam hac Concione audiveritis eximia elogia SS. crucis, quæ ex sacris literis, & SS. Patribus vobis communicare cogito, judicabitis, ut spero, S. Andream, non sine causa eandem tam suavibus verbis compellasse, & ex intimo corde amasse. Amemus similiter & nos hoc lignum, hanc arborem vitæ, & gustabimus, quam suaves sint fructus ejus. Illi, qui pro nobis in Cruce pependit & mortuus est, sit honor & gloria in sæcula, Amen.

§. 2. *Crux nostrum fulcrum & firmamentum.*

Versum 18. capitis 3. Proverbiorum; *lignum vitæ est his* (ad literam est sermo de divina sapientia) *qui apprehenderint eam; & qui tenuerit eam beatus*; hunc, inquam versum Catena SS. Patrum usurpat de ligno crucis; & favet illis lectio LXX. Interpretum, qui ita legunt. *Lignum vitæ* (scilicet SS. Crux) *est omnibus, qui complectuntur eam, & qui incumbunt in eam, sicut in Domino securi.*

securi. Quibus verbis sapientissimus Salomon amatores crucis excitat, ut in rebus arduis, & vitæ hujus ærumnis, omnem spem & securitatem, in cruce reponant, & per crucem in solo Deo. Ita Catena græca: *Qui adhærent illi, quique firmiter illi, tanquam ipsimet Domino, innituntur*; non habent, quod timeant. O Divinum fulcrum! invariabile, infrangibile, mutationis, & ruinæ expers! qui huic baculo, huic columnæ, huic basi innititur, non timebit impetus hostium. Semper inconcussus stabit, tali præsidio stabilitus. Ita Polychronius in Cat. Græca. *Per lignum vitæ crucem denotat; qui enim Christo sincere, solideque adhæret; illi è ligno illo dimanat incorrupta vita. Qui vero se se basi illius adjungunt, iis fundamentum, cui inconcusse insistant, positum est prævalidum & firmum munimentum. Nam & in Deo requiescit, & super dilectum suum amore languida sponsa suaviter recumbit.* Felix in hoc fulcro innitens moritur, & halans ultimum vitæ halitum, in cruce, & in Crucifixo caput deponit, placideque recumbit. Tali baculo nixus ipsam æternitatem securus ingredi potest. (Applica dicta S. Andreæ.)

§. 3. *SS. Crux, est clavus, quo caput infernalis Sisaræ confodere possumus.*

In signo crucis vincere possumus potentissimos hostes, præsertim invisibiles potestates tenebrarum, earumq; Principem Luciferum, cum suis asseclis, qui dies & noctes, quærunt animas quas devorent. Judicum 5. v. 26. deprędicat Debora insignem victoriam Jahelis contra Sisaram; potu lactis conciliavit illi somnum; sed in somno, *sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad malleum, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans:* defecitque Sisara, & mortuus est. In figura ostendit Spiritus Sanctus mundi voluptates, per dulcedinem lactis adumbratas, causare frequenter miserabiles ruinas. Profundius examinant alij, quidnam significent malleus & clavus, quorum ictu prostratus fuit Sisara, cum ingenti applausu & triumpho exultantis populi: & respondet Rupertus. *Malleus in dextera desuper timor Domini in intentione cordis est. Ita factum est, ut capiti ejus defigeret clavum valide in cerebrum usque ad terram. Quare in capite quæsivit vulneri locum? quia peccati caput est feriendum. - Prima suggestio clavo Dominicæ Crucis, cum timoris Domini malleo transfigatur.*

 Ecce

Digitized by Google

Ecce arma, quibus Christus D. infernalem Sisaram debellavit, sanctissimam Crucem ! in eadem debemus vivere & triumphare.

§. 4. *Et vincere omnes tentationes.* Cum tentationes animum tuum pulsant; fuge ad crucem Christi, & sequere consiliũ S. Ambrosij super ps. 118. qui versum 120. *Confige timore tuo carnes meas,* ita legit, *Confige clavis,- carnes meas.* & ait, *Confige ergo clavis, & destrue fomenta peccati; moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum, libertatem vagandi, cupiditas voluptatum Cruci affixa non habeat: Est quidam clavus spiritualis, qui patibulo Crucis Dominicæ affigat has carnes,* - sive - carnales cogitationes; &c ut cum S. Paulo gloriari possis, *Christo confixus sum Cruci.* O dulcem alligaturam salutis, quæ hominem continet á lapsu criminis salutis. Hos Christus suo claudit gremio, ligat charitatis lacertis, ne in tentationum incursu titubet aut labatur. Tales! etsi libido urgeat, etsi, &c. tamen stabili firmitate defixi, non dimoventur à cruce, neque manus aut pedes à cruce liberari cupiunt.

§. 5. *Quomodo, homo vetus in nobis cũ Christo debeat crucifigi.* Citata verba S. Pauli, *Christo confixus sum cruci,* in memoriam mihi revocant versum 6. cap. 6. ad Romanos. *Hoc scientes, quia vetus homo noster* (cum Christo) *crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.* O nobilem fructum, arboris sanctissimæ Crucis,! si ejus beneficio, custodiamur à peccatis! sed Interpretes quærunt: Ecquis in nobis sit hic vetus homo, & quomodo, & quam ob causam cum Christo sit crucifigendus. Respondet Balduinus. *Homo terrenus vetus homo est; cœpit enim à diebus antiquis, à diebus prævaricationis Adæ. Hujus imaginem portant, qui terrena sapiunt; qui solum cogitant, quæ sunt mundi; qui nimis amant terrenam substantiam, & terrenam gloriam; quorum conversatio in terra est, non in cælis. Declinaverunt oculos suos, ut non videant cælum.* Pergit præfatus Doctor & exponit veteris hominis reatum, ob quem, clavis mortificationis cum Christo, cruci est affigendus, ut destruatur corpus peccati, & fiat altera de mortificatione redemptio. *Si quis ergo,* inquit, *est Christi! armet se zelo vindictæ contra persecutorem Christi. Clamemus ad alterutrum pro Christo, contra inimicum Christi, sed quam accusationem*

tionem afferemus adversus hominem hunc: Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed sperat in multitudine divitiarum suarum; & prævaluit in vanitate sua, Tolle, tolle, Crucifixe eum; si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, (pulchre, v. g. tolle, tolle libidinem; crucifige! si illi parcis, non es amicus Jesu) *Sic fecit! sic fiat ei! Crucifigatur. Dignus est cruce & reus est mortis.* Sed ab hac crucifixione oritur vita; completur redemptio, sequitur gloria, & æterna gloria! juxta vers. 10. cap. 4. ep. 2. ad Corinth. *Semper mortificationem Jesu* (præsertim Crucifixi) *in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* In terris, vita, cruci affixa, in cœlis vita gloriosa.

Pergo ad alios fructus, vel encomia sanctissimæ Crucis! Versum 5. capitis 8. Cantic. *Sub arbore malo suscitavi te*, ita legit Rupertus. *Sub ligno Crucis ubi te redemi.* Philo Carpathius addit, *Sub malo excitavi te, & confirmavi.* Quas versiones ita illustravit Philo Carpathius. *Hæc malus salutifera, si ad arborem respicias, Crux est, humanæ salutis auctrix; in qua salus mundi auctorque pependit. Si vero ad pomum ejus, ac fructum suavissimum, atque sanctissimum, de quo sæpe jam diximus; cœleste totum, & salutare malum, Corpus est Jesu Christi, salutariter nobis datum ab eo, in escam scilicet & potum, sub mystico pane ac vino, ex quo quidem Christianos omnes sanctissime pascit ac beat. In hoc* (& sub Cruce) *castissimam sibi sponsam ad amorem excitat, vallat, ac firmat.* Ah animæ piæ! accedite quæso piis cogitationibus ad illam arborem sanctissimæ Crucis, in qua bonus Jesus vos redemit; in qua pro vobis pretiosum suum sanguinem effudit. Sed gustate simul suavissimum fructum, & malum, quod in arbore illa benedicta pendet. Hinc gustate suavitatem sanctissimæ Eucharistiæ! infirmate & vallate vos simul ad hanc arborem; ad amorem simul vos excitate! Certus sum; statim cum S. Andrea, licet sentiatis funes, licet membra vestra crucifixa sint, &c. tamen cum S. Andrea exclamabitis, *Salve O bona Crux* (fiat affectuosa repetitio.)

§. 6. *Fructus arboris crucis, est Jesus Crucifixus & in SS. Eucharistia*

Omnia speciosa Ecclesiæ germina, hoc est, omnes electi & sancti, sanctitatis & perfectionis suæ decorem, & gratiæ ornatum à cruce, & cruci suffixo Salvatore hauriunt. Magnificos fructus protulit

§. 7. *Electi & sancti sunt fructus Crucis.*

Digitized by Google

tulit arbor crucis in terra deserti, sed irrigata & imbuta Deifico sanguine Christi Jesu. Quam sobolem à cruce prognatam intuitus fuit Isaias cap. 22. dum in figura Eliacim Christi Crucifixi prodit mysterium, vers. 23. ait. *Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domui Patris ejus. Et suspendent super eum omnem gloriam Patris ejus, vasorum diversa genera usque ad omne vas musicorum.* Hunc locum de sancta cruce intelligunt S. Hieron. Arias Montanus, Hugo Carensis, cujus verba sunt; *figam illum paxillum*, hoc fuit, quando Christus erectus fuit in cruce. Vocatur crux paxillus, quia contemptibile lignum exstitit, Judæis scandalum, gentilibus stultitia. Electis vero erigitur ad tutelam, & normam vitæ sanctioris, ut ad exemplar tanti simulacri vitam & mores componant. Idem paxillus, eadem Crux fuit sedes, thronus & solium immensæ gloriæ. Hoc peculiariter observandum est, pro illis voculis, *vasorum diversa genera*, S. Hieronymum ponere has; *stirpes, genimina, propagines, filios.* Tales filij crucis fuerunt v. g. S. Petrus, S. Andreas, S. Philippus. Filii crucis, sunt omnes electi: filia crucis fuit ipsa electorum omnium Regina, Beatissima Virgo Maria! *Omnes isti* (ait Hugo) *pendent à Christo; veluti filij ab ubere matris, inter amplexus & brachia crucis. Pendent à Christo, & cruce, veluti poma, ab arbore mali, veluti botri à viti; veluti palmites à palma, veluti cincinni & comæ, à capite*: de quibus S. Bernardus. ep. 109. ait, *Non apparebit ultra vacua in vobis crux Christi; quemadmodum in multis filiis diffidentiæ, qui tardantes converti ad Dominum, de die in diem: improvisa morte abstracti, in puncto descendunt ad inferos. Omnino refloruit, & nunc quasi de novo lignum, in quo pependit Dominus gloriæ, qui mortuus est, non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ipse, ipse! colligit vos, qui diligit vos, tanquam viscera sua, tanquam fructum pretiosissimum crucis suæ, tanquam dignissimam recompensationem effusi sanguinis sui.* Iterum perpendito, an S. Andreas sine causa proruperit in suavissimam hanc salutationem, *Salve O bona Crux! &c.*

§. 8. Crux, est fons benedictionum.

A cruce, veluti ex quodam fonte, & fœcunda scaturigine profluit omnis benedictio; de qua regius Psaltes cecinit Psal. 144. vers.

vrcſ. 5. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Adverto quam magnifice David deprædicet liberaliſſimam Dei munificentiam, à qua omnia implentur benedictionibus. Sed hoc miror, quod recurrat ad manus, tanquam in illis ſit fons benedictonum. Verbo Deus creavit mundum; nunquid ergo melius dixiſſet David, Domine dic verbum,& implebimur benedictionibus. Vel aperi os tuum. Cur de manuum apertione loquitur? Habuit ſcilicet jam tum David, ex illuminatione Spiritus Sancti meliorem & efficaciorem fontem gratiarum, beneficiorum & benedictonum, nempe lignum crucis; in qua dum trabalibus clavis aperta ſunt vulnera manuum; reſeratæ ſimul ſunt ſcaturigines benedictionum. Verba D. Germani hom. de feſto S. Crucis, conceptum hunc clarius illuſtrabunt. Sic ait: *Et nunc nos, quibus ante oculos Ieſus Chriſtus depingitur, conſona divino Pſalti canamus. Oculi omnium in te ſperant, & tu das eſcam illis in tempore opportuno. Sacrificatus enim & ſuſpenſus, propriam carnem edendam apponis illis, qui in te ſpem ſalutis reponunt. Aperis tu manus tuas, expandens eas in cruce* (pulchre, vulneratas, ſtillantes divino cruore) *& imples omnes Patris tui beneplacito. Neque enim tabes mortis de vulneribus crucis fluit*, (ait D. Ambroſius) *Sed fons vitæ ſcaturivit æternæ, ut ſcriptura nos docet, dicens. Et ſaliet aqua cum delectatione de fontibus Salvatoris. Exivit ergo de vulnere aqua, ut nos biberemus.* Certe cum S. Andreas illam aquam guſtavit exclamavit, *Salve*, &c.

Cogitate benedictionem, vel gratiam quamcunque; beneficio crucis poterimus obtinere. Felix! qui convenit Chriſtum pendentem in cruce; fallor, ſi opportunior poteſt inveniri occaſio, ad præſtantiſſima obtinenda beneficia, quam juxta crucem. Matth. 20. verſ. 18. ait Jeſus. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum; & crucifigendum, & tertia die reſurget. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filijs ſuis ado-* § 9. *Beneficio crucis omnes gratias poſſumus obtinere.*

rans, & petens aliquid ab eo. Quid agit mulier? Christus D. agit de ignominiosa morte crucis, & illa de regno: prudentissime fecit; etenim occasionem ad consequendum, quod desiderabat, optimam judicavit se invenisse, cum Christus D. locutus fuit de cruce. S. Basilius fol. orat. 24. *Vis mulieris fidem cernere? supplicationis quare tempus. Quando libellum supplicem offert? Quod postulationis tempus? crux erat parata, passio apparebat, Iudaeorum erat instructus exercitus.* Vos quoque nullas efficaciores effundetis preces, quam juxta crucem.

§. 10. *Epilogus, cum insigni elogio sanctae crucis.* Finio verbis Anastasij Sinaitæ. *Quando audis quod juberis* (cum S. Andrea) *colere & amare lignum fructiferum, nihil aliud intelliges, quam passionem crucis. Et ideo dicit Ecclesia, quod germinet lignum crucis, faciens fructum; & aspectu pulchrum, & bonum ad vescendum, nempe Christum crucifixum.* Hæc consideremus, mei charissimi Auditores & statim absque ullo momento ruamus in genua, dicamus cum sancto Andrea ferventissimo crucis amatore, *Salve crux bona*, &c. Si calamitates & miseriæ nos præmant, si Tyranni nobis gravissima & acutissima minentur tormenta, parvi ea omnia æstimemus, & dicamus cum Doctore Gentium, S. Paulo, *Christo confixus sum cruci, nihil me separabit à charitate mei crucifixi*, hunc amplector, hunc amabo quamdiu in me erit spiritus. Arborem, in qua meus salvator pependit, & unde mihi salus, non deseram, sub umbra ejus sedebo, & exclamabo cum sponsa, sub hac Salvator meus me suscitavit, sub hac me redemit, sub hac mihi salus, sub hac arripiam malleum fidei, audaciæ, fortitudinis (in Dei confisus fortitudine) cum Johele, (de qua supra facta est mentio) & caput infernalis hostis Sisaræ, qui me diu noctuq; quærit perdere, conteram. Quod si hoc faciamus, & tanto amore, ut S. Andreas, crucem Christi D. amplectamur, cum ipso quoque lauream æternæ beatitudinis, qua jam ipse in omne ævum fruitur, feliciter obtinebimus, &c.

CON-

Digitized by Google

CONCIO LXXXVIII.

FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Hodie huic Domui salus facta est,

Luc. 19. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS.

OStendit Ecclesias esse exstructas, & exstrui, ut in illis cum honore, & eximio cultu asservetur sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ: in qua Christus D. magno nostro commodo, peculiari modo nobiscum est in terris; & manebit usque ad consummationem sæculi, ut contra hostes nos protegat & defendat.

§. 1. *Concionis Propositio.*

§. 2. *Cor in humano corpore est fons caloris.*

§. *Ara ignis perpetui, in templo Salomonico fuit quasi cor; figura sanctissimi Sacramenti Altaris.*

§. 4. *In quo Christus D. nobis est præsens; ut suis ignibus nos accendat.*

§. 5. *Ecclesiæ itaque exstructæ sunt; ut in illis asservetur sanctissimum Sacramentum.*

§. 6. *Ecclesia vel templum, est Christi D. tabernaculum, & tentorium.*

§. 7. *In quo Christus D. sub speciebus hostiæ latitans, peculiariter colitur.*

§. 8. *Agnus loco pueri immolatus in sacrificium, fuit figura Christi D. in Eucharistia.*

§. 9. *Variæ gratiæ, quas largitur Christus D. in Ecclesiis, si in SS.*

Eucharistia illum veneremur.

§. 10. *Arca potens auxilium contra hostes, fuit figura sanctissimi Sacramenti, quod in Ecclesiis asservatur; & in quo est robur contra hostes nostros.*

§. 11. *Item sacrificium Panum lib. 2. Esdra cap. 12.*

§. 12. *David, Moyses, Abraham, felicissimi: Ob cultum altaris, & invocationem nominis Domini.*

§. 1. *Concionis Propositio.*

CUm hodierna Dominica celebremus annuam Dedicationem hujus celeberrimi & sanctissimi Templi, afferam hac Concione, unam, aut alteram causam, ob quam templa & Ecclesiæ ædificatæ, Deoq; consecratæ sunt; una ex præcipuis est, ut in illis cum decore, & honore asservetur SS. Sacramentum Eucharistiæ, cum ingenti Christi fidelium fructu, & utilitate. Ut ex dicendis patebit.

§. 2. *Cor in humano corpore est fons caloris.*

De corde humano dixit Aristoteles, *esse quasi lares, & focum, quo natura fomites, & primordia ignis nativi contineantur, & serventur*: cujus etiam mentis videtur fuisse S. Greg. Nyss. de hominis opificio, c. 12. *Motus mentis, igneæ naturæ affinis est. Cumq; in corde caloris fontem esse, sit in confesso: idcirco mentis motum cum caloris mobilitate quasi temperatum esse, cor naturæ intelligentis receptaculũ quod calor eo contineatur.* Itaq; cor est quasi ara ignis perpetui, & vivus focus, igneos & vitales spiritus corpori distribuens, ut vita, & spiritu vitali, & halitu caloris vivat.

§. 3. *Ara ignis perpetui, fuit quasi cor in templo Salomonico, figura SS. Sacramenti altaris.*

In templo Salomonis jussu Dei fuit collocatum altare, ut esset quasi cor tam magnificæ machinæ, in quo alebatur ignis perpetuus, semper vivens, nullo eventu intermortuus, tanquam sacrosanctus fons perennãtis & ardentis illius lucidissimi elementi, qui sacerdotibus subministraret flammas, ad comburendas victimas, & devoranda holocausta. Levitici cap. 6. vers. 12. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto ac super adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Ubi Isichius lib. 2. in Levit. cap. 1. *Hoc altare Salomonis, fuit figura altaris intelligibilis quod est Christi Corpus, habens ignem inextinguibilem, subministrationis Spiritus*: Corpus enim illud, quod quotidie in ara immolatur, perpetuos ignes spiritus eructat, con-

foventes

Digitized by Google

foventes ſpiritum hominis,& ab eo depellentes teporem; ut dum aſtamus igneæ ſcaturigini Deitatis, vivamus ſpiritu,& vitali Igne ſæpisſime incaleſcamus.

De hoc igne fuit locutus Chriſtus D. Lucæ cap. 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Nemo cogitet Chriſtum D. fuiſſe locutum, de materiali elemento terræ, quæ poſtquam aquis eſt irrigata, ardentibus ſolis radiis rurſum exuritur & exſiccatur. S. Marcus Eremita orat. de bapt. mentem Chriſti D. expoſuit, dum ait. *Templum autem eſt, corporis animique delubrum, à Deo creatum. Altare ſitum in hoc templo, ſedes eſt ſpei, in qua cogitatio offertur à mente, & velut animal primogenitum immolatur.* Et ſubdit. *Quemadmodum tempore Iſraelitici populi, ignis conſumebat reliquias: non aliter hic evenit, fideli corde per ſpem reſerato, cæleſtis Pontifex apprehendit primogenitas animi cogitationes, illasque igne divino abſumit, de quo inquit, Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Colligo ex hoc loco, hominem juſtum, quovis tempore, in ſe ipſo, in corde, in anima omnia habere parata ad offerendum DEO ſacrificium, templum, aram, victimam; dum nimirum voluntas à gratia & inſtinctu Spiritus Sancti excitata, ſanctarum cogitationum gregem, veluti agnum primogenitum DEO litat; dummodo de cœlo accedat ignis divini amoris, qui ſacrificium hoc accendat, & DEO gratum accendat, ut fiat holocauſtum in odorem ſuavitatis. Sed quid cœlum nomino? in terris habemus illum ignem, Chriſtum D. in SS. Sacramento altaris ſemper præſentem, qui non deſiderat aliud, quam ut nos deſideremus ab igne illo accendi & comburi. *§. 4. In quo Chriſtus D. nobis eſt præſens, ut ſuis ignibus nos accendat.*

Si itaque ſapientiſſimus rerum omnium conditor DEUS, humanum corpus formavit, ut ſit quaſi delubrum, vel domus, in qua hominis cor veluti fons nativi & naturalis caloris aſſervatur; ſi prudentiſſimus Salomon, auguſtiſſimum ædificavit templum, ut in illo cuſtodiretur ignis perpetuus ad comburendum victimas, mirari non debemus, in toto terrarum orbe paſſim exſtructas eſſe magnificas Eccleſias, ut in *§. 5. Eccleſiæ itaque exſtructæ ſunt ut in illis aſſervetur SS. altaris Sacramentum*

illis cum summa veneratione asservetur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, veluti cor omnium divinorum beneficiorum; & ara, in qua residet Christus Jesus Salvator noster, in cujus corde ardet ignis perpetuus immensi amoris, ut quoties Deo offerre volumus victimas suavissimi sacrificij: in templis inveniamus cor, aram & ignem, à quo quoties volumus sanctissimis desideriis, & calore divini amoris accendamur.

§. 6. *Ecclesia vel templū est Christi D tabernaculum & tentorium.*

Super versum 1. Psalmi 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* inquirit S. Chrysostomus, cur Christi Ecclesia, tentorium & tabernaculum dicatur, & pulchre respondet: *Quemadmodum Moysi in deserto tabernaculum, erat tugurium, in quo congregari poterant; quod Romani vocarunt papilionem; ita etiam in terra, est Christi Ecclesia tabernaculum: Et quare tabernaculum? quia Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Quare tabernaculum? propter eum, qui dixit: Ecce ego venio, & habitabo in medio vestri dicit Dominus. Et ideo est etiam Ecclesia tentorium, quod fixit Dominus.* Ita Ecclesia aliqua nihil aliud est, quam habitaculum omnipotentis Dei, in quo non tantum nobis adest, ut Deus; qualis est ubique, sed quatenus simul homo est, Christus Jesus Salvator noster. Cujus ingentis beneficij, ut saltem semel in anno cum insigni solennitate simus memores; & Deo propterea peculiares offeramus gratias, & laudes, in Ecclesia institutæ sunt annuæ Ecclesiarum dedicationes.

§. 7. *In quo Christus D sub speciebus hostia latitans peculiariter colitur.*

De quo festo videtur David cecinisse Psalm. 117. in quo ait v. 27. *Constituite diem solennem, in condensis, usque ad cornu altaris:* quem locum de SS. Eucharistia, ita exponit Cassiodorus. *Sacratum diem, in confrequentationibus crebrarum processionum, quas populi turba condensat, usque ad cornu altaris, ubi Corpus & sanguis Domini solenni nobis frequentatione largitur.* Sermo est de apparatu sacro, & augustissimo ritu, quo anniversarius Eucharistiæ dies agitur, quando floribus, frondibus sternuntur viæ & parietes ornantur tapetibus, cum magna venustate & splendore: quem conceptum Lorinus ita exponit. *Convenit potissimum loci hujus sententia solennitati Corporis Christi* (dico ego hodie, annuæ Ecclesiæ hujus dedicationi) *in qua frequentissimi procedunt; & complentur*

Digitized by Google

plentur platea, templaque frondibus, ramis usque ad ipsa altaria, quibus adoranda exponitur Eucharistia, in qua victima, juxta aliam translationem, ligata est vinculis Adam, & dilectionis: id est, sub speciebus continetur Christus; quam posset denotare in translatione Chaldaa, Puer ligatus propter vim summi amoris.

Ut locus hic fiat illustrior, sciendum est, citatum versum ex Psalm. 117. *Constituite diem solennem in condensis, usque ad cornu altaris*, variis modis legi à SS. Patribus. Nam Chaldæa lectio sic habet. *Ligate puerum ad sacrificium solennitatis, catenis.* Lorinus sic vertit. *Vincite Agnum aut oblationem funibus.* Et subjungit. *Quia Agnus cum tripudio, ac latitia afferbatur vinctus funibus, frondeque coronatus*: Sermo est de ritu Chaldæorum, quo puer forma & specie conspicuus, bullis aureis ornatus, catenulis aureis ligatus ostendebatur ad altare destinatus, quasi ad sacrificium: cui tamen à sacerdote parcitum fuit, ne Deus videretur sitire humanum sanguinem: loco tamen pueri immolatus agnus, ut forma esset & figura, Agni immolati in altari crucis, qui in cruce suspensus, totum redemit orbem, & hominum crimina suo sanguine delevit. Hoc admirabile Dei est beneficium, hic est idem Salvator noster, ligatus vinculis amoris, in nostris Ecclesiis, in tabernaculis, veluti tentoriis suæ Majestatis, nobiscum maneat, & manere velit usque ad sæculi consummationem. Quid illustrius? quis alius, nisi amor ligare posset funibus fortissimum Samsonem,? quis Deum immensum, qui cœlos & terram implet, in tabernaculo coarctavit, & ligneæ capsulæ angustiis clausit; quis sponso fugaci, velocissimo, qui ambulat super pennas ventorum, injecit compedes & vincula, ex panis & vini accidentibus fabrefacta, ne à sponsa fugeret? quis æternorum mirabilium operatrices manus manicis innectit, ne gladium in improbos distringat & desæviat; nisi solus & dulcis amor. Laudemus ergo gloriosos & pijssimos Majores nostros, qui huic sponso, huic Regi, Christo Salvatori nostro, Deo nostro, pro habitaculo & tentorio in terris ædificarunt Ecclesias, ut in illis cum debito honore & pompa asservetur SS. Sacramentum Eucharistiæ, sub cujus speciebus revera Christus D. nobis adest, ligatus vinculis amoris

§ 8. *Agnus loco pueri immolatus in sacrificium fuit figura Eucharistia*

moris

moris. Eja Auditores, cum Ecclesia, in qua congregati sumus, sit tale templum, & solennis dies annuæ dedicationis celebretur, constituite diem solennem in condensis, &c. (Ex dictis fiat pulchra repetitio, & adhortatio, ad festivam celebrationem dedicationis.)

§. 9. *Varia gratia quas largitur Christus D. in Ecclesiis, si in SS. Eucharistia illum veneremur.*

Gaudeo in hodierna solennitate impleri versum 12. cap. 31. Jeremiæ. *Et venient, & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini, super frumento & vino.* Cujus frumenti, cujus vini fiat mentio, exponit S. Hieronymus; *super frumento & vino, de quo conficitur panis Domini, & sanguinis ejus impletur typus, & benedictio sanctificationis ostenditur.* Et Victor in Cat. Græc. PP. *Ecclesia frumentum habet; granum quod mortuum est; ex quo, panis confirmans hominis cor; & vinum illud lætificans.* Sic puto; venisse vos hodie, non ad montem Sion, sed hanc Ecclesiam; ideo puto vos confluxisse, &c. ut laudetis Deum, ob ingens beneficium sanctissimæ Eucharistiæ; quod de tali cibo & potu, nobis providerit; ni fallor, in ejusdem præsentia Christum Salvatorem vestrum vultis adorare, laudare, magnificare & benedicere. Hoc agite; obtinebimus enim gratiam, quam Deus per eundem Prophetam citato loco promisit: *Et inebriabo animam sacerdotum pinguetudine, & populus meus bonis adimplebitur.* Chaldæus sic legit. *Satiabo animam sacerdotum deliciis, & populus meus bono meo, quod dedero eis, saturabitur.* Has delicias, hanc pinguedinem veræ devotionis, hanc saturitatem, tantum bonum reperire & obtinere hodie possumus in hoc templo, si Christum Salvatorem nostrum in sanctissima Eucharistia nobis præsentem adoremus, amemus, & sicut oportet glorificemus. Venite, confluite, adoremus, &c. in hoc monte Sion reperiemus omne bonum! *Divinissimus JESUS* (sunt fere verba S. Dion. Areopagitæ) *divina jucunditate, suavitate & dulcedine plenus, mentes quoque nostras simili suavitate replebit.* Theodoretus in Cantic. *Talis est Dominus noster, & Salvator, & sponsus! qui convivio suo, sensus omnes nostros explet suavitate.* Videtur Regius Psaltes, ob hanc causam, Ecclesias vocasse torcularia; in quibus cœlestis vitis, dulcissimum profert

fert fructum, sive salutare vinum pretiosi sanguinis Jesu, qui vere *fidelium cordi affert lætitiam*, imo gratiam, gloriam, & vitam æternam. Ob quam causam S. Hieronym. cit. vers. 12. Psal. 83. *gratiam dabit Dominus*; sic vertit: *Quia sol & scutum*, scilicet Dominus Jesus in sanctissima Eucharistia. Eja constituite, &c. Ita hodiernam dedicationem celebremus, ut veneremur SS. Eucharistiam, ad hunc finem erectæ sunt Ecclesiæ.

Ex aliis scri pturæ locis intelligere poterimus, ob quas causas apud Catholicos in Ecclesijs asservetur sanctissimum Sacramentum altaris. Cum acies filiorum Israel ordinatæ incederent per desertum, præsertim cum hostibus irent obviam, hunc servarunt ordinem incedendi. Primo loco in totius exercitus conspectu præcedebat arca Domini; ut milites fortius & validius stimularentur ad pugnam. *Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua.* (Numer. 10. vers. 35.) *Cum autem deponeretur, ajebat, Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.* Quasi non in militum manibus, vel armis, sed in sola arca staret victoria. Ex mente Abulensis in lib. 1. Reg. cap. 4 quæst. 5. *Moyses proposuit arcam in via, propter defensionem ab hostibus. Et sic Moyses demonstrabat virtutem Dei ad liberandum ab hostibus, esse in præsentia arcæ.* Dum præcedebat arca, præibat quasi nuntius victoriæ; præsentia arcæ vectes confringebat ferreos, urbium aperiebat januas, sternebat arces, turres, & murorum mœnia. Si figura & umbra tot Israelitis peperit victorias, si hostes debellavit, quid faciet SS. Eucharistia, in qua Christus D. pro nobis pugnat. Nulla panoplia fortior, ad debellandas inimicas potestates, quam Eucharistiæ tabernaculum: in quo latet omne robur. Advertite Auditores, quo confugere debeamus, ubi quærere auxilium, cum hostes nobis minantur exitium, &c. Ecce arcam, &c. ut cum pompa asservetur, exstructæ sunt Ecclesiæ.

§. 10. *Arca potens auxilium contra hostes, fuit figura SS. Sacramenti, quod in Ecclesia asservatur.*

Lib. 2. Esdræ capite 12. refert sacer textus solenne festum gratiarum actionis, quod Israelitæ Auctore Nehemia instituerunt cum tempore Cyri recuperarunt libertatem. Instituerunt supplicationem, magno apparatu, & speciosissima pompa. Præivit

§. 11. *Item sacrificium Pacum. l. 2. Esdra c. 12.*

Digitized by Google

populus, secuti fuerunt duces, milites, & Magistratus, post hos Levitæ sacris induti vestibus. Et inter suavissimas Dei laudes, & comprecationes, *immolaverunt in illa die victimas magnas*, hoc est, ut textus hebraicus habet. *Duas magnas palcentas.* Vel ut LXX. legunt, *sacrificium laudationis, Panes.* Turrianus de Euch. cap. 30. rem ita describit; *Iudæi* - in hac solennitate, *circumtulerunt in modum pompæ duas magnas placentas; sequentibus sacerdotibus cum tubis, & vasis, id est, instrumentis Cantici David, & aliis præeuntibus cum laude & gratiarum actione, collocaruntque eas in domo Domini.* Asserit deinde, his duabus placentis fuisse adumbrata duo Christi sacrificia, cruentum in cruce, & incruentum in altari. Vel ut glossa Ord. ait: *Per hanc oblationem significatur oblatio Eucharistiæ.* Unum miror, nullam in hac pompa fieri mentionem vexillorum, armorum, clypeorum & similium instrumentorum, quibus armati potuissent sperare victoriam contra hostes; in duabus placentis, quale robur. Sed à Spiritu Sancto sapientissimus Esdras fuit illustratus; ideoque præfiguravit futurum Sacramentum, sub speciebus panis delitescens; in quo simul delitescit fortitudo, & robur Christianorum contra omnes hostes. Si vultis Auditores, advertere potestis ex hac historia, quo ritu, qua devotione, quo gaudio, debeamus celebrare annuam Ecclesiarum dedicationem; veluti in domo Dei, summa veneratione colamus sanctissimum Sacramentum altaris; præsertim hoc tempore, quo nova bella merito timere possumus. Eo itaque collimat Ecclesiæ ornatus, eò tendunt Musici concentus, supplicationes, preces, &c. in hodierna dedicatione, ut Jesu Salvatori, in SS. Eucharistia, sit honor, gloria, laus & benedictio.

§. 12. David, Moyses, Abraham felicissimi, ob cultum altaris.

Postquam sacer textus l. 1. Paralip. cap. 18. vers. 11. laudavit Regem David, quod omnia vasa aurea, & argentea, & ænea, universaque hostium spolia, in templo Domini imposuisset altari, consecrassetque Deo, victoriarum largitori; ait versus 6. *Adjuvit eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.* Versus 13. *salvavitque Dominus David in omnibus.* Idem ante Davidem fecerunt Moyses & Aaron- causam addit S. Ambrosius, *Vt de hostibus triumpharent.* De Abrahamo, quod in loco altaris, quod fecerat, invocasset

Digitized by Google

invocasset nomen Domini; Idem S. Ambros. ait. *Merito processum tantum habuit; quia speravit Deum auxilio sibi fore.* Si nos quoque desideremus, ut Dominus adjuvet nos, &c. (fiat pulchra repetitio) necesse est, ut, &c. (fiat pulcher Epilogus, cum adhortatione, ad piam celebrationem Dedicationis cum cultu sanctissimi Sacramenti.)


ROMA

FINIS



Digitized by Google

Digitized by Google

7-2-2

Digitized by Google

Digitized by Google